

יהוה


INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII.
PS. CXIX 169.
כדברך
הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λογος ὁ σος ἀληθεια ἐστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.



VITA
JESU CHRISTI
DOMINI AC SALVATORIS NOSTRI

ABBATISVILLA. — GUSTAVII RETAUX.

LUDOLPHUS DE SAXONIA

VITA
JESU CHRISTI

EX EVANGELIO ET APPROBATIS AB ECCLESIA CATHOLICA
DOCTORIBUS SEDULE COLLECTA

EDITIO NOVISSIMA

CURANTE
L. M. RIGOLLOT, SAC.

TOMUS TERTIUS

PARS SECUNDA
I



E SOCIETATE GENERALI LIBRARIÆ CATHOLICÆ

PARISIIS
APUD VICTOREM PALMÉ
RECTOREM GENERALEM
25, via Grenella, 25

BRUXELLIS
APUD G. LÉBROCQUY
SUCCURSALIS RECTOREM
5, foro Lovaniensi, 5

MDCCCLXXVIII


ANDOVER THEOL. SEM.
NOV
14
1882
LIBRARY

VITÆ

DOMINI NOSTRI

JESU CHRISTI

PARS SECUNDA.

CAPUT I

DE CONFESSIONE VERÆ FIDEI, QUAM PETRUS FECIT PRO OMNIBUS.

Matthæi cap. XVI.

1 SCOPUS SECUNDÆ PARTIS. — Prima pars libri hujus, quæ præcedit, nullam de Passione mentionem expresse facit; secunda vero pars, quæ hic sequitur, frequenter de Passione facit mentionem, et totam continet Passionem, et eorum quæ ultra sunt seriem.

2 URBIS CÆSAREÆ PHILIPPI SITUS. — Post præmissa ergo *venit Jesus* tamquam Salvator, ubique lumen doctrinæ spargens, ubique perditos quærens, ubique pœnitentes salvans, *in partes* et fines civitatis, quæ *Cæsareæ Philippi* vocabatur, sed nunc Paneas dicitur. Philippus enim Tetrarcha, frater Herodis, civitatem illam renovavit et ampliavit, et ex tunc eam Cæsaream Philippi, in memoriam sui nominis, et in honorem Tiberii Cæsaris, qui ei quartam partem regni dederat, appellavit. Et est sita in pede montis Libani, ubi hinc inde in declivi latere montis oriuntur duo fontes, Jor et Dan dicti, qui post modicum, ad radicem et pedem Libani confluentes, efficiunt Jordanem, qui post longos circuitus ingreditur mare Galilææ, prope Corozaim civitatem. Dicitur etiam Cæsarea Philippi, ad differentiam Cæsareæ Palestinæ, ubi Centurio Cornelius dicitur habitasse. Est et alia Cæsarea, metropolis Cappadociæ, quæ est in regione Turciæ. In ista autem civitate, scilicet Cæsarea Philippi, et in confinibus ejus, habitabat Gentium populus; et ideo ex hoc, quod Christus mysterium suæ Incarnationis hic revelare voluit, ostenditur quod fundamentum Ecclesiæ in fide Gentium fit. Hæc enim civitas est Phœnicis regionis Gentium, et terminus Judææ ad Septemtrionem, ad quam tributum census capitis deferebatur, pro quo sub Cæsare Augusto universus orbis descriptus dicitur. Congruum autem fuit, ut in loco in quo orbis tributum solvit, Rex regum et Dominus orbis

tributum fidei exigeret, quod solvitur de capite animæ, id est de mente.

3 CHRISTUS DISCIPULOS INTERROGAT. — *Et*, cum esset solus orans in via, ***interrogabat discipulos suos***, non quia dubitaret, vel ignoraret, et ut aliquid disceret; sed ut eos veritatem instrueret et doceret, et errorem hominum per responsionem discipulorum eliminaret : item, ut eis occasionem merendi daret; et nos fideli eorum confessione, in fide solidaret: item, ut fidem illorum per sequentem approbationem et promissionem in ipsis fortius confirmaret; ac differentiam Apostolorum et populorum confirmando ostenderet. Exploraturus autem fidem discipulorum prius vulgi sententiam inquirit; quia confirmaturus eos in fide, prius opiniones et errores aliorum a mentibus eorum removere voluit, ut de veritate eos melius informaret. Sic doctor Evangelicus debet primo errores destruere, ut melius possit veritatem adstruere. Volens ergo Dominus errores exponi, ut, eis expulsis, discipuli veritatem proferant, non vulgi opinione, sed ex Domini revelatione, ***interrogabat discipulos suos, dicens : Quem dicunt homines***, et turbæ vulgares, ***esse Filium hominis?*** id est Virginis. Hoc soli Christo convenit : Adam enim fuit filius terræ, alii filii hominum, quia ex utroque gignuntur parente; sed solus Christus fuit filius unius hominis, quia non nisi unum parentem habuit in terra, sic unum in cœlo. Vocat se etiam non solum Filium Dei, sed hominis, ratione humilitatis; quod est contra illos, qui semper volunt se a digniori nominare, et majores suæ parentelæ. tacitis ceteris, allegare. Secundum *Hieronymum*, non dicit: Quem me dicunt esse homines? Licet de se intelligeret, ne jactanter de se quærere videretur, sed dicit, secundum *Chrysostomum*, Filium hominis; quia dispensationem Incarnationis credi vult, et in confessionem devenire. Similiter prælati ac doctores et magni homines deberent inquirere de fama sua a collateralibus suis; quia bona fama doctoris et præsidentis multum facit ad doctrinæ et ædificationis fructum; mala, ad detrimentum. Unde *Origenes*: « Interrogavit Christus discipulos, ut nos semper scrutemur qualis opinio sit apud homines de nobis : ut, si quid male dicitur de nobis, occasiones illius præcidamus; si quid autem boni, ejus occasiones augeamus. Sed et discipuli Episcoporum instruuntur Apostolorum exemplo, ut qualescumque opiniones audierint foris, de Episcopis suis, referant eis. » In hoc autem quod Dominus ab Apostolis quæsivit de fide turbarum, dedit intelligere quod prælati reddituri sunt rationem de fide subditorum.

4 VARIÆ TURBARUM OPINIONES DE CHRISTO. — Et quia de Christo erant variæ opiniones in populo, ideo discipuli responderunt dicendo, quod alii dicerent eum esse Joannem Baptistam, qui in utero matris positus sentiebat Domini præsentiam, et propter Baptismum, et propter vitæ eminentiam ;cujus opinionis fuit Herodes, et sui sequaces. Unde *Theophilus* : « Multi namque putabant quod Joanne sa mortuis surrexisset, sicut etHerodes credebat,et post resurrectio nem suam miracula perpetrasset. » Alii vero dicebant eum esse Eliam, propter zelum veritatis quem habuit; et propter potentiæ evidentiam, quia ignem de cœlo posuit; et quia ad cœlum raptus, creditur inde esseventurus. Alii Jeremiam, propter sanctitatem,quia sanctificatus fuit in utero matris; et propter patientiam in adversis; et propter beneficium misericordiæ, quia populi peccata planxit et lamentatus fuit. Alii autem unum de Prophetis, scilicet Elisæum, propter excellentiam sapientiæ : habuit enim duplicem spiritum Eliæ; vel, quia surrexit unus alius de antiquis Prophetis prioribus. Et sic patet divisio erroris habiti de Jesu a diversis; sic adhuc hodie variantur homines inquirendo salutem, sive beatitudinem. Unusquisque enim ponit beatitudinem in eo quod diligit, et hoc pro Deo colit, quia, secundum *Augustinum*, hoc ab homine colitur, quod præ ceteris diligit.

5 RESPONSIO PETRI CHRISTUM ESSE FILIUM DEI CONFITENTIS. — Deinde exigit a discipulis propriam de se confessionem. unde *dicit illis* : *Vos autem*, ab aliis discreti, qui non estis de turba, sed mei discipuli *quibus datum est nosse mysterium regni Dei,... qui estis lux mundi et sal terræ,... quibus omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci,.... quem me esse dicitis?* Quasi diceret : Si alii errant opinione falsa de me; vos tamen non debetis errare, qui tamdiu mecum fuistis et meam doctrinam audistis, et miracula tanta vidistis. Respondit autem Petrus pro omnibus, scilicet pro se et pro aliis, quia omnes unum sciebant, et idem sentiebant; licet alii Apostoli etiam scirent, iste tamen, tamquam senior, ac princeps et caput aliorum, fit os totius collegii; ac præ omnibus et pro omnibus respondit,qui omnibus præesse et prodesse debuit. Ex quo patet quod præcipue ad Petri successorem pertinet certificatio dubitationum de fide, et de pertinentibus ad eamdem. *Petrus* igitur non a parentibus, sed a Patre cœlesti edoctus, Dei Filium et hominem videns, utrumque complexus est; ac veritatem divinæ et humanæ naturæ,id est verum Deum et hominem, in eodem supposito confitetur, *respondens* ergo *dixit : Tu es Christus Filius Dei vivi.* Quasi dicat : Tu es Christus, id est homo secundum quod unctus es oleo gratiæ præ participibus tuis, et sic confitetur ejus humanitatem, in qua unctus est oleo gratiæ præ aliis; et est Filius Dei naturalis scilicet, et non adoptivus, sicut alii, et per consequens ejusdem naturæ cum Deo Patre, et sic confitetur ejus divinitatem; et addit *vivi*, id est incommutabilis et æterni, quia Hebræi consueverunt vocare Deum vivum, ad differentiam et distinctionem falsorum deorum, qui non vivunt, quos, scilicet Gentes, vel de mortuis hominibus, vel de insensibili materia et substantia sibi instituerunt.

6 PROMISSIO IPSI FACTA. — *Respondens autem Jesus* Petro, et in Petro omnibus mercedem veræ confessionis promittens, *dixit ei : Beatus es Simon Barjona*, id est filius Joanna; Barenim idem est quod filius, Jona autem ponitur per diminutionem, pro Joanna, subtracta media syllaba; unde Barjona-hic accipitur, ac si filius Joannis diceretur, et propter hoc etiam Petrus quandoque Simon Joannis dicitur. Secundum *Chrysostomum*, hoc dicit, ut ostendat quoniam ita naturaliter est Christus Filius Dei, sicut Petrus, filius Joannæ, ejusdem substantiæ cum eo qui genuit. *Beatus*, inquam, *es*, propter confessionem veræ fidei, quæ ducit ad beatitudinem, *quia caro et sanguis non revelavit tibi*, id est non parentes tui, vel homo mortalis, aut humana doctrina istam veritatem, et tantum arcanum fidei te docuerunt; *sed Pater meus, qui in cœlis est*, et per consequens tota Trinitas, quia indivisa sunt opera Trinitatis. Ubi *Chrysostomus* : « Sermo iste convenit et ad omnes, ut singulis quibusque dicatur : *Beatus es, quia caro et sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus qui in cœlis est.* » Tu dicis, et verum dicis, quia ego sum Christus Filius Dei vivi. *Et ego* qui sum veritas immobilis, cujus dicere est facere, *dico tibi* pro te et pro sociis tuis : *Quia tu es Petrus* a me Petra dictus, id est confessor veræ petræ, qui est Christus, ac fide fortis, et doctrina stabilis. Merito, propter fidei fortitudinem et fidelem Christi confessionem, hoc nomen Petrus accepit, qui in petram Christum credidit. Simon quippe antea vocabatur; sed hoc nomen Petrus a Domino ei impositum est, ut Ecclesiam significaret. Quia enim *petra erat Christus, Petrus* est populus Christianus. Ideo addit : *Et super hanc petram*, quam modo confessus es, et quam tu modo in fidei fundamento posuisti, id est super Christum, *ædificabo Ecclesiam meam.* Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est. Huic sententiæ Apostolus concordans, ait : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Ac si dicat : Non est aliud fundamentum, nisi illa petra, quam Petrus posuit fundamentum, cum diceret : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Super hanc

enim petram ædificatur tota Dei Ecclesia. Item, *super hanc petram*, id est super hanc fidem et confessionem, seu hujus fidei et veritatis firmitatem, tamquam supra fundamentum firmum, *ædificabo Ecclesiam meam ; et portæ inferi*, quæ sunt suggestiones dæmonum, delectationes vitiorum, doctrinæ hæreticorum, tormenta ac blandimenta persecutorum, ac prava malorum opera, colloquia et exempla, quæ iter perditionis ostendunt, et ad tartara ducunt; *non prævalebunt adversus eam*, scilicet Ecclesiam sic firmatam, quia a fide et caritate Christi non separabunt eam. Ex quo patet quod Ecclesia consistit in illis personis in quibus est notitia et vera confessio fidei et veritatis.

7 Quid sunt claves regni cœlorum? — Deinde claves regni cœlorum se Petro daturum Dominus promisit, sed tunc non dedit; quia si statim dedisset, numquam in Petro pravitas confessionis, de qua statim subditur, vel error negationis, de quo in Passione dicitur, locum invenisset. Sicut autem pro omnibus Apostolis Petrus respondit, ita in eo omnibus claves regni Dominus promisit, dicens : *Et tibi*, qui præ ceteris confessus es, *dabo claves*, id est judicii potestatem, *regni cœlorum*, id est Ecclesiæ præsentis, quæ dicitur regnum cœlorum, quia, ad usum potestatis ejus digne ministratum, sequitur aditus vel clausio regni cœlorum. Unde ait *Beda:* « Claves autem ei non modo dantur, sed promittuntur; necdum enim fabricatæ sunt super incudem crucis, nec in eo sanguine temperatæ. Ego quoque istarum clavium ministerio, cum inactu perfectionis fuerint, adhuc in ardentis Passionis fornace, primo latroni et homicidæ aperiam januam paradisi; ut et tu in eo exemplo publicanos et meretrices intrare permittas. Tu enim super eos judicium exercebis, qui confitebuntur culpam, et exspectabunt pœnam. Et ideo habebis ordinariam jurisdictionem, et judiciariam potestatem, ad quod duo requiruntur: auctoritas cognoscendi vel arbitrandi de culpa; et potestas absolvendi vel etiam judicandi, quæ duo sub nomine clavium tibi dabo : » hæc *Beda*. Claves ergo regni cœlorum ipsam discretionem et potentiam nominat : discretionem qua dignos vel indignos discernat; potentiam vero, qua liget vel solvat. Clavis quippe est potestas quædam spiritualis supernaturaliter a Deo data et infusa, non innata et acquisita. Et dicit hic *Glossa*, quod duæ sunt claves, scilicet : scientia discernendi, ac potestas ligandi et solvendi. Unde sciendum quod sicut in sole potentia liquefaciendi et indurandi una est in radice, sed duæ in effectibus; sic tantum una est clavis in radice, sed duæ in effectibus. Clavis enim dicitur potestas judicandi in foro animarum, non corporum; potestas autem judicandi ex duobus integratur : ex potestate discernendi in causæ examinatione, et ex potestate diffiniendi in causæ determinatione, per sententiam condemnatoriam vel absolutoriam. Prima potestas dicitur hic scientia, non ut est habitus cognitionis, sed auctoritas et potestas discernendi et judicandi per scientiam præhabitam. Alia dicitur potentia admittendi ad regnum, vel excludendi, secundum verum judicium præhabitum; quia debent indigni excludi, et digni recipi. Unde *Bernardus :* « Petrus claves accepit in scientia et potestate sibi data desuper, et hæ claves sunt potestas aperiendi et claudendi, atque inter admittendos et excludendos discretio. » Deinde subjungit : *Et quodcumque ligaveris super terram*, id est ipso super terram vivente, *erit ligatum et in cœlis*, id est, cœlestis curia approbabit et confirmabit. *Et* similiter *quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* : hoc est, secundum *Glossam*, quemcumque indignum remissione judicaveris dum vivit, indignus apud Deum judicabitur; et quemcumque solvendum judicaveris dum vivit, remissionem a Deo consequetur. Hæc autem solvendi atque ligandi potestas, non soli Petro, sed et ceteris Apostolis data est a Domino; et non tantum Apostolis, verum etiam Episcopis et presbyteris, omnique Ecclesiæ. Ita tamen quod potestas

auctoritatis est in solo Deo, qui aperit per gratiæ infusionem; potestas excellentiæ in Christo, qui aperit per Passionis meritum; potestas ministerii in prælatis Ecclesiæ, qui aperiunt per sacramentorum ministerium.

8 Cur Petro specialiter claves regni cœlorum et principatum judiciariæ potestatis promittuntur? — Sed ideo Petrus specialiter claves regni cœlorum et principatum judiciariæ potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei vel societate illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec a vinculis peccatorum absolvi, nec januam regni cœlestis ingredi possunt. Et, secundum *Glossam*, specialiter eam potestatem Dominus Petro concessit, ut ad unitatem nos invitaret. Ideo enim eum principem Apostolorum constituit, ut Ecclesia unum principaliter Christi haberet vicarium, ad quem diversa membra Ecclesiæ recurrerent, si forte inter se dissentirent; quod si diversa capita essent in Ecclesia, unitatis vinculum rumperetur. Hic ergo Petrus eligitur Ecclesiæ prælatus; sed postea cum aliis Apostolis hanc promissam potestatem accepit, ubi Apostoli Episcopi sunt ordinati, quando post resurrectionem suam, Dominus insufflans in eos, dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*, etc. Sed pastorem omnium fidelium et Apostolorum principem, ac suum vicarium in tota Ecclesia præfecit, cum ei dixit: *Pasce oves meas*. Hæc prædicta Episcopi et prælati audiant, de munere gaudeant, de potestate non superbiant! Si enim sic ligaverint ut Petrus, si ita solverint ut Petrus; quidquid ligaverint ligatum erit, et quidquid solverint solutum erit. Imitentur ergo illum in discretione et in justitia, quem imitari volunt in ligandi ac solvendi potestate. Ideo enim hæc soli Petro dicta sunt, ut omnes alii se in illo quasi speculo videant, sic vivendo, sic ligando, sic solvendo, et a pace et concordia non recedendo. Non ergo præsumant quidquam contra justitiam et veritatem, attendentes verbum Apostoli dicentis: *Non enim possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate*. Et, secundum *Origenem*, sit irreprehensibilis qui alterum ligat vel solvit, ut inveniatur dignus ligare vel solvere in cœlo. Quodcumque ergo ligaverint vel solverint in terra juste et discrete, ac utraque clave cooperante et non errante, ligatum et solutum erit et in cœlo. Si tamen injuste agit prælatus, sententia illius, etsi ligat quoad Ecclesiam militantem, non tamen quoad triumphantem. Sed sive juste, sive injuste proferatur, sententia pastoris semper timenda est, ne forte culpa quæ non fit ex opere, fiat ex elatione. Unde *Gregorius*: « Sub magno moderamine pastores Ecclesiæ vel solvere studeant, vel ligare. Sed utrum juste vel injuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est; ne is qui subest, et cum injuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscrete timeat, vel ligare; is autem qui sub manu pastoris est, ligari timeat juste, vel injuste, nec pastoris judicium temere reprehendat, ne etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa quæ non erat, fiat: » hæc *Gregorius*.

9 Cur Apostolis præcipit Christus ne cui revelent hanc Petri confessionem? — *Tunc*, post confessionem discipulorum de Filio Dei factam in Petro dicente: Tu es Christus Filius Dei vivi, *præcepit* Jesus *discipulis suis, ut nemini dicerent*, et revelarent, *quia ipse esset Jesus Christus*, ut secundum quod ipsi de Christo intellexerant, aliis non prædicarent. Hoc præcepit Christus causa humilitatis, quia de se non magna, sed humilia prædicari voluit; et causa non impediendæ suæ Passionis, quia si prædicaretur et crederetur Christus, non crucifigeretur; et causa non scandalizandæ suæ congregationis, quia si primo immortalitas, et magna de eo prædicata fuissent, et postea pusilli, et adhuc infirmi in fide eum flagellari, crucifigi, et post multa ignominiosa morte mori vidissent, scandalizati de eorum prædicatione fuissent. Unde ista prohibitio fuit ad tempus, scilicet usque post resurrectionem; ne, si ante

Passionem prædicaretur, irritaretur fides in cordibus credentium propter futurum scandalum Passionis, sicut patet factum in ipsis Apostolis. Instabat enim tempus Passionis, tempus ignominiæ et ostendendæ infirmitatis; sed post resurrectionem, habita perfecta victoria mortis, erat tempus prædicandi gloriam suæ majestatis. Quando enim cessavit causa, scilicet scandalum Passionis, cessavit et effectus. Unde *Chrysostomus* : « Quia si manifeste esset agnitus Filius Dei, nemo ausus fuisset manus in eum injicere, et neque crucifixus fuisset, neque resurrexisset a mortuis : propterea adhuc infernorum regnum esset in terra, et dominatio diaboli totum mundum teneret. » Unde et *Ambrosius* : « Multis ex causis jubet tacere discipulos : ut fallat principem, ut declinet jactantiam, doceat humilitatem ; simul ne rudes et imperfecti adhuc discipuli majoris prædicationis molibus opprimantur. Prohibentur ergo discipuli eum evangelizare Dei Filium, ut evangelizent postea crucifixum. Hæc est fidei gloria, si vere intelligas crucem Christi. Aliæ cruces nihil mihi prosunt ; sola crux Christi mihi utilis est. Et vere utilis, *per quam mihi mundus crucifixus est, et ego mundo!* Si mihi crucifixus est mundus, scio quia mortuus est, et non diligo eum, scio quia præterit, et non concupisco eum, scio quia corruptela consumit hunc mundum ; et quasi fœtidum vito, quasi levem caveo, quasi nociturum relinquo : » hæc *Ambrosius*.

10 Gentilium et Judæorum ad fidem vocandorum modus diversus. — Modum autem alloquendi et ad Ecclesiam ac fidem vocandi, sive Gentiles, sive Judæos, describit hoc loco idem *Ambrosius*, dicens : « Cum aliqui ex Gentibus vocantur ad Ecclesiam, ita præceptorum seriem formare debemus, ut primo unum Deum auctorem mundi omniumque esse doceamus : *In quo vivimus, et movemur, et sumus ; cujus et genus sumus*, ut non solum propter munera lucis et vitæ, verum etiam propter cognitionem quamdam generis diligendus a nobis sit. Deinde opinionem illam quæ est de idolis destruamus, eo quod non possit auri argentique vel ligni materia vim in se habere divinam. Cum unum Deum esse persuaseris, tunc judicio ejus astrues per Christum nobis salutem datam, incipiens ab illis quæ gessit in corpore, etiam divina describens, ut plus quam homo videatur, victam hujus virtute mortem, mortuumque ab inferis resuscitatum. Paulatim enim fides crescit, ut cum supra homines fuisse videatur, Deus esse credatur. Nam nisi probaveris quod facere illa sine divina virtute non potuit, quemadmodum potes probare in eo vim fuisse divinam? Tali Athenienses informavit præcepto Apostolus ; talis nobis apud Gentiles ordo servandus est. — At vero, cum Judæos alloquerentur Apostoli, ipsum Christum esse dicebant, qui propheticis nobis esset promissus oraculis ; quem non prius cum auctoritate sua Dei Filium nominabant, sed virum justum, virum a mortuis suscitatum. Illum virum de quo dictum est in Prophetis : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ita ergo, et tu, ad ea quæ difficile creduntur auctoritate divini sermonis addisce ; et promissum ejus adventum Prophetarum voce designa ; resurrectionem quoque multo ante compertam Scripturarum testimoniis edoceto, non usitatam cum ceteris, ut in ipsa suscitati corporis assertione æternæ testimonium divinitatis acquiras. Cum enim ceterorum corpora corruptionem probaveris subiisse, post mortem ; hunc utique de quo dicitur : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, cum probas humanæ fragilitatis expertum, probas humanæ conditionis merita supergressum, Deo magis quam hominibus conferendum. Quia, si ad sacramenta fidelium tendens catechumenus imbuendus sit, dicendum ; quia unus Deus est, ex quo omnia, et unus Jesus per quem omnia, non duos Dominos esse dicendos ; perfectum quidem Patrem, perfectum esse Filium, sed unius Patrem et Filium esse substantiæ ; Verbum æterni Dei, non quod profertur, sed quod operatur, ex

Patre genitum, non voce editum : » hæc *Ambrosius*.

11 CHRISTUS APOSTOLIS PASSIONEM PRÆDICIT. — Ut autem Apostoli melius tenerent præceptum Domini, ne ante resurrectionem evangelizarent, simulque ne horrerent mortis periculum, si regni gloriam diligerent, prædixit eis tunc Passionem suam. *Exinde* enim *cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret*, id est conveniens esset, secundum ordinationem divinam, Filium hominis, scilicet *eum, ire Jerosolymam* ad operandum salutem in medio terræ; quia præordinatum erat a Deo Patre, quod ibi compleretur mysterium redemptionis nostræ. Unde istud oportet opem portat, opes apportat. Oportet, inquam, non propter sua, sed propter nostra peccata; et ideo a Psalmista dicitur : *Quæ non rapui, tunc exsolvebam*. Et est notabile, quod ipse loquens de sua Passione nominat se Filium hominis, non Filium Dei; quasi vellet dicere quod passurus erat, non secundum naturam divinam, sed secundum humanam. Modus autem nostræ redemptionis subjungitur, cum dicitur : *Et multa pati*, factus enim fasciculus myrrhæ, id est cumulus amaritudinis, quia ex multis passionum generibus compositus est myrrhæ fasciculus. *Multa*, inquam, *pati*, quia : comprehendi, colaphizari, conspui, accusari, denudari, spinis coronari, flagellari et reprobari; *a senioribus*, qui debebant habere præeminentiam vitæ, *et Scribis*, qui videbantur habere prærogativam scientiæ, *et principibus sacerdotum* qui habebant excellentiam auctoritatis et potentiæ, quia ab istis judicatus est ad mortem et Præsidi traditus; *et occidi* in cruce a Gentibus, quæ eum crucifixerunt propriis manibus ; *et tertia die resurgere*, tamquam virtute propria, non suscitari potestate aliena, quod dixit, ne nimis de ejus morte tristarentur, et sic spe resurrectionis confortarentur. Ad hoc ignominiam suæ Passionis, et suæ resurrectionis gloriam prædixit, ut suo exemplo timorem passionis tolleret, et eos ad considerandum suæ resurrectionis gloriam elevaret. Ubi *Hieronymus* : « Est autem sensus : Tunc me prædicate, cum ista passus fuero; quia nunc non prodest Christum publice prædicare, et ejus vulgare in populis majestatem, quem post paululum flagellatum visuri sunt et crucifixum. »

12 QUO SENSU PETRUS VOCATUR A CHRISTO SATANAS ET SCANDALUM? — *Et assumens eum Petrus* seorsum, et ducens separatim, ne coram aliis videretur arguere Magistrum, *cœpit increpare illum* amantis affectu *dicens : Absit a te, Domine*, sic pati; *non erit tibi hoc*, scilicet quod intereat Filius Dei vivi. Quasi diceret : Indecens est quod tu, Dominus majestatis, tam ignominiose patiaris. Increpavit Petrus Dominum potius quam ceteri, quia non vult confessionem suam destrui, nec putat Filium Dei posse occidi vel mori; vel potius, propter fervoris amorem hoc fecit, quo præ ceteris ardebat. Et bene assumpsit eum Petrus secreto relinquens nobis exemplum similiter arguendi majorem, quia inferior non debet in publico arguere superiorem : *Qui*, Dominus scilicet *conversus*, id est facie versa ad Petrum quem præcedebat, ut sic conversus eum aspiceret, et efficacius argueret, *dixit Petro*, arguendo ipsum : *Vade post me* conformitate voluntatis; et retro, non contra me, *Satana*, id est adversarie et contrarie; quia meæ voluntati et viæ salutis communis adversaris, et contraria loqueris : Satanas enim interpretatur *adversarius* sive *contrarius*. Quasi diceret : Non adverseris mihi, sed applica voluntatem tuam meæ voluntati; et noli impedire Passionem meam, sed magis sequere, et post me eundo vestigia mea imitare. Ubi ait *Origenes* : « Beatus autem ad quem convertitur Christus, etiamsi corripiendi causa convertitur ! » Et subjungit Dominus : *Scandalum es mihi*, id est das mihi occasionem offensionis, et me offendis, *quia* in isto facto *non sapis ea, quæ Dei sunt*, dispositionem Dei de mea Passione considerando, *sed ea, quæ hominum*, qui præsentia appetunt humane pro me zelando, et me affectu humano diligendo. Ergo sapere debemus non humana, sed

divina; non carnalia, sed spiritualia; non terrena, sed cœlestia. Nam, ut dicit idem *Origenes* : « Omnem discipulum peccantem, scandalum sibi appellat. » Petrum autem, quem Dominus ante ita magnificaverat, Satanam vocavit, eo quod propter amorem carnalem quem ad Dominum habebat, dissuasit ei de sua Passione, ut non fieret. Maximi namque ardoris et amoris legimus fuisse Petrum in Dominum Salvatorem nostrum. Ut enim legitur in itinerario Clementis, Petrus adeo afficiebatur ad Christi corporalem præsentiam, quam ferventissime dilexerat, quod post Christi ascensionem quotiescumque dulcissimæ præsentiæ ac societatis et allocutionis Christi, et sanctissimæ conversationis memor erat, totus in lacrymas resolvebatur; ita ut genæ ejus adustæ lacrymarum fluxu viderentur. Ex zelo igitur Christi volebat impedire ejus Passionem; et quia iste zelus erat indiscretus, nam Christi Passio erat a Deo præordinata ad humani generis salutem, ideo duram meruit reprehensionem. Quia ergo affectum non regulavit, ut vellet quod Christus volebat; et voluntatem suam non conformavit voluntati divinæ, cui adversari videbatur, merito reprehenditur, et Satanas, id est adversarius, appellatur. Hoc ergo exemplo Domini habeas et tu pro adversariis omnes qui pro corporali alleviatione et consolatione a bono et exercitio spirituali te vellent retrahere. Sicut autem Petrum quem ante probavit hic increpat; sic nemo ob bona prius facta immunis sit a correptione, propter mala quæ facit.

13 In cruce Domini gloriandum. — Non est ergo in cruce Domini verecundandum, sed potius gloriandum, quia est nostræ salutis signum et bonorum nostrorum principium. Unde *Chrysostomus* : « Ut coronam, ita circumferamus crucem Christi. Etenim omnia quæ secundum nos sunt, per ipsam perficiuntur : et si regenerari oporteat, crux accedit ; et si pasci mystico illo cibo, et si consecrari, et quodcumque aliud facere, ubique symbolum, id est signum victoriæ nobis assistit. Propter hoc et in domo, et in muris, et in januis, et in fronte, et in mente cum multo inscribimus id studio ; salutis enim quæ pro nobis est, hoc est nostrum signum. Quando igitur signaris, excogita omnem conditionem crucis, vel causam ; non enim simpliciter digito insigniri eam oportet, sed cum multa fide ; et nullus prope te stare poterit immundorum dæmonum, videns ensem et gladium in quo plagam et pestiferum vulnus accepit, et arma per quæ omnem virtutem ejus Christus solvit. »

ORATIO

Domine Jesu Christe, quem beatus Petrus verum Dei Filium est confessus, te quoque, ego indignus, toto corde et ore confiteor, quia tu es Christus Filius Dei vivi æterni ; et rogo te, Domine clementissime, da mihi ut opere te confitear, et factis non negando fidelis inveniar, quatenus benedictionem tuam consequar cum Petro, ac firmus in fide et opere permaneam cum ipso. Da etiam mihi, Rex meus et Deus meus, ut conformitate voluntatis te sequendo beneplacitum tuum in omnibus perficiam, ac omnimode ab offensa tua abstineam; et sic usque in finem, te largiente, perseverem. Amen.

CAPUT II

DE EXHORTATIONE AD SEQUENDUM CHRISTUM ET SUÆ PASSIONIS EXEMPLUM.

Matthæi cap. XVI et Lucæ cap. IX.

1 Invitum non vult Dominus. — Postquam Dominus discipulis mysterium suæ Passionis secreto prædixit, convocat turbam cum eis; et tam ipsos discipulos quam omnes, ad sui imitationem et passionis tolerantiam invitat. Quasi diceret : Nolite prohibere passiones, quia oportet sustinere eas omnes salvari volentes. Et ideo hic ad omnes generaliter loquitur et omnes hortatur, quia imitatio Passionis ad omnes pertinet, vel per martyrium, vel per pœnitentiam. Unde *discipulis suis dixit : Si quis,* quod notat varietatem, *vult post me venire,* per affectum interiorem, per imitationem exteriorem, ad Patrem superiorem ; et bene dicit vult, quia neminem cogit, sed consulit, et unumquemque suo arbitrio relinquit, ut servitium sit gratius Domino, et præmium sit gratius servo. Unde *Chrysostomus :* « Cum autem Salvator sit pius et benignus, nullum invitum aut coactum habere vult famulum, sed spontaneos et gratias agentes ei pro famulatu. Et ideo neminem cogendo, aut necessitatem imponendo; sed persuadendo et benefaciendo universos volentes attrahit. » Et iterum : « Si quis aurum daret, aut thesaurum exponeret, omnes currerent; multo magis ad ea quæ sunt in cœlis : » hæc *Chrysostomus.* Et subdit Dominus : *Abneget semetipsum* per propriæ voluntatis renuntiationem; non tantum sua vel suos, sed suum intellectum, suum affectum, suum sensum; *et tollat crucem suam,* per mortificationem corporis sui, per compassionem proximi, et, si necesse fuerit, per sustinentiam martyrii ; *et sequatur me,* scilicet me habens lucem in intentione, contra favorem humanum; me sequens ducem in operatione, contra errorem diabolicum; me exspectans mercedem in remuneratione, contra temporale commodum. Rectus ordo, ut, qui vult sequi Dominum primo abneget semetipsum et sic tollat crucem, ut primo voluntas ejus sit prompta ad omnem miseriam sustinendam. Et notandum quod primus homo tria perdidit per peccatum, scilicet : libertatem, felicitatem et dignitatem, quæ tria docet hic Dominus per tria recuperare : libertatem, cum dicit : *Abneget semetipsum;* felicitatem, cum subdit : *Et tollat crucem suam;* dignitatem, cum addit: *Et sequatur me.* Vel, abneget semetipsum in prosperitate et, malum declinando; tollat crucem suam in adversitate, et bonum operando; et sequatur me vitæ conformitate, et in Deum omnia ordinando. — In verbis autem Domini prædictis excluduntur sex genera pœnitentiæ inutilis : et est prima violenta contra quod dicit : *Si quis vult post me venire*; secunda diminuta, quando scilicet homo dat sua Deo, et se mundo, contra quod dicit : *Abneget semetipsum;* tertia delicata, quia sic volunt aliqui facere pœnitentiam, ut nullam sentiant afflictionem, contra quod dicit : *Et tollat crucem;* quarta mutuata, quando aliqui gloriantur de passionibus patrum, vel fratrum suorum, ipsi vero nihil talium faciunt, contra quod dicit : *Suam,* non alienam; quinta momentanea, quando aliqui una die abstinent, et aliis diebus deliciis vacant, contra quod dicit in Luca : *Quotidie*; sexta simulata, quæ est hypocritarum, contra quod dicit : *Et sequatur me,* non vero favorem mundi.

2 Prima perfectio vitæ Christianæ : abnegatio. — Si quis etiam vult post me venire, hoc est, si quis vult attingere perfectionem vitæ Christianæ, faciat ea quæ sequuntur, videlicet : Abneget semetipsum et tollat crucem suam, et sequatur me. Ubi tria exprimuntur, in quibus perfectio vitæ Christianæ consistit. Primum est sui abnegatio; secundum est crucis portatio; tertium, vitæ Christi imitatio. Quantum ad primum, sciendum quod ad sequendum Christum oportet hominem tria abnegare, scilicet : sua, secundum illud : *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; et suos, secundum illud : *Si quis venit ad me, et non odit patrem*, etc., *non potest meus esse discipulus*; ac semetipsum, secundum quod hic dicitur : *Abneget semetipsum*, scilicet vetustatem et peccata abjiciendo, et ad meliora mutando, ut desinat esse quod erat, et incipiat esse quod non erat, et alter ex altero efficiatur; ac voluntatem propriam abnegando, quod plus est, quam abnegare res ipsas et abjicere. Unde *Prosper* : « Quid eis prodest quod facultates suas abjiciunt, qui voluntates proprias non relinquunt? cum sit longe præstantius voluntatibus propriis renuntiare, quam rebus hujuscemodi. » Ergo abnegatio debet fieri, omnibus desideriis carnis et mundi concupiscentiis perfecte reluctando, et in bonis actibus nullam complacentiam propriam vel humanam captando, sed solum divinum honorem in omnibus quæ agimus intendendo, ut sic veraciter possimus dicere cum Christo : Veni, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.

3 Secunda perfectio : crucis portatio. — Quantum ad secundum, sciendum quod crucem tollere tripliciter potest intelligi, scilicet : per carnis mortificationem, per proximi compassionem, per martyrii sustinentiam. Unde *Hilarius* : « Sequendus est Dominus, cruce assumpta etiam Passionis, etsi non sorte, tamen voluntate comitandus est. » Unde et *Maximus* Episcopus : « Duo abstinentiæ et crucis sunt genera : unum corporale, scilicet a delectationibus, et ab aliis quæ decipiunt sensus viriliter revocare, atque violenter abstrahere et coercere; aliud spirituale, quod est speciosum et sublimius, scilicet motus animi regere, et perturbationes illius placare, impetus vitiorum refrenare, et contra ea quotidie litigare, ac rixam quodammodo, cum interiori homine conserere : » hæc *Maximus*. Hoc etiam de cruce tollenda potest et aliter exponi dupliciter. Uno modo de cruce corporali, et sic convenit martyribus, et per hanc crucem intelligitur omne genus martyrii, scilicet mortis; et cujuslibet alterius pœnæ vel periculi pro Christo sustinendi animi tentatio et præparatio. Tunc enim, secundum *Augustinum*, crucem nostram tollimus, quando pœnalitates quaslibet pro Christo voluntarie assumimus. Alio modo exponitur de martyrio spirituali, quod convenit religiosis, et perfectis, de quo martyrio dicit Apostolus : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*, id est, secundum *Glossam*, mundi concupiscentiæ non habent in me dominium, nec mundus jam mihi se ingerit, et ego contra eum sum fortis. Et nota quod non sine causa utrumque dixit, scilicet : sibi mundum crucifixum, et se mundo. Plerumque enim contingit, ut homo mundum non teneat, sed tamen mundus eum in suis occupationibus astringit; et mortuus est homo mundo, et mundus eum quasi vivus concupiscit, dum in alio intentum in suis actibus rapere contendit. Sed, secundum *Gregorium*, nec Paulus a mundo gloriam quærebat, nec ipse a mundi gloria quærebatur; ideo bene et se mundo et sibi mundum esse crucifixum gloriabatur. Sunt autem tria in mundo, quæ nobis debent esse crucifixa, et nos eis; quia, ut dicit Joannes : *Omne quod est in mundo*, aut *est concupiscentia carnis*, aut est *concupiscentia oculorum*, aut est *superbia vitæ*. Horum trium crucifixio fit per tria vota religiosorum, qui vere martyres sunt spirituales : primum ergo martyrium consistit in temporalium voluntaria

relictione; secundum in concupiscentiæ carnis reluctatione, et quanto fortior fit ista pugna, tanto gloriosior victoria martyrii; tertium in propriæ voluntatis abdicatione, quia, secundum *Gregorium*, per obedientiam mactatur voluntas propria, et per victimam caro aliena; et ideo *obedientia* dicitur *melior quam victima.*

4 Tertia perfectio : imitatio Christi triplici, qua nos præcessit, via. — Quantum ad tertium, de vitæ Christi imitatione, sciendum quod Christum sequi nihil aliud est quam ejus vestigia imitari, et ejus vitæ conformari. Ipsum autem imitari debemus triplici via, qua nos præcessit, videlicet: paupertatis, humilitatis atque asperitatis. Christus enim, in suo ingressu nobis reliquit exemplum sincerrimæ paupertatis, in progressu exemplum profundissimæ humilitatis, sed in egressu exemplum acerbissimæ pœnalitatis. Et, quia in his tribus debemus Christi vestigia sequi, ideo ad jugem eorum memoriam nos invitat, dicens : *Recordare paupertatis meæ*, quantum ad primum; *et transgressionis meæ*, id est profundissimæ humilitatis, quantum ad secundum; *et absinthii et fellis,* id est amarissimæ Passionis, quantum ad tertium. Et nota, quod omnia, in quibus devoti sectatores perfectionis Evangelicæ Christum debent imitari, et ejus similitudini conformari, possunt et hoc modo ad tria reduci, scilicet secundum tria bona quæ a Deo recepimus : ut sunt res exteriores, corpus proprium, et ipsa anima; quæ omnia oportet relinqui propter Deum, si volumus ipsius Christi esse perfecti imitatores. — Perfectus enim Christi imitator primo, debet relinquere mundum, et omnes res temporales; et etiam cum hoc omnium terrenorum occupationem et sollicitudinem penitus debet postponere. Hoc autem fit per voluntariam paupertatem, quam Christus altissime servavit, quia in tota vita sua pauperrimus fuit. — Secundo, debet relinquere corpus, quod quidem relinquitur tribus modis : primo, per carnis macerationem, per quam corpus vigiliis, jejuniis et orationibus atteritur, ne caro lasciviat, et contra spiritum se erigere pertinaciter non præsumat; secundo, per temporalis commodi abjectionem, quia *qui* nimis *delicate nutrit servum suum,* scilicet corpus suum, *postea sentiet eum contumacem*, et ideo debet semper in rigore teneri, ut magis subjiciatur spiritui; tertio, per pœnalitatum voluntariam perpessionem, sicut Apostoli et martyres, qui pro Christo voluntarie sunt passi : et omnia ista Christus fecit, et semetipsum in exemplum dedit. — Tertio, debet relinquere animam suam, per propriæ voluntatis abdicationem, ut voluntatem suam divinæ voluntati ita conformet, quod nihil aliud velit, nisi solum illud quod divinæ voluntati beneplacitum fuerit; hoc enim fecit ipse Christus, qui dixit: *Veni, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Unde ad voluntatem divinam ita habeas regulam et mensuram omnium actionum tuarum, sic quod in omnibus actionibus et desideriis tuis, nihil concupiscas, nisi quod honor Dei in te amplietur, et in omnibus aliis creaturis.

5 Mors spiritualis, ad Christi exemplum, gradibus quinque perficitur. — Sed est sciendum, quod nullus potest vivere vita Christi, nisi etiam moriatur morte Christi; ideo sicut Christus, per hoc quod ex nimia caritate se assumptioni nostræ carnis inclinavit, seipsum exinanivit, et per consequens claritati divinæ qua Patri consubstantialis existit, quodammodo mori voluit; ita quilibet ad istam perfectionem tendens debet per veram humilitatem et plenarium contemptum sui mori sibiipsi, seipsum usque ad nihil dejiciendo, et seipsum nihil reputando, ut vivere possit soli Deo. Homo enim ad perfectionem tendens debet seipsum, hoc est quod videtur habere a seipso, nihil reputare; quod autem habet a Deo, puta dona Dei, quibus conformatur vitæ Christi, debet summe reputare, et cum summa diligentia custodire, ut vere possit dicere cum Apostolo : *Vivo autem, jam non ego*; *vivit vero in me Christus.* Unde de talibus mentibus perfe-

ctis, sic mortuis sibiipsis, dicit Apostolus : *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo, in Deo.* Signanter autem dicit : *Et vita vestra abscondita est cum Christo, in Deo*, quia vita illa, qua mens per amorem continuum et beatificum perfecte unitur Deo in patria, illa est in præsenti abscondita; quoniam propter necessitatem mortalis vitæ, talis amor continuus, et non interruptus, in præsenti vita haberi non potest. Sed hoc evidenter apparebit in vita beata, ubi objecto beatifico continue fruemur, et in solo Deo jugiter delectabimur, propter quod bene subditur : *Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria.* Est autem sciendum, quod mors ista spiritualis, qua homo per contemptum sui moritur sibi, quibusdam gradibus perficitur : primus est. quod homo per humilitatem reputet se omnibus viliorem; secundus est, quod hoc verbis propriis fateatur; tertius est, quod etiam ab aliis dici æquanimiter patiatur; quartus est, quod homo æquanimiter ferat cum ab aliis contemptibiliter tractatur; quintus est, quod homo non solum non doleat, sed etiam diligat quod ab aliis contemnatur. Et omnes isti gradus propriæ despectionis perfecte relucebant in Christo. Sequamur ergo et imitemur non diabolum, ut ambitiosi et superbi; non mundum, ut cupidi et avari; non carnalem appetitum, ut voluptuosi et lubrici; sed Dominum Jesum Christum. Qui enim Deum non sequitur, ei quidem neque se abnegare, neque crucem tollere prodest. Vis sequi Christum? Sis Deo obediens, et proximum diligens; ac propter Deum omnia sustineas et facias; et malum declinando, circa virtutes insistas : hac enim via Christus incedit; per hanc ergo viam ambula, si vis eum sequi in vita præsenti, et cum eo gaudere in patria. Sed, heu! pauci hodie Dominum sequi volunt; et tamen multi ad eum pervenire cupiunt. Unde *Bernardus* : « O quam pauci post te volunt ire, Domine, cum tamen pervenire ad te nemo est qui nolit! Conregnare cupiunt, sed non compati; non curant quærere quem tamen desiderant invenire; cupiunt te consequi, sed nolunt sequi; optant extrema justorum, non curantes principia eorum. »

6 Anima perdenda, ut tollatur primum perfectionis impedimentum. — Et, quia Dominus monuit ad sustinendum pro confessione fidei martyrium, consequenter tollit hujus confessionis triplex impedimentum. Et primo primum, quod est nimius amor suiipsius, dicens : *Qui enim voluerit animam*, id est animalitatem *suam*, scilicet vitam præsentem alimoniis indigentem, *salvam facere*, id est in præsenti custodire, martyrium declinando, vel corpus in pœnitentia non macerando, hoc est potius salvare tempore persecutionis quam me confiteri, scilicet eligens potius Deum offendere, quam pro eo mori, vel tempore pacis delicate servare, potius quam per pœnitentiam affligere; *perdet eam* in futuro, scilicet vitam vel animam, et pro vita momentanea incurret mortem æternam. Unde fugiendo mortem, incurret mortem; et servando vitam, amittit vitam. Et subdit : *Qui autem perdiderit animam suam*, id est animalem et præsentem vitam, perditioni et morti si necesse est exponendo, eligens potius pro Deo mori, quam eum offendere, vel per pœnitentiam se affligendo, eligens potius sic Deum placare, quam se delicate fovendo ipsum magis irritare; et hoc non propter mundi vanitatem, vel erroris defensionem, aut desperationem, sed *propter me*, id est antequam contra mea faciat mandata, *inveniet eam* in futura gloria, et pro vita mortali inveniet æternam. Istud dictum Domini de anima et vita salvanda, et perdenda, simile est, secundum *Gregorium*, ac si diceretur agricolæ : Frumentum si servas, perdis; si seminas, renovas. Igitur, ut dicit *Cassianus* : « Væ carni, quæ hic superata non fuerit! Nam quæ in hac conversatione vincitur, illic sine dubio coronatur. » Unde ait *Bernardus* : « *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.* Et quidem prudentius eam perdis ut custodias, quam custodis ut perdas.

Quid hic vos dicitis observatores ciborum, morum neglectores? Hippocrates et sequaces ejus docent animas salvas facere in hoc mundo; Christus et ejus discipuli, perdere. Quemnam vos ex duobus sequi magistrum aut servum eligitis? Epicurus atque Hippocrates, alter corporis voluptatem, alter bonam habitudinem præfert; meus Magister utriusque rei contemptum prædicat. Quid enim tibi aliud sonuit cum clamatum est : *Qui amat animam suam, perdet eam?* Perdet autem dixit, sive ponendo, ut martyr, sive affligendo, ut pœnitens. Quamquam martyrii genus sit, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius; sed diuturnitate molestius : » hæc *Bernardus.*

7 Lucrum terrenum detestandum, ut tollatur secundum. — Deinde tollit secundum impedimentum, quod est nimia cupiditas lucri, et desiderium terrenorum, dicens : *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur*, de quo nihil secum moriens portare poterit, nisi peccatum, imo, quanto plus acquisivit de mundo, tanto plus acquisivit de inferno; unde in Apocalypsi dicitur : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*; et post tale lucrum, *animæ suæ detrimentum patiatur*, scilicet amittendo gloriam, incurrendo pœnam æternam, et perdendo humanam substantiam? Quasi diceret : Nihil proficit, imo per talia multum perdit, scilicet id quod est immortale et divinum in eo; et ideo anima, cum sit immortalis, præponenda est omnibus corruptibilibus et transitoriis; nam anima rationalis, imagine Trinitatis insignita, pretiosior est cunctis terrenis et ideo stultus est qui plus pecuniam quam semetipsum diligit : quod facit qui propter illam tormentis æternis se exponit. Unde nimis stultus est avarus, imo pejor quam diabolus : quia avarus plus diligit nummum, quam animam suam vel aliorum; sed diabolus plus diligit unam animam, quam totum mundum. Quapropter dixit Christo præsumens decipere eum : *Hæc omnia tibi dabo*, scilicet mundum istum, *si cadens, adoraveris me.* Et ideo, ut dicit *Origenes*, duobus propositis, magis est eligendum ut mundum perdamus, et lucremur animas nostras. Unde et *Ambrosius* ait : « Valde timendum est, ne propter avaritiam pecuniæ, vel propter amorem carnalis vitæ salutem animarum quærere negligamus; quia nihil prodest lucrificare temporalia, si perdantur æterna. » Et dat *Chrysostomus* exemplum : « Si egens in ultimis malis positus videres servos in lascivia agere, quod lucrum æstimares te eorum dominum esse? Sic quid lucratur anima tua misera, carne lasciviente, si futuram damnationem exspectat? » Sed magna, heu! hodie cæcitas et amentia in hominibus reperitur; quia, secundum *Augustinum*, si quis argentum auro præponit, dementissimus judicatur; si vero aurum Deo præponit, a nullo reprehenditur. Exponit etiam prædictum Domini verbum de illis qui animas aliorum lucrari volunt, et proprias negligunt. Unde *Chrysostomus* : « Si alterius sollicitus contemnas te, similis es eis qui metalla fodiunt et necantur. » Et quia posset aliquis dicere : Etsi animam perdam, tamen ex multis quæ lucrabor, eam redimam, quod falsum est, subjungit : *Aut quam commutationem*, id est redemptionem, *dabit homo pro anima sua*, scilicet damnata? Quasi diceret : Si pro ea totus mundus daretur, non per hoc liberaretur. Et ideo, non potest comparari lucrum mundi ad detrimentum animæ, per quod homo perdit eam et vitam æternam. Nam, perditis divitiis, possunt per alias divitias compensari, et si mors infligitur, potest compensari per vitam immortalem, quæ in resurrectione exspectatur; sed si anima per culpam perdatur, non exspectes in alia anima recompensari, quia non poteris aliam animam, sed neque aliquid aliud, quasi commutationem pro ea dare, ut liberes eam de æterna morte. Deus autem pro animabus hominum dedit commutationem, sanguinem Filii sui pretiosum. Perdenda est igitur anima et vita præsens, in hoc seculo, propter Dominum; non

salvanda propter lucrum et desiderium terrenum. Quapropter, ut dicit *Augustinus*, voluntarie nunc pro Christo postponamus quandoque dimittenda, ne, quod absit! pro transitoriis amittamus æterna. Si enim tibi diceretur : Sis toto hoc mense dives et potens, et fac quidquid velis, utere carnis voluptatibus sicut placet ; ea tamen conditione, ut oculi tui postea eruantur, omne solatium tollatur, totoque tempore vitæ tuæ in fame et siti, in omni cruciatu et omni miseria vivas ; numquid illud tale bonum hoc tenore susciperes? Et quidem tota hæc vita nec mensis est nec unius diei vel horæ spatium, ad illius æternæ infelicitatis comparationem, cujus miseriæ neque finis est, neque pœna similis invenitur. Unde *Isidorus* : « Si haberes sapientiam Salomonis, si pulchritudinem Absalonis, si fortitudinem Samsonis, si longitudinem Enoch, si divitias Crœsi, si potestatem Theboinam ; quid prodesset tibi si, tandem caro daretur vermibus, anima dæmonibus, cum divite crucianda sine fine? Quasi diceret : Nihil. » Duo quippe sunt tempora Ecclesiæ : unum persecutionis, et tunc antequam Deum negemus ponenda est anima, et præsens vita ; aliud pacis, et tunc frangenda sunt desideria terrena et lucra contemnenda. Nulla ergo mundi adversitas animam tuam frangat, nulla prosperitas alliciat, nulla fallacia seducat a præceptis et mandatis Dei, et a caritate quæ est in Christo Domino nostro. Omnibus modis et in omnibus debemus semper bene placitum Dei facere, et ab offensa ejus abstinere.

8 Pudor seculi amovendus, ut tollatur tertium. — Deinde tollit tertium impedimentum ad confitendum fidem Christi, quod est pudor seculi. Nam, secundum *Gregorium*, sæpe ex humana verecundia præpedimur, ut rectitudinem quam servamus in mente, nondum exprimere valeamus in voce ; et tanto Dei faciem ad justitiæ defensionem negligimus, quanto humanas facies contra justitiam veremur. Et, secundum eumdem, sunt qui dicunt : Nos non erubescimus Deum confiteri, sed ad professionem fidei non sufficit vox professionis Christiani, dum verentur a proximis despici, dum dedignantur injurias tolerare, dum erubescunt, si jurgium contigerit, priores satisfacere. Hoc ergo impedimentum tertium tollit Dominus : primo, ex fructu ; secundo, ex pœna, quia Christus confitentes confitebitur et recognoscet, et erubescentes erubescet, id est non cognoscet eos de suis, in secundo suo adventu et judicio, cum venerit in majestate sua, scilicet humana, id est in forma humana glorificata, et Patris, id est majestate divina, quæ sibi et Patri est communis, quam tamen habet a Patre suo, et sanctorum Angelorum, qui apparebunt cum eo. Tunc enim erubescet infideles, ignorabit fatuas virgines, et objurgabit immisericordes. Unde patet, et quod non solum judicabit Filius in forma deitatis ; sed etiam Pater et Filius, et Spiritus Sanctus, quorum est una majestas : in forma tamen visibili solus Filius apparebit, ut ex hoc solus Filius hominis judicare dicatur. Indivise itaque judicant Pater et Filius nec non et Spiritus Sanctus. Verum, quia potentia sapientiæ cedit in discretione judicii, ubi æquitas magis est examinanda, et considerandum quid cuique debeatur pro meritis, quamvis et potentia sit exercenda, nec bonitas subtrahenda ; ideo specialiter discrimen judicii attribuitur sapientiæ, quia judicium est per sapientiam divinam, sapientia autem tota communicatur Filio, et ideo etiam solus Filius dicitur judicare. Tempore ergo persecutionis, non erubescat Christianus fidelis pro Christo affligi, et si opus fuerit morte affici, ac substantiis nudari, et honoribus dejici. Tempore vero pacis, cum vitia maxime subrepunt, carnem refrenet ne lasciviat, et pro Christo non vereatur a proximis despici, injurias verborum pati et prior proximo satisfacere, ut veraciter probetur sequi humilitatem capitis sui, et ipsum confitens mereatur ab eo recognosci.

9 Christus discipulos consolatur ipsis prædicendo quia tristibus læta succedent. — Et ne ad abnegandum se, et tollendum crucem auditores

terreantur, ideo tristibus læta subjungit, dicens : *Filius enim hominis*, id est Virginis, qui ita se vocat propter sui humilitatem, propter carnis veritatem, propter Matris puritatem, sive integritatem, *venturus est* ad judicandum orbem, *in gloria Patris sui cum Angelis suis*, in forma enim gloriosa judicabit, et qui prius venit humilis, venturus est per manifestationem gloriæ et virtutis; *et tunc reddet*, sine temporis dilatione, *unicuique*, sine personarum acceptione, ubi non persona, sed opera considerantur; unde sequitur, *secundum opera ejus*, sine diminutione, justis quidem præmium, scilicet gloriam animæ et corporis; aliis autem supplicium, scilicet pœnam utriusque. Hic est locus merendi et liberandi animam; ibi mittendi et recipiendi, secundum merita. Ambula hic, dum lucem habes, ne ibi tenebræ te comprehendant. Suscipe hic mortem, ut ibi suspicias vitam immortalem. Noli timere, quia tristibus læta succedunt. Times mortem, audi gloriam triumphantis; vereris crucem, ausculta Angelorum ministeria. Attende et hic verbum *Bernardi*, qui dicit : « Vis scire quæ debeas Jesu Christo? Debes ei vitam tuam ; quia ipse vitam suam posuit pro tua. » Et quia rudes erant Apostoli, ne eum sic venturum dubitarent, et fatigati exspectatione deficerent, promittitur in præsenti consolatio, ut citius credant de futuro. Unde bonus Magister, ne discipuli desperatione frangantur, aut tædio, subjungit, eos consolando : *Amen dico vobis*, ut securi de hoc sitis, *sunt quidam de hic stantibus* discipulis, *qui non gustabunt mortem* temporalem, quæ est quidam gustus respectu mortis æternæ, vel gustus dicitur, quantum ad bonos, qui non permanent in morte; *donec videant*, oculis corporalibus, *Filium hominis venientem in regno suo*, id est in ea claritate regni, quam habebit cum ad judicandum veniet, ut qualis est venturus postea, præsenti quoque tempore demonstretur et appareat : hoc est donec videant similitudinem gloriæ quam corpora electorum, qui eum nunc confitentur, habebunt in Ecclesia triumphante, ut per hoc speretur æterna futura in re. Unde, secundum *Glossam*, in corpore mortali ostendit eis non immortalitatem, sed claritatem futuræ immortalitati similem; et ita sensus est, donec videant regnum Dei, id est imaginationem gloriæ regni Dei. Cum Christo hic stantes sunt in statu gratiæ, qui pro ipso patienter passiones sustinent; et isti mortem culpæ vel gehennæ non gustant, sed cum ipso ad gloriam æternam transeunt. Hanc piam promissionem eis fecit, ut, per visam gloriam futuræ resurrectionis et contemplationem gaudii manentis, adversa transeuntis seculi fortius ferenda animaret. Visionem autem promissam distulit, ut eam vehementius desiderarent, et desideratam magis acceptarent, atque gratam haberent.

ORATIO

Domine Jesu Christe, da mihi ut meipsum sic abnegem, quod, in prosperitate et in omnibus quæ temporaliter delectant, a malo declinem, et nihil nisi honorem tuum quæram; meæque voluntati renuntians, tibi et propter te omni creaturæ obediam. Da etiam mihi, ut tollam crucem meam, afflictiones et pœnalitates per me voluntarie assumendo, et ab aliis illatas patienter sustinendo, ac proximis in necessitatibus compatiendo, et in omni adversitate bonum facere non desistendo. Da etiam mihi, ut te sequar, vestigia tua imitando; et tuæ vitæ me conformando, post te veniam ad supernam patriam pertingendo. Amen.

CAPUT III

DE TRANSFIGURATIONE DOMINI.

Matthæi cap. XVII, Marc. cap. IX et Lucæ cap. IX.

1 PRÆAMBULA TRANSFIGURATIONIS DOMINI. — Deinde quod jam supra promisit solvit, cum dicitur : *Et post dies sex*, secundum Matthæum, non numerando extremos; vel *post fere dies octo*, secundum Lucam, numerando diem primum quo promisit, et ultimum quo solvit; *assumpsit Jesus secum Petrum, et Jacobum, et Joannem, et duxit illos seorsum in montem* valde *excelsum*, scilicet Thabor, quarto milliario a Nazareth contra Orientem, *ut* ibidem *oraret*. Matthæus et Marcus ponunt tantum dies medios, sed Lucas etiam extremos. Illi sex, quia post sextam mundi ætatem animæ Sanctorum in beata exspectatione requiescent; Lucas octo, quia in octava resurrectionis, corpora Sanctorum in gloriam immortalitatis resurgent. Hic ergo post sex ætates quiescendum esse ab omni labore; et ibi octavo tempore resurgendum designat. Unde, secundum *Hieronymum* et *Glossam*, hoc bene mysterio convenit : nam sicut Christus post sextam sabbati, qua crucem ascendit, et post septimam sabbati, qua in sepulchro quievit, octava die resurrexit; sic et nos post sex mundi ætates, quibus pro Domino patimur et laboramus, et post septimam quietis animarum quæ interim in alia vita geritur, octava ætate resurgemus. Transfiguratio ergo fuit in octava die, quia facta est ad ostendendum discipulis suis gloriam resurrectionis futuræ, quæ erit in octava mundi ætate, et propter hoc figurata est hic per octavam diem. Assumpsit autem secum tres tantum, ut in ore trium staret testimonium. Item, in signum quod, qui nunc fidem Trinitatis firmiter servabunt, tunc in æterna visione gaudebunt. Istos autem tres, scilicet Petrum, Jacobum et Joannem, specialiter assumpsit, quia istos familiariter diligebat. Hoc autem fecit ad designandum quod, quicumque vult gloriam Dei videre, oportet et quod fidem agnoscat, sicut Petrus; quod vitia supplantet, sicut Jacobus; quod ad bene operandum, gratiam habeat, sicut Joannes : quia omne meritum consistit in credendo verum, in declinando a malo, in faciendo bonum. Item, ad commendationem omnium statuum Ecclesiæ : nam per Petrum significantur conjugati, vel etiam prælati; per Jacobum, pœnitentes, vel activi; per Joannem, virgines, vel theorici. Et pulchre ostensurus discipulis resurrectionis gloriam, seorsum illos duxit, ut intelligamus, quia, si ejusdem resurrectionis participes esse cupimus, a turbis malignorum hominum et tumultibus seculi divisi esse debemus. Pulchre etiam eos in montem excelsum duxit, et non vallem, ut discamus gloriam non in profundo hujus seculi, sed in regno supernæ beatitudinis esse quærendam; et quod ad illam gloriam futuræ resurrectionis pervenire, atque in decore suo Christum videre merebimur, si ima et terrena deserentes, ac sublimia et cœlestia desiderantes, mente in cœlestibus habitemus. Necesse est enim omnibus qui Deum contemplari desiderant, ut non in infimis voluptatibus jaceant, sed semper ad cœlestia se erigant. Ascendit autem in montem, ut oraret, innuens oraturos in montem virtutum ascendere, et sursum, non in imis corda habere, ac continuis precibus insistere. Et bene mons iste dictus est Thabor, quod *accessio lucis*

interpretatur, quia omne quod manifestatur, in lumine manifestatur.

2 TRANSFIGURATIONIS MIRACULUM. — Effectus autem orationis Domini ostendit, propter quid oravit, scilicet propter gloriam futuræ resurrectionis suis manifestandam Apostolis. *Dum enim oraret, transfiguratus est ante eos.* Non dicit transfiguravit se, ut notetur actio fieri, ex potentia Trinitatis, sed in natura humanitatis. Et bene, *dum oraret, facta est altera species vultus ejus*, fervor enim et devotio orationis dispositio est ad transfigurationem et exstasim mentis. Unde Petrus, dum oraret, factus est in exstasi mentis. Conspice bene ista, et te præsentem exhibe, quia magnifica sunt valde. *Resplenduit* enim *facies ejus sicut sol*, imo plus quam sol, sed nihil habet clarius cui comparetur; *vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*, et sic perfusa lumine, ut alba extra apparerent. Secundum *Augustinum*, candor vestium procedebat a faciei splendore; et ista fuit vera mutatio in facie, sed non in veste. Non substantiam veræ carnis amisit, nec corporis veritatem subtraxit; sed ei splendorem addidit. Unde Lucas dicit quod facta est species vultus ejus altera, non alia. In carne ergo mortali immortalitatis et resurrectionis suæ vel nostræ gloriam, non in se, sed in seculi claritate, sicut voluit, ostendit; ut illius gloriæ, quam prædicabat, certiores nos redderet. Ecce quantum pignus beatitudinis nostræ habemus! Non enim erat aliud transfiguratio ista, nisi secundi adventus prænuntiatio, in quo et ipse Christus et Sancti ejus lucebùnt sole clarius; unde non assumpsit claritatis dotem, sed similitudinem. Nam, ut *Leo* Papa ait, illam ipsius deitatis ineffabilem et inaccessibilem visionem, quæ in æternam vitam mundis corde servatur, nullo modo adhuc mortali carne circumdati intueri poterant et videre. Splendor autem faciei significat claritatem divinitatis; fulgor vero vestium claritatem humanitatis ejus. Item, claritas faciei repræsentat futuram claritatem capitis Christi; fulgor autem vestium designat futuram claritatem membrorum ejus, scilicet Sanctorum, qui superabuntur a claritate Christi, sicut candor nivis superatur a fulgore solis. Candor ergo significat gloriam futuræ resurrectionis, propter quod et Angelus, Dominicæ resurrectionis nuntius, stola candida coopertus mulieribus apparuit. Et, secundum *Bedam*, vestitus Domini Sanctorum illius chorus accipitur, qui in terris despectus videbatur.

3 MORALITER, TRIA CONSIDERANDA CIRCA TRANSFIGURATIONEM DOMINI. — Moraliter circa transfigurationem Dominus tria fecit : quia discipulos assumpsit, montem ascendit, orationem præmisit; ad significandum quod ad gloriam non pervenitur, nisi per virtutis societatem, per vitæ altitudinem, atque per orationis devotionem. Felix ergo qui secum talem comitatum assumpsit, scilicet : Petrum, in quo cognitio; et Jacobum, in quo lucta; et Joannem, in quo gratia signantur! — Assumat ergo Petrum, qui interpretatur *agnoscens*, ut sit in eo cognitio, quæ debet esse triplex, scilicet : Dei, sui, et proximi. Cognitio Dei generat dilectionem et cavet desperationem; cognitio sui generat humilitatem et cavet præsumptionem; cognitio proximi generat compassionem et cavet crudelitatem. Et sicut suam fragilitatem, sic et mundi vanitatem agnoscat, et agnitam contemnat. — Assumat Jacobum, qui interpretatur *luctator*, vel *supplantator*, ut sit in eo lucta, et supplantatio, quæ etiam debet esse triplex, scilicet: carnis, mundi atque diaboli, ut contra concupiscentias carnis et mundi, ac instigationes diaboli fortiter luctetur, et eas devictas sub planta prosternat : nemo enim coronatur, nisi qui legitime certaverit; in signum hujus Jacob post luctam accepit benedictionem. — Assumat et Joannem, qui interpretatur *gratia*, ut sit in eo gratia, quæ similiter debet esse triplex, scilicet : incipiens, proficiens, et perveniens. Unde Apostolus : *Gratia Dei sum id quod sum*, quantum ad primam; *et gratia ejus in me vacua non fuit*, quantum ad secundam; *sed omnibus illis abundantius laboravi, non ego autem* solus,

sed gratia Dei mecum, quantum ad tertiam. Joannes etiam privilegio singularis amoris Dei dotatus fuit; sic bonum divinum super omnia diligat et in omnibus transitoriis nihil nisi amorem divinum concupiscat. Item, Petrus alio nomine dictus Simon, qui interpretatur *obediens*, significat obedientiam; Joannes, *in quo gratia*, significat munditiam; Jacobus vero, qui *luctator*, vel *supplantans*, significat paupertatem voluntariam : et ista tria faciunt videre claritatem divinam, sicut isti viderunt transfigurationem. Felix qui talem montem, id est eminentiam vitæ ascendit, in quo sunt tres gradus, scilicet : abjectio sui, mortificatio carnis, contemptus mundanæ prosperitatis, de quibus supra proximo capitulo : ***Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me!*** Felix qui sic orationi insistit pie, fideliter et perseveranter, donec appareat gloria in facie clerici, qui transfigurantur in solem dum lucent per scientiam, ardent per caritatem, illuminant per exemplum et doctrinam; et in vestimentis laici, quibus sufficit albedo nivis per munditiam mentis, carnis et operis!

4 Apparitio Moysis et Eliæ ejusque causæ. — ***Et ecce apparuerunt illis Moyses*** jam mortuus, secundum animam, in corpore assumpto, vel sibi adaptato, sicut quando apparent Angeli in corporibus assumptis; ***et Elias*** adhuc vivus in anima et corpore proprio, allatus de paradiso. Apparuerunt cum Christo isti duo potius quam alii, alter mortuus, alter adhuc vivus, in signum quod viventium et mortuorum, seu vitæ et mortis sit Dominus, et quod justi tam mortui, qui per Moysen, quam vivi, qui per Eliam, qui tempore judicii vel vivi in carne reperiendi, vel a morte resuscitandi sunt, regnaturi sunt in gloria cum illo. Item, ut ostendant ipsum esse quem Legis et Prophetarum scripta prædixerunt et promiserunt, et ut hinc appareat quod Lex et Prophetæ a doctrina Christi non discordant; et quod finis Legis et Prophetarum in suo sermone Christus erat, et ejus gloria, propter quam venerant; et ut ipse ostenderet se esse supra Legem, quam Moyses Legislator dedit, et supra Prophetas, inter quos Elias prædicator præcipuus fuit. Per Moysen quidem significatur Lex; per Eliam Prophetæ; et per Dominum Evangelium. Apparuit ergo Dominus medius inter Moysen et Eliam, tamquam ipse et Evangelium haberent a Lege et Prophetis testimonium. Item, unus mortuus, et alter vivus apparuit, ut significent Christum moriturum, et iterum victurum, vel, ut nos mortui simus mundo, vivi autem Deo. Item, ut ex omni parte Christus testimonium haberet : de cœlo Patrem in voce, de æthere nubem, de paradiso Eliam, de terra Apostolos, de inferno Moysen subditur: ***Et ecce duo viri*** isti *loquebantur cum illo... et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem,* id est Passionem, in qua fuit excessus amoris, doloris et humilitatis. Ibi enim amor fuit supra mensuram, secundum illud Joannis : *Majorem hac dilectionem,* etc.; dolor, supra consuetudinem, secundum illud Threnorum : *O vos omnes qui transitis!* etc.; humilitas, supra virtutem, secundum illud Threnorum : *Recordare paupertatis,* etc. Loqui autem ipsorum est, talem gratiam redemptionis futuram per Christum, testimoniis Legis et Prophetarum præfiguratam esse ostendere. Et notandum, quod non loquebantur de tali materia, tamquam indicantes Christo quæ nesciret; sed eum adorabant, de adventu ejus in carne; et quia mysterium Passionis, quod ipsi prædixerant, viderunt in Christo complendum; et læti fortasse, quia videbant redemptionis suæ totiusque humani generis diem appropinquare. Compatiebantur nihilominus Christo, quia tam gloriosa facies debebat sic conspui, et sic invidiose tradi, et judicari, et crucifigi. Notandum etiam, quod gaudium magnum factum est Apostolis et Prophetis, non solum de transfiguratione Christi, sed etiam, ut dicit *Ephrem*, de mutua visione, quia utriusque Testamenti principes congregati sunt, cum Deo

Abraham. Videbat enim Moyses, dux Judæorum, principem Christianorum Petrum; considerabat Elias castus virginem Joannem; et uterque in Jacobo laudabat martyrii privilegium.

5 EXCLAMATIO PETRI IN MONTE THABOR REMANERE VOLENTIS. — *Petrus vero, et qui cum illo erant, gravati erant somno*, oppressi a gloria, quia splendore incomprehensibilis deitatis premuntur sensus humani corporis. *Et evigilantes viderunt majestatem ejus*; *et duos viros qui stabant cum illo*, scilicet Moysen et Eliam, quos cognoverunt prædictæ claritatis illustratione. Unde quærit *Ambrosius* : « Quomodo Apostoli cognoverunt Moysen et Eliam, quos numquam viderunt? » Et respondet, quod per majestatem super eos venientem; in quo innuitur, quod in futura gloria alter alterum, quem numquam vidit, cognoscet. Secundum *Glossam*, hic Elias dicitur eximius Prophetarum; sed contra de David hoc dicitur in prologo, super Psalterium, et etiam de Moyse in *Glossa*, super Exodum. Et solvitur, quia Moyses fuit eximius Domini familiaritate, signorum ostensione, Legis promulgatione; Elias eximius vitæ austeritate, arguendi auctoritate, vitæ diuturnitate; David eximius prophetiæ sublimitate, regia dignitate, et speciali ei facta promissione. Tunc *Petrus respondens* tamquam ferventior, *dixit ad Jesum* : *Domine, bonum est nos hic esse*, scilicet in monte, et in contemplationis dulcedine. Cœlesti enim dulcedine gustata, vilescunt infima. Unde *Rabanus* : « Quo amplius quis degustat dulcedinem vitæ cœlestis, eo amplius omnia alia fastidit in infimis. » *Si vis, faciamus hic tria tabernacula*, ad manendum, scilicet hic continue : *tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum?* Non loquebatur de tabernaculo pro se et sociis suis faciendo, quasi supponens se et socios suos, tamquam discipulos, cum Magistro mansuros in suo tabernaculo. Petrus optando commendat Christum, et se in monte manere ex modico gustu participationis futuræ gloriæ, quam in Christo viderat, ut per hoc discamus quod nihil sit difficile pro Christo pati, nec tormenta, nec crux, nec mors, ut ad montem cœlestis gloriæ perveniamus. Si enim sensibilis visa Christi gloria, sic Petrum in monte impressionibus et intemperiebus subjecto illexit, ut diceret bonum ibi esse et manere, quid æstimandum est de illa ineffabili et intelligibili gloria æterna in cœlo, ubi nulla intemperies, nulla peregrinæ impressionis molestia, ubi nullum malum, sed omne bonum obtinebitur? Unde *Beda* : « O quanta felicitas, visioni deitatis inter Angelos adesse perpetuo, si tantum transformata Christi humanitas, duorumque Sanctorum societas ad punctum visa, delectat, ut eis ne discedant Petrus præstare velit obsequium! » Unde et *Remigius* : « Visa Domini majestate, et duorum servorum, Petrus adeo delectatus est, ut cuncta temporalia oblivioni traderet, et ibi in perpetuum vellet manere. Si autem Petrus sic accensus est, quanta erit suavitas et dulcedo videre Regem in decore suo, et interesse choris Sanctorum omnium et Angelorum! » hæc *Remigius*. Sed erravit Petrus, *nesciens quid diceret* hoc petendo : tum quia in via patriam requirebat, et umbram futuræ gloriæ quam viderat, veram æstimabat gloriam, oblitus regnum Dei non esse Sanctis promissum in terra, sed in cœlo; tum quia in gloria, tabernacula manufacta necessaria credebat, ignorans domum manufactam non esse necessariam in illo seculo futuro; tum quia se et coapostolos adhuc carne mortali circumdatos esse non advertebat, et absque gustu mortis immortalis vitæ statum subire volebat; tum etiam quia suam et proximorum salutem non attendebat. Unde ait *Augustinus* : « Quid dicis, sancte Petre? Mundus perit, et tu secretum quæris! Vides tot gentes in unum convenire, et tu quietem diligis! Vides tenebras mundi, et tu lumen abscondis! *Nemo quippe accendit lucernam, et ponit eam sub modio*, etc. » Unde et *Joannes Damascenus* : « Non est tibi, inquit, bonum, Petre, quod Christus ibi moretur, quoniam si ibi mansisset, nequaquam tibi facta pro-

missio consequeretur effectum. Neque enim claves obtinuisses regni, nec mortis tyrannis abolita esset. » Et, ut dicit *Chrysostomus :* « Quia audivit quod oportet eum Jerosolymam ire et multa pati, adhuc timet pro Christo; sed post increpationem non audet aperte dicere rursus, propitius esto tibi, sed idem occulte per alia signa insinuat. Quia enim videbat multam quietem et solitudinem, cogitavit convenientem ibi esse stationem ex loci dispositione, quod significat, dicens : *Bonum est nos hic esse.* Vult etiam semper hic esse; ideo tabernaculorum meminit, dicens : *Si vis, faciamus* hic *tria tabernacula.* Cogitavit enim quod si hoc fieret, non ascenderet Jerosolymam, et si non ascenderet Christus, non moreretur; ibi enim sciebat Scribas insidiari ei : » hæc *Chrysostomus.* Et licet Petrus, ut homo stupefactus, nesciret quid hoc petendo diceret, in hoc tamen suam devotionem ostendit, et in siti sui ardoris monstrat indicium. Unde inebriatus Petrus erat, qui de una gutta vini cœlestis quam biberat, quasi tres tabernas facere volebat. Sicut enim ex passionis magnitudine, ut timoris vel mœroris aut amoris, aliquis prorumpit in aliqua verba sine præmeditatione; ita similiter ex magnitudine devotionis et delectationis expertæ, dixit Petrus illa verba, quæ tamen non erant rationabilia, quia in solo aspectu humanitatis Christi non consistit essentia beatitudinis; et ideo illud non debebat sufficere pro finali beatitudine. — In monte Thabor est grande monasterium grandi silva circumdatum, tres habens ecclesias, juxta quod Petrus ait : *Faciamus hic tria tabernacula.* — Tria tabernacula contemplativus moraliter facit, quando Legem, et Prophetas, et Evangelium practice legendo disponit, scilicet : corde credendo, ore confitendo, et opere adimplendo.

6 Tria in transfiguratione consideranda : Trinitatis manifestatio, præsentia Moysis atque Eliæ et Christi glorificatio. — Sciendum autem quod ista transfiguratio, significans gloriam Sanctorum, primo describitur a majestate Dei, quia tota Trinitas ibi apparuit : Pater in voce, Filius in humana carne, Spiritus Sanctus in nube, per quod datur intelligi quod gloria Sanctorum consistit in fruitione beatissimæ Trinitatis. Sicut enim Petrus ebrius ex dulcedine illius claritatis voluit ibi facere tria tabernacula; ita habet homo tria tabernacula in anima sua, quæ nec Moyses, nec Elias, sed sola beata Trinitas delectabiliter inhabitat, secundum illud Joannis evangelistæ : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Hæc autem sunt : memoria, intelligentia et voluntas. Nam Filius habitat in tabernaculo intelligentiæ, implendo ipsam Dei plenissima et lucidissima cognitione; Spiritus sanctus in tabernaculo voluntatis, implendo ipsam sapidissima et suavissima dilectione; Pater in tabernaculo memoriæ, implendo ipsam cogniti et dilecti perpetua refectione et securissima intentione : quibus actibus anima in Deum quasi totaliter transformatur, et quodammodo deiformis efficitur. Tunc verificatur, secundum quamdam prægustationem, illud quod dicitur in Evangelio : *Intra in gaudium Domini tui.* — Secundo, describitur ista transfiguratio, a societate consortii, quia ibi fuerunt Moyses et Elias; Jacobus, Petrus et Joannes. In cœlesti igitur gloria habebimus socios omnes Veteris et Novi Testamenti Sanctos. Beati Veteris Testamenti distinguuntur in duos ordines, scilicet : Patriarchas, qui intelliguntur per Moysen, et Prophetas qui per Eliam. Sancti autem Novi Testamenti distinguuntur in tres ordines : scilicet in Martyres, qui per Jacobum; in Confessores, qui pleni sapientia Dei intelliguntur per Petrum, qui interpretatur *agnoscens*; in Virgines, qui per Joannem. Vel, dici potest quod Christus voluit habere testimonium sui adventus : ab illis qui sunt in cœlo, scilicet a Patre; et ab illis qui sunt in mundo, scilicet a Petro, Jacobo et Joanne; et ab illis qui sunt in terrestri paradiso, scilicet ab Elia; et ab illis qui sunt in inferno, scilicet a Moyse. Vel, per sex personas signantur sex bona, quæ

Deus confert contemplantibus, quia in contemplatione : primo mens illuminatur, quod signatur in Petro, qui interpretatur *agnoscens* ; secundo, caro supplantatur, quod signatur in Jacobo, qui interpretatur *supplantator;* tertio, gratia augetur et augmentatur, quod significatur in Joanne, qui interpretatur *in quo est gratia* ; quarto, mundus contemnitur, quod significatur in Moyse, qui interpretatur *assumptus ex aquis*; quinto, cor amore inflammatur, quod significatur in Elia, qui ad cœlum raptus fuit in curru igneo; sexto, dulcedo cœlestis prægustatur, quod significatur in Jesu. Unde Petrus, qui unam guttam prægustaverat, dixit : *Domine, bonum est nos hic esse...*, *nesciens quid diceret.* — Tertio describitur ista transfiguratio a glorificatione subjecti, cum dicitur : *Resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix :* per quæ signatur beatitudo et gloria, quibus Sanctorum corpora induentur. Dominus igitur Petro non respondit; nam licet ex fervore devotionis loqueretur, tamen quia imprudenter interrogavit, ideo responsionem Domini non meruit; nondum enim, ut in hac gloria consisteret, tempus erat. Qui autem vult Domino facere tabernaculum, præparet penetralia cordis sui, et inveniet locum Domino, tabernaculum Deo Jacob : quia vero male tabernaculum materiale ex frondibus et tentoriis quæsivit, æstimans in æterna illa gloria temporalia tabernacula esse necessaria, ubi nulla adversitatis aura est timenda, ubi Deus omnipotens templum est, et domus Ecclesiæ, ideo nubis lucidæ accepit obumbraculum. Unde sequitur : *Adhuc eo loquente*, et de tabernaculorum visibilium constructione cogitante, *ecce nubes lucida obumbravit eos*, id est Apostolos, quia majori luce et vera cognitione suffudit, ut intelligerent electis in æterna tabernacula receptis non esse necessaria corporalia tabernacula; et eos non esse protegendos tegmine domorum, ubi nubis et Spiritus Sancti gloria protegentur, et in abscondito faciei Domini abscondentur. Et intelligas, quod cum Petrus loqueretur, interim, antequam verba compleret, discesserunt Moyses et Elias, et mox nubes subsecuta est, quasi interrumpuntur verba ejus per obumbrationem nubis. Quærebat Petrus terrenum tabernaculum, et affuit cœleste obumbraculum, et ista nubes non fuit causata ex istis caliginosis vaporibus, sed ex vehementia lucis processit : quia sicut fumus est ab igne, ita ista nubes fuit a luce.

7 Vox Patris æterni Christum esse ipsius Filium declarantis. — Ad instruendas autem mentes Apostolorum, de cognitione divinitatis Unigeniti Filii Dei, post Moysis et Eliæ testimonium, *Ecce vox* Patris *de nube*, modo tonitrus testimonium perhibuit, *dicens : Hic est Filius meus*, non adoptive, sed per naturam, *dilectus*, Filius meus scilicet naturalis et proprius, non aliunde creatus, vel adoptivus. Hoc est, secundum *Ambrosium*, non Elias filius, non Moyses filius, sed : *Hic est Filius* quem solum videtis; recesserunt enim illi, ubi cœperat Dominus designari, ut ipse solus demontraretur, ne errarent Apostoli. *In quo mihi bene complacui*, id est in quo meum beneplacitum de redemptione mundi complere constitui; vel, secundum *Chrysostomum*, in quo delector, in quo requiesco, quem accepto, quia omnia quæ sunt Patris cum diligentia exsequitur, atque est una eademque voluntas ipsius et Patris; quare, et si crucifigi vult, ne contradicas. *Ipsum audite*, magis quam Moysen, vel Eliam, quia *Christus finis est Legis* et Prophetarum. Ipsum audite, ut supremum et singularem Magistrum, qui docebit vos omnia necessaria ad salutem; ipsum audite, quia veritas est ; ipsum quærite, quia vita est ; ipsum sequimini, quia via est. Ac si, ut ait *Remigius*, aliis verbis diceret : Recedant umbræ legales et typi Prophetarum; et solum coruscum lumen Evangelii sequimini. Felices ergo Apostoli, qui non solum Domini claritatem videre meruerunt; sed etiam vocem Patris intonantem audierunt! Nec ab hac felicitate nos ex toto alieni erimus, si quem illi crediderunt, et nos credimus; et quomodo

illi vixerunt, et nos amando vivimus; et quem dilexerunt, et nos totis visceribus amamus.

8 Timor discipulorum, quos dulciter Christus alloquitur. — Sed, quia humana fragilitas in præsentia majestatis opprimitur, quia pondus divinitatis et conspectum majestatis gloriæ ferre non valet, ideo, subditur : *Et audientes* discipuli vocem terribilem de nube, *ceciderunt in facies suas*, non sicut mali, retrorsum. Unde *Remigius* : « In eo vero quod sancti discipuli in faciem ceciderunt, sanctitatis fuit indicium; impii enim retrorsum cadunt, ut Heli, ut et Judas proditor cum suis satellitibus : » hæc *Remigius*. Cadunt ergo justi in faciem, modo propter timorem, ut hic; modo propter humiliationem, ut Magi : *Et procidentes, adoraverunt eum*; modo propter gratiarum actionem, ut seniores ceciderunt in conspectu throni in facies suas. *Et timuerunt valde*, quia se errasse cognoverunt, quia nubes lucida apparuit, quia vocem quasi tonitrualem, scilicet Patris, cujus majestati timor debetur, audierunt. Ad hanc vocem, ut dicit *Ephrem*, fugerunt Prophetæ, ceciderunt Apostoli, et timuerunt. Tonitruum quidem terribile fuit; unde de ipsa voce terra sub ipso contremuit. Sed quos humana fragilitas gravabat, benigne pius Magister verbo pariter et actu consolatur et erigit. Nam clementer *accessit Jesus*, quia per se surgere non poterant, *et tetigit eos*, familiariter et dulciter, ut tactu debilitata membra solidaret; *dixitque eis*, ut metum et timorem fugaret : *Surgite*, contra casum; *et nolite timere*, contra metum. Beati illi, quos tangit Jesus, beati illi, quos tangit salus et vita! Illi enim surgunt, illi sine timore et securi sunt. Rogemus ergo eum ut et nos tangat, et a somno stuporis et insipientiæ excitet; atque ad se videndum nobis oculos aperiat. Dulcis amicus est, quia pie consolatur et potenter adjuvat. Ad tactum ergo et consolationem Jesu miseratoris, qui prostratis dexteram ad beneficium auxilii porrigit, et jacentes erigit, discipuli surgentes et *levantes oculos suos neminem viderunt*, nec Moysen, nec Eliam, *nisi solum Jesum* in figura consueta, qua conversari solebat inter discipulos. Secundum *Glossam*, si Moyses et Elias perseverassent, vox Patris videretur incerta, cui potius testimonium dedisset; et ideo recesserunt illi, ne ad eos vox Patris fieri putaretur, sed ut ad solum Jesum pertinere intelligeretur. Allegorice, ablata nube, viderunt Moysen et Eliam evanuisse, ac solum Jesum remansisse; quia postquam Legis et Prophetarum umbra discessit, quæ quasi nube Apostolos texerat, viderunt Jesum, et Scriptura illis revelata fuit; et Evangelium, in quo utrumque reperitur, solum remansit.

9 Congruentiæ inter resurrectionem futuram et Baptismi sacramentum. — Notandum autem, secundum *Glossam*, quod bene convenit mysterium secundæ regenerationis, quæ scilicet erit in resurrectione, ubi caro resuscitabitur, cum mysterio primæ, quæ est in Baptismate, ubi anima resuscitatur. In Baptismate enim Christi operatio Trinitatis ostensa est : fuit enim ibi Filius incarnatus, apparuit in specie columbæ Spiritus Sanctus, et Pater fuit ibi in voce declaratus. Et similiter in transfiguratione, quæ est sacramentum secundæ regenerationis, tota Trinitas apparuit : Pater in voce, Filius in homine, Spiritus Sanctus in nube. Nam gloriam illius, quam modo in Baptismate credentes confitemur, in resurrectione videntes collaudabimus. Nec frustra Spiritus Sanctus hic in lucida nube, illic in columba apparuit. Dona enim sua per species declarare solet; innocentiam autem in Baptismate donat, quæ per avem simplicitatis designatur; daturus est autem claritatem et refrigerium in resurrectione, et ideo in nube refrigerium, et in fulgore nubis claritas resurgentium corporum figuratur. Qui enim nunc simplici corde fidem quam percipit, servat; tunc luce apertæ visionis quod crediderat contemplabitur, ipsaque, quam lustrabitur in perpetuum, gratia protegetur.

10 Septem rationes propter quas Apostolis præcipit Dominus ne cui

TRANSFIGURATIONIS VISIONEM DICANT. — *Et descendentibus illis*, scilicet Jesus et discipuli ejus *de monte, præcepit illis* Jesus præcepto instructionis, *ne cuiquam quæ vidissent, narrarent*; *nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexerit*. Septem vero sunt rationes hujus præcepti : primo, secundum *Hieronymum*, ne dictum esse incredibile, propter rei magnitudinem, videretur; secundo, juxta *Thomam*, ne homines audientes tam gloriosa de eo dici, scandalizarentur postea videntes eum crucifigi; tertio, secundum *Remigium*, ne prædicatio gloriæ Passionis fructum impediret, quia si majestas illius fuisset divulgata in populo, plurimi resistendo principibus sacerdotum Passionem ejus impedivissent, et sic redemptio humani generis retardata fuisset; quarto, secundum *Hilarium*, quia tunc debebant esse testes divinitatis Christi, cum essent Spiritu Sancto repleti, et ad tantæ visionis testimonium perhibendum confortati; quinto, secundum *Damascenum*, quia alii discipuli adhuc imperfecti fuissent tristati, quod hanc visionem non vidissent, et Judas magis incitatus ad proditionem Salvatoris fuisset; sexto, quia resurrectio Christi multum fuit dubitabilis, ideo reservata fuit ista visio illo divulganda tempore, quando maxime oportebat ipsi resurrectioni testimonium perhibere, cui præstabat argumentum non modicum ipsa gloria transfigurationis, ipsa quoque visio magis credibilis videbatur, quando etiam visibiliter per resurrectionem factam monstrabatur; septimo, ut daretur nobis exemplum ea quæ ad laudem et gloriam nostram spectant esse occultanda, quamdiu sumus in hac mortali vita, et ad faciendum hoc quod in Ecclesiastico dicitur : *Ne laudes virum in specie sua*; et in eodem : *Ante mortem, ne laudes hominem quemquam*. Per hoc etiam ostendit quod secreta et mysteria divina non sunt semper, sed loco et tempore debitis, publicanda; et dedit exemplum viris sanctis, non facile publicandi revelationes sibi factas, sicut Paulus annis quatuordecim tacuit raptum suum.

11 TRANSFIGURATIONIS DOMINI TEMPUS. — Fuit autem transfiguratio Domini facta circa veris principium, unde Evangelium de transfiguratione legitur in Ecclesia, sabbato quatuor temporum, post primam in Quadragesima dominicam. Festum vero transfigurationis Domini celebratur sexto kalendas Augusti; quia tunc ab Apostolis fuit transfiguratio prædicata et publicata, quam tacuerunt usque ad diem illam : *Et verbum continuerunt apud se,... et nemini dixerunt in illis diebus*, propter prohibitionem a Domino eis factam in descensu montis Thabor contra Occidentem, ubi est una capella, ubi Dominus dixit Apostolis: *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat*.

ORATIO

Jesu, Redemptor perditorum, Salvator redemptorum, animæ lacrymosæ et post te currentis dulce solatium et suave refrigerium, da mihi omne delectamentum extra te respuere et oblivisci, ut tuo sapore merear jucundari; et veniat, oro, tempus, ut quod nunc credo, revelatis oculis tandem aspiciam; quod nunc spero et a longe saluto, apprehendam; quod pro viribus meis considero, ulnis animæ amplectar et deosculer; et in claritatis tuæ abysso totus abscondar, ut in velamento alarum tuarum sit pax mihi per ævum. Amen.

CAPUT IV

DE SANATIONE LUNATICI.

Matthæi cap. XVII, Marci cap. IX et Lucæ cap. IX.

1 Sanatio lunatici. — *Factum est autem sequenti die,* Jesus rediens de monte ubi transfiguratus fuerat, venit ad discipulos, quos inferius dimiserat; et *occurrit ei turba multa*, quæ circa ipsos erat. Similiter, si prælati vellent ad subditos descendere per humilitatem, compassionem et affabilitatem, multa turba occurreret eis per pœnitentiam. Sed, quia semper stant in alto per elationem, seu ambitionem, vel curiositatem, ideo pauci eis occurrunt, id est pauci ad eos accedunt, et pauciores ab eis sanantur. Nullum enim legitur Dominus in monte sanasse. Et accessit ad eum quidam de turba, petens misereri unico filio suo lunatico, secundum lunæ in novationem magis patienti, et spiritum immundum habenti, quem ejicere non potuerunt ejus discipuli; qui eum apprehendens ad terram allidebat, et volutando per diversa membra vexans dissipabat, sicque ad ostendendum vehementiam passionis spumabat, ac dentibus stridebat, et languens arescebat, et vix discedebat dilanians eum; qui etiam sæpe eum vexando clamare faciebat, et nunc in ignem, nunc in aquam mittebat, ut ita dudum periisset, nisi Providentia eum conservasset. Et cum, jubente Domino, iste adductus esset, statim spiritus conturbavit eum; videns enim se cito ejiciendum, faciebat pejus quod poterat in eum. Deinde, increpans eum Dominus præcepit, ut exiret ab eo, et ne amplius in eum introiret, quem etiam ab effectu malitiæ, sive surdum et mutum vocabant, quia surdum et mutum eum fecerat. *Et* statim spiritus immundus *exclamans et multum discerpens eum, exiit ab eo, et factus est sicut mortuus : Jesus autem tenens manum ejus, elevavit illum, et surrexit* sanus, et reddidit illum patri ejus.

2 Moraliter peccator in duodecim lunatico similis. — Moraliter, iste lunaticus significat peccatorem, quem diabolus : primo apprehendit per peccati delectationem ; secundo, clamare facit per peccati ardens desiderium ; tertio, mutum facit, ad peccati et divinæ laudis confessionem ; quarto, surdum, per obdurationem, ad verbi monitionem; quinto, lunaticum, per mentis instabilitatem, et continuam in malum variationem ; sexto, elidit et volutat, per ejus in diversa peccata præcipitationem ; septimo, dissipat, per diversarum cogitationum varietatem ; octavo, stridere facit dentibus, per iram et indignationem, ac spumare, per gastrimargiam et libidinem ; nono, in ignem luxuriæ mittit, vel etiam elationis, quia ignis sursum tendit et alta petit, nec non in aquam voluptatum et cupiditatum submergit ; decimo, aridum reddit, per otium, seu ignaviam et indevotionem ; undecimo, vix discedit, per peccati consuetudinem ; duodecimo, dilaniat et dilacerat, per naturalium vulnerationem. Dum autem puer ad Deum accedit, conturbatur ; quia sæpe post peccata ad Deum conversi magis a dæmonio impugnantur, ut vel per tædium virtutum et labores pœnitentiæ excutiat, et ad vitia reducat, vel de sua expulsione se vindicet. Sic in primitiva Ecclesia multa gravia certamina illis apposuit, quos suo regno subtrahere voluit. Non autem puer vim patiens, sed diabolus vim inferens, increpatur ; quia, qui peccantem vult sanare, vitium odiendo debet

arguere et depellere, sed hominem amando refovere et confortare. Exiens vero dæmon ab homine numquam revertitur, si homo cor suum clave humilitatis et caritatis servaverit. Exiturus autem discerpit eum, quia, dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat; et liberatus a dæmone velut mortuus videtur, qui enim terrena desideria subegit, vitam in se carnalis conversationis exstinguit, et mundo mortuus apparet. Quem autem hostis mortuo similem reddidit, hunc Salvator piæ dexteræ tactu *elevavit*, in quo ostenditur Dei auxilium; *et surrexit*, in quo monstratur hominis studium : primo enim Deus nos juvat, deinde a nobis requiritur ut bonum operemur.

3 Grano sinapis fides comparatur. — *Et, cum introisset in domum, discipuli ejus secreto interrogabant Jesum : Quare nos non potuimus ejicere illum? Et dixit* illis : *Propter incredulitatem vestram.* Non dicuntur discipuli increduli propter defectum fidei, sicut Judæi, sed propter remissionem ferveris : nam fidem remissam habebant, non sicut granum sinapis, quia non cum debito fervore credebant, ut præcipue ipsi facere debebant. Nihil enim impossibile erit habenti ferventem fidem, et per dilectionem operantem, cui numquam sufficit quod bene gessit. Granum quippe sinapis est modicum, fervidum, amarum et veneni expulsivum. In hoc ergo quod hic comparat fidem grano sinapis, innuit quod debent habere fidem: modicam, per humilitatem; fervidam, per devotionem; amaram, per tribulationum perpessionem; veneni erroris expulsivam, per sinceritatem. Secundum *Ambrosium*, granum sinapis res est simplex, et si teritur vim suam fundit; sic fides simplex videtur, et si atteratur adversis, gratiam suæ virtutis effundit.

4 Servus inutilis quis est. — Deinde reducit eos ad humilitatem, monendo ne quis de operibus glorietur, sed humiliet se Deo, cui jure obsequium debetur, dicens : *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite,* non tantum ore, sed et corde, ne sit tantum vocalis humilitas, sed et realis : *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus;* nec vos jactetis, quia bene servistis; nihil enim fecistis quod non debuistis. Quasi diceret : Dicite, gratiam non meruimus; sed, debitum servitium solvendo, pœnas vitavimus. Sed, e contra, de superbis; cum nequaquam omnia, sed modicum quid eorum quæ præcepta sunt faciunt, non solum mox de sua justitia præsumunt, sed etiam infirmos quosque despiciunt. Non enim sumus nostri, sed servi, quia pretio magno empti; et ergo Christo, cujus pretio empti sumus, servire tenemur, et nihil omittere quod debemus, nec aliquid facere quod non debemus. Unde *Seneca* : « Sapiens nihil facit quod non debet, nihil prætermittit quod debet. » Non dicuntur inutiles servi facientes jure debiti mandata Dei, quin fructum recipiant vitæ beatæ; sed dicuntur inutiles, quia Dominus bonorum nostrorum non indiget; vel, quia, *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis;* vel, quia quisque magis debet se æstimare imperfectum, quam quod statum attigerit perfectionis. Unde *Beda :* « Hæc est igitur in hominibus sola fidei perfectio, si omnibus quæ præcepta sunt impletis, imperfectos se esse noverint, et quamdiu peregrinantur a Domino, semper sibi inesse mala quæ defleant, semper meminerint deesse bona ad quæ, gratia ejus juvante, proficiant. » Et iterum : « Quia sine me nihil potestis facere, non temporum longitudine laborum merita pensare debetis; sed amore et famulatu spontaneo novis semper studiis augere priora : » hæc *Beda.* Et bene dicit : *Quod debuimus facere fecimus.* Unde idem *Beda :* « Revera debuimus, quia, qui non venit ministrari, sed ministrare, debitores sibi nos fecit; ne nostris videlicet operibus confidentes, sed de ejus semper examine paventes, cum Propheta dicamus : Quid retribuemus Domino, pro omnibus quæ retribuit nobis? » hæc *Beda.* Attende hic bene quod servus inutilis reputatur, qui hoc

solum facit quod facere tenetur. Quantamcumque etiam perfectionem attingas, semper sentias et dicas : Domine meus, Jesu Christe, nihil valeo, et male tibi servio. Non debemus ergo umquam a bono opere cessare; et tamen totum meritum nostrum insufficiens, respectu mercedis æternæ, reputare. Unde Psalmista: *Qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Non ait, in meritis et in operibus tuis, quia, cujus misericordia prævenimur, ut humiliter Deo serviamus; ejus munere coronamur, ut sublimiter cum illo regnemus. Et ideo cum omnia fecerimus, reputemus nos parum aut nihil fecisse Domino, respectu mercedis, quam exspectamus ab eo. Unde dicebat beatus *Franciscus*, etiam post multos et magnos labores: « Fratres, incipiamus servire Domino, quia usque nunc parum profecimus. » Et si, præceptis impletis, nos humiliare debemus, quanto magis cum de illis multa omiserimus? Si enim inutilis est servus, qui omnia perfecit, quid de illo dicendum qui ea facere despexit? Unde *Ambrosius :* « Non te jactes, si bene servisti; quia facere debuisti. Obsequitur sol, obtemperat luna, serviunt Angeli. Vas Gentium electus a Domino : *Non sum*, inquit, *dignus vocari Apostolus; quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* Deinde alibi, nullius se ostendens conscium culpæ, subjicit tamen : *Sed non in hoc justificatus sum.* Et nos ergo non a nobis laudes exigamus, ne præripiamus judicium Dei, et præveniamus sententiam Judicis; sed suo tempore, suo judicio reservemus: » hæc *Ambrosius.*

5 Periculum est gratiam in vacuum recipere. — Bonum est itaque semper in timore stare, et nihil de se præsumere; quia quantumcumque bene quis servierit : *Nescit tamen homo utrum odio, an amore dignus sit.* Unde *Bernardus :* « In veritate didici nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere : *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Si adest gratia, time ne non digne opereris ex ea. Si subtracta est gratia, time, quia reliquit te virtus tua et custodia. Si reversa est gratia, time, ne forte contingat recidivum pati, et contingant tibi deteriora : » hæc *Bernardus.* Unde et Apostolus hortatur nos : *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Ille enim gratiam Dei in vacuum recipit, qui se in bonis operibus non exercet; unde si volumus quod gratia Dei in nobis non remaneat vacua, necesse est ut eam bonis operibus et virtuosis exercitiis nutriamus, et nos a vitiis custodiamus. Debemus etiam in præceptis Dei, et in omnibus operibus nostris attendere, non solum ut ea faciamus, sed etiam ut ea secundum voluntatem Dei dirigamus. Unde *Basilius* ponit exemplum de fabro faciente securim, vel quiddam aliud, qui semper meminit ejus qui injunxit opus, et retinet in corde suo cujus magnitudinis, vel qualitatis, vel formæ ille injunxerit fieri securim; et in illud semper intendens quod sibi meminit a domino operis injunctum, ad hoc dirigit manuum ministerium, ut forma operis cum ejus qui injunxit animo et voluntate conveniat. Sic, et nos, omnem conatum et omne studium in actibus nostris habere debemus, ut secundum voluntatem Dei, qui opus injunxit, nostrum dirigamus opus; et tunc poterimus implere illud Pauli Apostoli : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

6 Cur aliqui dæmones in jejunio tantum et oratione ejici possunt? — Et subdit Dominus, ostendens quomodo protervitas diaboli superetur, et dicit : *Hoc genus* dæmoniorum, in spiritu et carne simul, secundum causam radicatam, quale supra dictum est, *in nullo*, potestatis remedio, id est in nulla potestate, scilicet ministrorum, *potest exire*, ita quod non habeat potestatem in homine, *nisi in oratione*, quæ curat pestes spiritus, *et jejunio*, quod curat pestes corporis; quæ scilicet oratio et jejunium sunt effectus fidei ferventis, ac per caritatem formatæ et operantis. Unde videtur quod ex crapula et ebrietate morbum illum incurrisset.

Hæc etiam poterat esse alia causa, propter quam discipuli non potuerunt eum ejicere. Dæmones enim non sunt æquales in virtute naturali; et ideo unus alio difficilius potest expelli. Ad expulsionem autem istius requirebatur in expellente subjectio carnis ad spiritum, quæ fit per jejunium; et elevatio spiritus in Deum, quæ fit per orationem : talia autem non erant adhuc in Apostolis, quia pro tempore illo non competebat eis jejunare propter præsentiam sponsi, nec erant adhuc in Deum perfecte elevati; fuerunt enim rudes et imperfecti, usquequo post Passionem receperunt pleniorem Spiritus Sancti gratiam. Vel, non ejicitur ministrorum potestate, nisi in oratione injuncta, et jejunio injuncto : et hoc omiserunt Apostoli, et sic fuit error clavis adhibendæ ad dæmonem excludendum; sicut adhuc multi errant, eo quod clavibus secundum debitum ordinem potestatis non utuntur. Quod enim minister usurpet sibi potestatem divinam et absolutam, hoc dicit *Hieronymus* esse de supercilio Pharisæorum, et superbia Luciferi, qui sine merito suam sedem voluit collocari in summo. Secundum *Chrysostomum*, dicit : Hoc genus, non tantum lunaticorum, sed universaliter omnium dæmoniorum, non ejicitur, nisi per orationem et jejunium, quia semper diabolus peccatorem inhabitat, nisi per pœnitentiam ad Dominum peccator convertatur; et quanto magis differtur, tanto difficilius expelitur. Circa autem præmissa dicit *Hieronymus* : « Dum autem docet Apostolos quomodo nequissimum dæmon possit expelli, omnes instituit ad vitam, ut scilicet noverimus graviora quæque, vel immundorum spirituum, vel hominum tentamenta jejuniis et orationibus esse superanda; iramque Domini, cum in ultionem nostrorum scelerum fuerit accensa, hoc remedio singulari posse placari : » hæc *Hieronymus*. Per jejunium enim, ut dictum est, curantur pestes corporis; et per orationem, pestes mentis : et sic quælibet tentatio superatur cum eis. Vel, per jejunium intelligitur declinatio malorum; et per orationem, operatio bonorum. Et sic accipitur jejunium hic generale, pro abstinentia, non solum ab escis, sed ab omnibus temporalibus delectationibus et vitiis. Unde dicit *Augustinus* quod perfectum et magnum jejunium est non solum a cibo; sed ab omnibus iniquitatibus et illicitis voluptatibus seculi abstinere. Unde *Bernardus* : « Si sola gula peccavit, sola jejunet, et sufficit. Si vero peccaverunt cetera membra, cur non jejunent et ipsa? Jejunet ergo oculus a curiosis aspectibus et omni petulantia, ut bene humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa. Jejunet auris nequiter pruriens a fabulis et rumoribus, et quæcumque otiosa sunt, et ad salutem minime pertinentia. Jejunet lingua a detractione et murmuratione, ab inutilibus, et variis, et scurrilibus verbis; interdum quoque, ob gravitatem silentii, ab ipsis, quæ videri poterant necessaria. Jejunet manus ab otiosis signis, et operibus omnibus quæcumque non sunt imperata. Sed multo magis anima ipsa jejunet a vitiis, et propria voluntate sua; etenim sine jejunio hoc, cetera a Domino reprobantur, sicut scriptum est : *Quia in diebus jejunii vestri, invenitur voluntas vestra*. Non solum autem ab illicitis, sed ab ipsis quoque licitis oportet nos jejunare, si ea nobis, quæ prius commisimus illicita, volumus condonari : » hæc *Bernardus*. Unde et *Beda* : « Sicut jejunium generale est non solum ab escis, sed a cunctis illecebris abstinere carnalibus, imo ab omnibus vitiorum passionibus; sic et oratio generalis non solum in verbis est, quibus divinam clementiam invocamus, verum etiam in omnibus, quæ in obsequium nostri Conditoris, fidei devotione gerimus, teste Apostolo, qui ait : *Sine intermissione, orate* : » hæc *Beda*. Tunc quippe sine intermissione oramus, cum ea solum opera gerimus, quæ nos pietati commendent Auctoris. Semper enim orat, qui semper bene facit, et in bono perseverat.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui nos humilitatem verbo et exemplo docuisti, da mihi ut numquam alta, sed semper humilia de me, corde sentiam, ore proferam, et opere ostendam. Eripe me et custodi a malignis spiritibus, et defende ab omnibus inimicis visibilibus et invisibilibus; et præsta mihi, o Salvator meus et Deus meus, ut jejuniis et orationibus convenienter intentus, cunctas immundorum spirituum, et pravorum hominum tentationes valeam, te juvante, superare, et ab hostibus mentis et corporis merear, te miserante, liberari, et semper salvus esse. Amen.

CAPUT V

DE TRIBUTO PRO DOMINO ET PETRO SOLUTO, ET DE QUÆSTIONE DISCIPULORUM SUPER MAJORITATE EORUM.

Matthæi cap. XVII, Marci cap. IX et Lucæ cap. IX.

1 CHRISTUS APOSTOLIS DENUO PASSIONEM ET RESURRECTIONEM PRÆDICIT. — *Post hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam* : *quia*, ex his quæ Dominus egerat et dixerat in Jerusalem, *Judæi quærebant eum occidere*, ideo ante Pascha *non volebat in Judæam ambulare* : quia nondum hora ejus venerat, et ut ostenderet quod aliquando persecutionem fugere licitum fidelibus suis esset Unde *Augustinus* : « Non perdiderat potestatem, sed nostram consolabatur fragilitatem. Futurum enim erat, ut aliquis fidelis se absconderet, et ideo præcessit in capite, ne membra postea objiceretur pro crimine. » In Galilæa igitur, in terra ubi erat conceptus et nutritus, conversabatur cum discipulis suis. Et, secundum *Chrysostomum*, ne discipuli dicerent : Qua de causa continue hic conversamur, rursus de Passione eis loquitur, ut, quasi assueti circa negotium mortis Christi, minus, cum venerit, scandalizarentur. Et cum morte sua etiam prædixit suam resurrectionem, ne in Passione ejus incurrerent desperationem. Unde, *conversantibus eis in Galilæa*, *dixit illis Jesus : Ponite vos in cordibus vestris sermones istos*, scilicet qui sequuntur, de mea Passione et resurrectione; quia eorum recordatio et memoria utilis est valde. *Filius enim hominis futurum est, ut tradatur*, scilicet : a Patre, per caritatem nimiam; a seipso, per obedientiam voluntariam; a diabolo, per suggestionem iniquam; a Juda, per cupiditatem maximam; a Judæis, per invidiam dolosam; a Pilato, per pusillanimitatem indebitam. *Filius ergo hominis tradendus est, in manus hominum*, id est diversarum nationum quasi humanitus sentientium, scilicet Judæorum et Gentium; et diversorum statuum, quia militum, regum, principum, sacerdotum, religiosorum, et populorum. *Et occident eum :* magna iniquitas quod homines occidant hominem Salvatorem ! Et ne, his auditis, tristitia absorbeantur, subjungit : *Et tertia die resurget*, ut tristibus læta succedant. *Et contristati sunt vehementer*, quia ejus societas ita erat eis dulcis et grata, quod non est mirum si contristati sunt, Passione ejus audita. Ut enim ait *Hieronymus* : « Pro dilectione Magistri, nihil de eo sinistrum et humile patiuntur audire. » *Et contristati sunt vehementer*,

non attendentes ad id quod dixerat : *Et tertia die resurget*; et neque vox Patris audita, neque resurrectio prænuntiata potuit eos cohibere a tristitia. Unde idem *Hieronymus* : « Semper prosperis admiscet tristia, ut cum repente venerint, non terreant Apostolos; sed a præmeditatis ferantur animis. Si enim contristat quod occidendus est, debet lætificare quod die tertia dicitur resurrecturus. Si tristia semper acciderent, quis sustineret? Si prospera, quis non contemneret? » hæc *Hieronymus*. *At illi ignorabant verbum illud*, scilicet de ejus Passione, *et erat velatum ante eos, ut non sentirent illud*, aperte; quod, secundum *Bedam*, non tam ingenii tarditate, quam de pio Salvatoris amore contingebat : quia carnales adhuc et rudes ac mysterii crucis ignari spiritualia non capientes, quem verum Deum cognoscebant, moriturum credere nequibant; nec intelligebant quomodo in una persona mori, et non mori poterat. *Et* tamen *timebant eum interrogare de hoc verbo*. Galilæa interpretatur *volubilis*, et ideo, per hoc quod Dominus ibi prædixit Passionem suam discipulis, significavit quod memores esse debemus mortis Christi, ac etiam nostræ, quamdiu sumus in volubilitate præsentis vitæ.

2 Tributum a Christo exigitur. — *Et cum venissent Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant*, exactores scilicet tributorum ex parte Cæsaris Augusti, *ad Petrum*, quia, secundum *Hieronymum*, præ signorum magnitudine non audebant aggredi Dominum, *et dixerunt ei* : *Magister vester non solvit didrachma?* Quasi dicerent : Dic ei ut solvat; non faciebant mentionem de Apostolis, quia non accipiebant nisi a capitaneis. Capharnaum erat civitas principalis in Galilæa, et ideo ibi manebant, qui tributum colligebant ex parte Romanorum, quibus Judæa erat subjecta; et quilibet capitaneus domus solvebat didrachma, id est duplex drachma; et in solvendo dicebat : Ego profiteor me esse sub Romano Imperatore. Et quia Dominus nutritus erat in Nazareth, quod est oppidum Galilææ, subjacens urbi Capharnaum, ideo ibi ab eo exigitur tributum. Capharnaum quod *villa consolationis*, vel *ager pinguedinis* interpretatur, et ubi tributum a Christo petitur, significat illum, qui dat se delectationibus et solatiis hujus mundi, a quo diabolus petit tributum sibi dari, et vix evadet quin solvat aliquod tributum peccati. Et notandum, quod drachma, drachmæ, feminini generis, est moneta quædam habens imaginem regis, et valebat decem nummos usuales, de qua in Luca dicitur : *Quæ mulier habens drachmas decem*, etc. Item, est genus ponderis, et sic accipitur in medicina. Sed drama, dramatis, neutri generis, est genus carminis, ubi alii incipiunt et alii respondent, et sic dicitur : *Dulcia cantica dramatis* Item, drachma est quarta pars stateris; stater vero est idem quod siclus, qui habet viginti obolos, cujus didrachma media pars, et drachma quarta pars est; et ideo unus stater sufficiebat ad solutionem pro duobus; quia taxatio census erat didrachma, id est denarius, qui pro capite solvebatur. Unde, ut sequitur, stater de ore piscis afferri jubetur. Obolus, ut dicitur, valebat tantum quantum unus parvus turonensis, quorum duodecim valent unum turonensem grossum, et sic quilibet capitaneus solvebat annuatim quasi decem turonenses parvos.

3 Solutio tributi in sensu morali. — Dominus autem hoc quod de petitione tributi Petro dictum erat intelligens, misit eum ad mare, ut hamum mitteret, et piscem qui primus ascenderet, id est quem caperet, illum de aqua tolleret, et staterem valentem duo didrachma, quæ dimidiam unciam faciunt, de ore ejus sumens, pro Domino et pro se solveret. Ex quo divinitas ejus patuit, cum futura contingentia certitudinaliter prædixit. Unde *Hieronymus* : « Quid primum miror hic nescio, an præsentiam stateris in ore piscis, an magnitudinem virtutis, si ad verbum ejus mox stater in ore piscis creatus est! » Spiritualiter, piscis est Christus, mare mundus, hamus mors, stater inventus in ore piscis pretium redemptionis nostræ prænun-

tiatæ Christi ore; et sic solutum est tributum, et nos liberati sumus. Moraliter pœnitenti dicitur: Vade ad mare, id est amaritudines, peccati consideratione, et mitte hamum, scilicet in contritionis compunctione, et aperto ore in confessione inventum staterem da in satisfactione; et sic liberatur peccator a tributo diaboli exactoris. Solvit autem Dominus tributum non ex debito, quia secundum utramque naturam erat filius regis, et per consequens liber a tributo, regum enim filii in omni regno sunt liberi; sed ex humanitate tantum hoc fecit, subdendo se minori, et solvendo quod non debebat, et ne quæstores census scandalizaret, docens per hoc nos esse humiles, et vitare ne scandala per nos fiant. Voluit etiam pro Petro dare tributum, in signum quod Petrus fuit caput aliorum, quia census dabatur pro capite seu capitaneo tantum. Didrachma, ut dictum est, continet duplex drachma, et per unum potest intelligi pœnalitas corporis, scilicet: fames, sitis, et hujusmodi; per aliud pœnalitas mentis, scilicet: timor, tristitia et alia hujusmodi. Hoc autem duplex drachma debet reddere quilibet Imperatori omnium, pro peccato primorum parentum, quod facit patienter tolerando pœnalitates prædictas. Licet autem Christus non haberet peccatum, tamen reddere voluit pro salute omnium; et, quia carnem assumpsit similem peccatrici, sed non peccatum, ipse quidem Redemptor corpus et animam in pretio posuit, et sic bina drachmata solvit; eodemque pretio Ecclesia libera facta fuit. Quia autem Petrum Ecclesiæ præfecit, ideo etiam pro eo censum solvit. Ubi *Hieronymus*: « Et pulchre idipsum datur pretium, sed quia divisum est pro Petro, quasi pro peccatore pretium reddebatur, Dominus autem noster peccatum non fecit. Ostenditur autem similitudo carnis, dum eodem et Dominus et ipsius servus pretio liberantur. Dominus ergo tributa non debebat, sed qui carnis humilitatem assumpserat, omnem justitiam implere volebat. Ille propter eximiam caritatem pro nobis crucem sustinuit, et tributa reddidit; nos autem, pro illius honore, tributa non reddimus, et quasi filii regis a vectigalibus immunes sumus. »

4 Scandali vitatio a Christo. — Et nota, quod Dominus Jesus supra, non vitavit scandalum Pharisæorum, quando de escis cum eis disputabat; hic autem vitat scandalum eorum qui tributum colligebant: quia illi sapientes, isti simplices erant; illi ex certa malitia, isti ex ignorantia offendebant. Scandalum ergo quod oritur ex malitia est contemnendum; sed quod oritur ex ignorantia est vitandum, salva tamen triplici veritate, scilicet: justitiæ, vitæ, doctrinæ; et tale erat scandalum istud quod hic vitavit, quia illi qui hic colligebant tributum, erant Gentiles Legem et Prophetas ignorantes, et propter hoc ignorabant quod Christus esset immunis a tributo, tum quia Filius Dei erat secundum naturam divinam, tum quia filius David secundum humanam; et talia scire illi non tenebantur. Dare autem tributum non fuit contra veritatem justitiæ, vitæ, vel doctrinæ; ideo propter scandalum vitandum voluit Christus hoc dare. Scandalum quippe est dictum vel factum minus rectum, præbens occasionem ruinæ; scandalum enim Græce, obicem sonat Latine. Unde sicut obex in via de se habet dare ambulanti occasionem ruinæ corporalis; sic dictum vel factum minus rectum habet dare occasionem ruinæ spiritualis. Si ergo objicitur de Pharisæis, quod scandalizati sunt ex verbo Domini, ut supra est dictum, et tamen illud verbum non erat minus rectum, dicendum quod obex dupliciter accipitur: aut ex natura rei quæ objicitur, ut si quis lapidem magnum vel lignum projiciat in via; aut ex vitio ambulantis in ea, ut si quis modicum lapillum aut florem projiciat in ipsa via. Primo modo dicitur scandalum activum, et hoc est mortale peccatum; secundo modo dicitur passivum, et potest esse veniale peccatum, vel etiam opus meritorium; unde bonum opus de se non præstat occasionem ruinæ, sed ex vitio accipientis illud non recte. Igitur, ut ait *Gregorius*,

considerandum est, quia in quantum sine peccato possumus vitare proximorum scandalum, debemus; si autem de veritate scandalum sumitur, utilius nasci scandalum permittitur, quam veritas relinquatur.

5 Paupertas Domini. — Considerandum hic, quia Dominus, cujus sunt omnia, tantæ paupertatis fuerit, ut unde tributum solveret non haberet. Licet enim loculos haberet, et Judas pecuniam in eis portaret, ea tamen quæ sibi ad usus pauperum data erant, in usus suos seu alios convertere nefas reputavit, nobisque exemplum utile in hoc tribuit et reliquit. Ergo si vivens de patrimonio Christi inutiliter expendit res pauperum, tenetur ad restitutionem et satisfaciendum. Sed quomodo ea restituet, cum non habeat alia nisi de patrimonio Christi? Non apparet, nisi propriis manibus hoc elaboret; vel necessitatem suam restringat et coarctet, ut de residuo pauperibus restituat quæ dilapidatur: vel saltem devotorum subsidium ad hoc faciendum imploret.

6 Quæstio discipulorum de majoritate eorum. — Quia vero in redditione tributi et æqualitate pretii, Petrus fuerat Domino comparatus, æstimantes discipuli Petrum eis præferri, et omnibus esse prælatum, quia a capitaneis colligebatur tributum, cogitabant quis eorum esset major. Apostoli ex multis præsumebant Petrum a Christo sibi præferri : ut quando ei claves regni cœlorum daturum, et Ecclesiam supra petram fidei, a qua ipse nomen acceperat, ædificaturum se promisit; et quando ipsum cum Jacobo atque Joanne assumpsit, ubi transfiguratus fuit; et propter tributum quod pro se et pro ipso solvit, sic eum sibi quasi parificans, et ex his major omnibus videbatur : et ideo ad quærendum movebantur. Ista autem quæstio multoties fuit inter discipulos Christi ventilata : primo enim de ea cogitaverunt, ut dicit hic Lucas : *Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset.* Secundo, de cogitata disputaverunt in via, dum irent Capharnaum, incipientes conquærere inter se, quis eorum major esset, ut dicit Marcus : *Siquidem in via disputaverant, quis eorum major esset.* Tertio, disputatam Magistro determinandam proposuerunt, ut dicit Matthæus : *Accesserunt discipuli ad Jesum dicentes : Quis, putas, major est in regno cœlorum?* Et nihilominus de ipsa rursus contenderunt, ut infra, in cœna Domini, dicit Lucas. Cum enim venissent Capharnaum, et Dominus pro se et Petro æquale tributum solveret, ceteri Apostoli priorem cogitationem augebant, et ex præteritis et ex isto facto *intravit cogitatio in eos,* ut Lucas dicit, *quis eorum esset major.* Dominus autem videns in mente discipulorum super hoc cogitationem exortam, priusquam augmentum susciperet, radicitus eam evellere volens, quæsivit de conquisitione, quam, ut Marcus refert, habuerunt in via. Et tunc, *in illa hora,* videntes se deprehensos ab ipso de contentione majoritatis, *accesserunt ad Jesum,* ut Matthæus dicit, respondentes et *dicentes : Quis putas major est in regno cœlorum,* id est in collegio justorum, vel merito in Ecclesia militante, vel præmio in Ecclesia triumphante? *Et* volens Dominus desiderium gloriæ humilitate sanare, *residens vocavit duodecim, et ait illis : Si quis vult primus esse,* merito vel præmio, *erit* et sit *omnium novissimus et omnium minister,* humilitate et obsequio; ut novissimus sit corde et minister actione. Unde dicit *Ambrosius :* « Quicumque vult fratrem prævenire regnando, prius eum præveniat obsequendo; vincat eum obsequiis, ut possit vincere sanctitate. Si enim te non læsit frater, obsequium meretur ut diligas; quod si forsitan te læsit, magis obsequium meretur ut vincas. Hæc enim nostræ Christianitatis summa est, ut amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Qui ergo fuerit patientior ad injuriam, potentior constituetur in regno : » hæc *Ambrosius.* Secundum *Glossam,* contentio ista potuit esse ex humilitate, volebat enim unus alium prævenire in honore; unde sic habet : Causa contentionis nobis incognita est, sed non est credibile, quia se

invicem honore prævenire certarent. Non asserit *Glossa*, quod ita fuerit, sed quod ita esse potuerit. Secundum vero *Chrysostomum*, contentio ista fuit elationis; unde dicit, quod passi sunt aliquid humanum discipuli, de principatu et majoritate contendentes. Et licet fuerit ista contentio de principatu, non tamen ibi fuit peccatum secundum ipsum, quia non de principatibus terrenis contendebant, sed de spiritualibus in cœlo. Unde Matthæus : *Quis putas major est in regno cœlorum?* Hoc infirmitatis erat, ut dicit *Chrysostomus*, nos autem ad infirmitatem eorum nondum pervenimus, non enim quærimus : *Quis major est in regno cœlorum*; sed quis major, quis copiosior, quis potentior in regno terræ?

7 Christus parvulum advocans eum exemplar discipulis proponit. — Et quia, in moralibus, magis movent facta quam verba, volens Dominus superbiam eorum retundere, et eos de humilitate docere, proposuit eis humilitatis exemplum sensibile : *Et advocans parvulum*, ætate et malitia, quem tradunt quidam fuisse Martialem, qui postea a beato Petro missus in Galliam prædicavit Lemovicensibus fidem catholicam, quorum primus Episcopus et Apostolus fuit, qui in vertice humilitatis et puritate simplicitatis præ omnibus excellere videbatur; *statuit eum* pro exemplo, *in medio eorum*, ut ab omnibus videretur et attente consideraretur, cui quilibet se commensuraret et imitando conformaret. Et merito parvulum advocat, ut, qui majores videri volunt, ejus exemplo instruantur, et eum in humilitate et innocentia imitentur. *Quem cum complexus esset*, quod signat solos humiles dignos esse suo amplexu et dilectione, qui vere possunt gloriari et dicere : *Læva ejus sub capite meo et dextera illius amplexabitur me*, ut magis discipulos a superbia ad humilitatem revocet, sub assertione contestatur eis pœnam, nisi ab elatione et inordinato appetitu honoris retrocedant, *ait illis* : *Amen dico vobis* : *Nisi conversi fueritis*, a vestra elatione et majoritatis ambitione, *et efficiamini*, gratia et per virtutem, *sicut parvuli* sunt natura et per ætatem, scilicet : mites et innocentes, simplices et humiles, ac parvi vestra reputatione; non solum majores in regno cœlorum non eritis, verumetiam *non intrabitis in regno cœlorum* : quia nec in Ecclesiam per meritum, nec in gloriam per præmium; utrobique enim Christus est ostium, et quia ostium humile et mansuetum est, oportet intrantem humilem et mansuetum esse. O quam terribile est verbum istud! Et quis est hodie sicut parvulus? Certe rara avis est in terris. Rari sunt illi hodie; et ideo multum possumus formidare. Si enim diabolus propter superbiam de cœlo ejectus est, multo magis superbus illuc non intrabit, quia, ut dixit aliquis :

Turpius ejicitur, quam non admit-
[titur hospes.

Et quia dæmones inde ejecti sunt per superbiam, ideo oportet homines illuc venire per aliam viam contrariam, scilicet per humilitatem. Per parvulum ergo vult intelligi humilem, eo modo loquendi quo dicitur de Saulo : *Cum esses parvulus in oculis tuis.*

8 Pueritiæ conditiones hominis perfecti proprietates signant. — Unde dicens Dominus : Nisi ergo efficiamini sicut parvuli, non vult quod efficiamur parvuli sensibus, sed malitia; non ætate, sed conditione, ut videlicet, formam virtutis quam, natura duce, puer observat, nos pro nomine Christi, juvante rationis industria, sequamur; quia, ut ait *Ambrosius*, non virtus est, non posse peccare; sed nolle. Unde etiam ait *Hieronymus* : « Non præcipitur Apostolis, ut ætatem habeant parvulorum, sed innocentiam; et quod illi per annos possident, hi possideant per industriam, ut malitia, non sapientia, parvuli sint. Ac si dicat : Sicut iste parvulus cujus vobis exemplum tribuo, non perseverat in iracundia, non læsus meminit, non videns pulchram mulierem delectatur, non aliud cogitat et aliud loquitur; sic et vos nisi talem habueritis innocentiam et animi puritatem, regnum cœlorum non poteritis intrare. » Unde et *Leo* Papa : « Amat Christus infan-

tiam humilitatis magistram, innocentiæ regulam. Non ad lubrica infantiæ, et ad imperfecta nobis primordia revertendum est, sed aliud, quod etiam graves annos deceat. Inde sumendus est velox commotionum transitus, citus ad pacem recursus, nulla memoria offensionis, nulla cupiditas dignitatis, amor sociæ delectionis, æqualitas naturalis. » Unde etiam *Hilarius* : « Parvuli patrem sequuntur, matrem amant, proximo mala velle nesciunt, curam opum negligunt, non insolescunt, non odiunt, non mentiuntur, dictisque credunt, et quod audiunt verum habent. Et hæc omnium affectionum assumpta nobis et consuetudo et voluntas, cœlorum iter prævium præstat. Revertendum igitur est ad simplicitatem infantium, quia in ea collocati speciem Dominicam circumferemus : » hæc *Hilarius*. Et notandum quod pueritia usque ad quartum decimum annum durat, per quod intelliguntur quatuordecim proprietates, quæ debent esse in homine, qui statuendus est juxta Christum : prima est, quod puer paucis est contentus, et in hoc est sobrietas; secunda, quod puer sedet in pulvere, et hæc est humilitas; tertia est, quod non sentit motus carnis, et in hoc est castitas; quarta est, quod libenter dat de pane suo, et in hoc est liberalitas; quinta est, quod parentibus statim obedit, et hæc est vera obedientia ; sexta est, quod pueri mutuo se diligunt, et in hoc est mutua caritas; septima est, quod non confidit in se, sed in parentibus, ad quos omnes clamores reportat, et in hoc est confidentia in Deo et constantia ; octava est, quod non est sollicitus de aliquo, et in hoc est vera spes in Deo; nona est, quod verax est, et in hoc est veritas, quæ omnem falsitatem et mendacium excludit; decima est, quod cito placatur et pro minimo, et in hoc est benignitas; undecima est, quod personatos homines expavescit, et in hoc est verecundia et reverentia; duodecima est, quod non pudet puerum etiam mendicare panem, et in hoc est recognitio propriæ paupertatis et fragilitatis; tertia decima est, quod simplex est, et in hoc est simplicitas et innocentia; quarta decima est, quod hilaris est, et in hoc est hilaritatis gratia. Isti sunt anni et proprietates pueri spiritualis, quos qui haberet, Christus cum apprehenderet, et juxta se statueret.

9 Humilitas ad gratiam præparat. — Deinde Dominus, postquam exclusit, quod non superbi et bonorum appetitores, sed parvi et humiles intrabunt in regnum cœlorum, concludit responsionem ad præmissam Apostolorum quæstionem, dicens : *Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est*, id est erit, *in regno cœlorum*. Ac si dicat : Vis esse major in regno cœlorum, sis hic minimus per humilitatem ; quia quanto hic humiliaberis et minor fueris, tanto ibi exaltaberis et major eris. Arguamus ergo sic : si simpliciter ad simpliciter, et magis ad magis ; si ergo parvus per humilitatem est magnus in regno cœlorum, et parvulus erit major ; igitur si hic minor es aliis in humilitate, eris in regno cœlorum major in dignitate illis quos excedis in humilitate. Qui enim hic fuerit humilior, erit major per gratiam ; quia humilitas est recta dispositio ad gratiam suscipiendam : *Deus* enim *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* ; et talis erit major in regno cœlorum per gloriam. Moraliter, parvulus in medio statuitur, cum vere humilis in statu dignitatis ponitur, quia tunc sic lucerna super candelabrum ponitur, aliis in exemplum, et parvulus honoratus plus reputat se indignum. Et nisi alii a superbia conversi fuerint, et efficiantur sicut parvuli imitantes ejus humilitatem, et non aspirantes ad dignitatem, non intrabunt in regnum cœlorum. Nam *angusta est porta*, et ideo invidi et grossi per superbiam, transire non possunt per ipsam ; sed tantum humiles et graciles, spiritum inflatum non habentes.

10 Suscipiendi sunt parvuli in nomine Christi. — Et ad refrenationem zeli et superbiæ in Apostolis, qui honorari cupiebant, inducit eos non ad quærendum honorem, sed ad exhibendum, non quibuscumque, sed parvulis et humilibus et abjectis, eos

honorando, et obsequia caritatis eis exhibendo, dicens : *Et qui susceperit unum parvulum talem*, humilem scilicet et fidelem meæ innocentiæ imitatorem, *in nomine meo*, id est propter amorem meum et nomen, quia Christianus est, et meo nomine insignitus; vel, ad mei nominis invocationem ipsum ad hospitium recipiendo, et necessaria ei ministrando, et per hoc intelliguntur omnia alia beneficia quæ propter Deum impenduntur proximo; *me suscipit* inhabitantem in illo, *et* non me solummodo, sed *recipit eum, qui me misit*, scilicet Patrem meum : *quia ego in Patre et Pater in me est.* Nam Deus ab eo vere suscipitur, qui ei conformatur. Unde ait *Ambrosius* : « Qui enim imitatorem Christi recipit, Christum recipit; et qui imaginem Dei recipit, Deum recipit : » hæc *Ambrosius*. Qui, inquam, talem suscipit affectu ad compatiendum, affatu ad consolandum, effectu ad serviendum, patientia ad sufferendum, me suscipit. Magno ergo honore suscipiendi sunt pauperes atque humiles, siquidem in ipsis Deus suscipitur. Unde *Theophilus* : « Vide quantum valet humilitas; Patris namque et Filii inhabitationem meretur, et etiam Spiritus Sancti. » Quasi dicat Dominus, secundum *Chrysostomum* : Non solum, si tales efficiamini, mercedem magnam accipietis, sed et si alios tales propter me honoraveritis; ista mihi humilitas et simplicitas valde est honorabilis. Vel, secundum *Hieronymum*, ne cum delatum fuerit Apostolis, se putent honoratos, adjecit non illos sui merito, sed Magistri honore suscipiendos; quia principalius illi fit, cujus gratia et honore fit.

11 Numquam prohibendus quicumque opus bonum operatur. — Et quia dixerat Dominus : *Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit*, significans quod humiles et simplices suscipiendi essent, intellexit Joannes quod eos non in nomine ejus recipiant, qui non sincere ambulant; unde dixit illi : *Magister, vidimus quemdam in nomine tuo*, id est invocatione nominis tui, *ejicientem dæmonia, et prohibuimus eum*, ne scilicet hæc in nomine tuo ageret, *quia te non sequitur*, id est non sequitur te nobiscum seu sicut nos, scilicet mente et corpore, et non obsequitur in vita, nec relinquit omnia. Quasi diceret : Hic in nomine tuo recipi non debet. *Jesus autem respondit : Nolite prohibere* eum. Quasi diceret : Non debetis bona, vel signa facientem prohibere, quia mecum est. *Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito*, de facili *male loqui de me*, existens ingratus mihi de tantis beneficiis. *Qui enim non est adversum vos*, prorsus et manifeste, *pro vobis est* quodammodo et ex parte ; scilicet in quantum adversus nos non est, et contraria doctrinæ nostræ non docet, quamvis tamen ex nobis non sit. Nam licet signa facientes quandoque despiciantur, Deus tamen, cujus invocatio hæc facit, honoratur. Secundum *Theophilum*, discipuli prohibuerunt eum, non quidem invidentes, sed operationem miraculorum dijudicantes ; non enim cum eis miraculorum potestatem acceperat, neque enim Dominus eum miserat sicut illos, neque Jesum in omnibus sequebatur. Sed, ut dicit *Cyrillus* : « Oportebat magis pensare, non hunc ipsum esse miraculorum auctorem ; sed gratiam quæ est in eo, qui in virtute Christi miracula perficit. Multæ sunt differentiæ donorum Christi; sed, quia tradiderat Salvator potestatem Apostolis ut spiritus immundos ejicerent, putaverunt nulli aliorum, sed sibi solis licere concessam gerere dignitatem ; et ideo accedunt siscitantes, si liceat et aliis hoc agere : » hæc *Cyrillus*. Sed voluit Dominus illum qui se non sequebatur ab operatione miraculorum non prohiberi, ut discipulos servaret in humilitate, ne gloriarentur, ne superbiendo gauderent in miraculorum operatione, nec suæ virtuti ascriberent, sed Christi, dum viderent eum qui Christum non sequebatur ejicere dæmonia ; ut quos humiliare conatus est exemplo pueri, eos etiam humiliet exemplo illius, qui Christum non sequebatur. Et quamvis non esset tantæ perfectionis, ut in omnibus Christum sequeretur ut Apostoli, sicut nec modo

omnes fideles sequuntur Christum, per religionis ingressum; tamen in Christum credebat, et ideo dicitur esse cum eis, et non contra: quia nomen Christi non blasphemabat, ut Judæi, quos dixit contra se esse. Et, ut ait *Ambrosius* : « Non reprehenditur Joannes, quia ex amore faciebat; nam præcipua devotione diligens Deum, et a Deo dilectus, putavit eum excludendum esse a beneficio ejectionis dæmonum et hujusmodi, qui non utebatur officio discipulatus, et obsequio sequendi Christum. Sed docetur infirmorum esse, firmorumque distantiam, quia Dominus etsi remuneret fortiores, non tamen excludit infirmos; et neminem a bono, quod ex parte habet, esse arcendum, sed ad hoc potius quod nondum habet, esse provocandum et invitandum : » hæc *Ambrosius*. Tales etiam ob salutem admittendi censentur aliorum, et non tam propter illos quam propter aliorum utilitatem est gaudendum; quia licet, sibi quandoque noceant, multis tamen in Ecclesia prosunt. Unde sic ait *Beda*: « Hac doctus sententia dicit Apostolus: *Sed sive occasione, sive veritate Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.* Itaque in hæreticis et in malis catholicis non sacramenta communia, in quibus nobiscum sunt, et adversum nos non sunt, etsi Dominum non sequuntur nobiscum, detestari et prohibere debemus : » hæc *Beda*. Et non solum talis ejectio dæmonum facit ad declarationem virtutis Christi; sed etiam, quia beneficia divina non solum dantur per majores, sed etiam aliquando per minores et imperfectos, ut in hoc etiam declaretur virtus nominis Christi, quæ per magnos et parvos indifferenter potest operari. Unde ait *Theophilus* : « Mirare autem Christi virtutem; qualiter per indignos, et non discipulos ejus gratia operatur. Sic et per sacerdotes sanctificantur homines, quamvis sacerdotes sancti non fuerint : » hæc *Theophilus*. Si ergo a malis fiat opus bonum de genere, non prohibendi sunt hoc facere, licet enim opus tale non sit meritorium sine caritate, tamen est dispositivum ad emendationem vitæ. Per istum, qui non erat de societate Apostolorum, signatur laicus bonus, qui non habet prædicandi officium; tamen bonis verbis et exemplis agit ad expulsionem dæmonis de cordibus proximorum, quamvis non sequatur Christum per statum religionis et clericatum. Ecce quanta invitatio ad humilitatem, ad quam invitat Dominus tamquam ad virtutem christianissimam; sed tamen ad eam venire differimus, usque ad horam supremam, superbientes quamdiu valemus, licet per superbiam dæmones efficiamur!

ORATIO

Domine Jesu Christe, da mihi ut vadam ad mare, recogitando peccata in amaritudine animæ; et mittam hamum, in cordis contritione; et aperto ore, in confessione, staterem solvam, in satisfactione; et sic liberer a tributo diaboli et ejus exactione. Da etiam mihi, ut conversus ab elatione, efficiar sicut parvulus et humilis in oculis meis; sicque per arctam viam et angustam portam merear intrare in regnum beatitudinis; parvulos quoque et humiles propter nomen tuum suscipiam, caritatis obsequia exhibendo, ut te in eis suscipiens, a te suscipiar in cœlo. Amen.

CAPUT VI

DE PUSILLIS ET PARVULIS NON SCANDALIZANDIS EXTERIUS, EL NON CONTEMNENDIS INTERIUS.

Matthæi cap. XVIII, et Marc. cap. IX.

1 NON SUNT SCANDALIZANDI PARVULI. — Postquam ergo Dominus revocavit Apostolos ab elatione et altercatione, ex susceptione honoris, quem humiliantes seipsos recipiunt; et consequenter revocat eos ex pœna, quam quicumque ex zelo contenderint, aut minoribus scandalum posuerint, incurrunt. Etenim, secundum *Chrysostomum*, sicut qui hos honorant, propter Deum, mercedem habebunt; ita utique, qui dehonorant, id est scandalizant, ultimam vindictam sustinebunt. Scandalizat autem, qui suo dicto vel facto, minus recto, occasionem cuiquam dat ruinæ in peccatum; ac verbo vel exemplo propellit ad malum. Et primo, monet vitare scandalum activum, sive alienum, et postea passivum, sive proprium. Est ergo sensus : Vos, Apostoli, nolite altercare de primatu honoris, quia ex hoc pusillos et parvulos non ætate, sed fide, ac nuper conversos, et in Christo natos, scandalizabitis et perdetis; unde dicuntur pusilli, qui a superba altitudine se humiliantes, patientia et humilitate, sponte sua, pusilli fiunt et parvuli: qui adhuc sunt in fide infirmi, et ideo de levi, ad illicita, per mala exempla possunt provocari. Tales autem scandalizandi non sunt; minores enim cito scandalizantur, majores vero non faciliter scandala, id est offendicula recipiunt. Recte ergo qui scandalizari potest, *pusillus* dicitur, et parvulus est; quia nullus scandalizatur, aut ex dicto vel facto alterius in peccatum ruit, nisi in quantum pusillus et parvæ virtutis fuerit. Nam magnus et perfectæ virtutis, id est robustus in fide et caritate, quidquid viderit, vel audierit, aut passus fuerit, non declinat de facili a fide et veritate; nec ex dicto vel facto malo alterius in peccatum ruit, quia, ut in Proverbiis dicitur : *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.* Dicit ergo : *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.* Mola asinaria dicitur, quam trahunt et volvunt asini vel equi cum rota in molendinis, et per hanc intelligitur quicumque gravis et ponderosus lapis. Quasi diceret : Multo utilius et melius est innoxium, et pœnitentem etiam noxium, gravissima pœna vitam finire temporalem, quam scandalizando et perdendo fratrem mortem mereri æternam; et eligibilius est hic temporaliter affligi, quam æternaliter cruciari. Ubi *Hieronymus*: « Secundum ritum provinciæ loquitur, quia majorum criminum ista apud veteres Judæos pœna fuit, ut in profundum, ligato saxo, demergerentur; expedit autem ei, quoniam multo melius est pro culpa brevem recipere pœnam, quam æternis servari cruciatibus; non enim judicat Deus bis idipsum : » hæc *Hieronymus*. Hoc etiam de onere peccati potest accipi, quia expedit ei, scilicet peccatori, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Mola asinaria est onus pœnitentiæ, mare est amaritudo contritionis. Peccatori ergo magis expedit cum mola asinaria, id est gravi pœnitentia demergi in profundum maris, id est amaræ et cordialis compunctionis, quam reservari æternæ damnationi. Hoc ergo, quicumque diligenter voluerit advertere, numquam videbi-

tur ei quodcumque onus pœnitentiæ grave, sed potius valde leve.

2 Væ mundo a scandalis. — Et subjungit Dominus: *Væ mundo*, id est mundanis hominibus, *a scandalis*; id est propter scandala quæ faciunt aliis. Quia si tam grave est scandalizare pusillos, quod ei qui scandalizat unum pusillum, magis expedit mola asinaria in profundum maris demergi, quod non est parvum væ; longe majus *væ*, scilicet æternum, imminet ipsi *mundo*, id est mundi amatoribus et peccatoribus, a *scandalis*, id est pro scandalis quæ non cavent, nec proximos scandalizare timent, ac tanta et tam magna inferunt scandala, nedum parvis, sed et magnis! Prælatorum autem et religiosorum scandalum periculosius est et gravius, quia eorum factum magis trahitur in exemplum. Sed quia posset ab eo quæri: Si ita malum est alios scandalizare, quare permittis scandala evenire? Respondit: *Necesse est enim*, id est expediens et utile est ad aliorum probationem, *ut veniant scandala*, id est bonæ et Deo placentis conversationis impedimenta. Et ideo dicit Apostolus: *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant in vobis.* Unde *Hieronymus*: « Sicut necesse est ignem calere, nivem vero frigere; ita etiam necesse est ut iniquitas mundi erroribus pleni scandala pariat, perfectorum vero caritas pietatis operibus luceat: » hæc *Hieronymus*. Non est necessitas absoluta, sed tantum ex suppositione, scilicet supposita tanta, ut appareat mundi iniquitate. Nulla etenim necessitas cogit humana corda esse iniqua, quæ tamen quia iniqua sunt, necessario movent scandala. Unde, secundum *Chrysostomum*, non destruit libertatem arbitrii, neque necessitati aliquarum rerum supponit; sed quod omnino futurum erat, propter hoc prædixit. Scandala quidem sunt prohibitiones rectæ vitæ, et necesse est ut veniant, id est omnino venient. Sed quia iterum posset argui: Si necesse est ut veniant scandala, ergo qui faciunt scandala non sunt puniendi, respondet, dicens: *Verumtamen væ*, scilicet æternæ damnationis, *homini illi per quem* causaliter, et cujus vitio, *scandalum venit*, si tamen sine peccato evitare potest; qui, quod necesse est, ut in mundo fiat, vitio suo facit, ut per se fiat. Si enim, ut ait *Chrysostomus*, necessitas esset, non dixisset væ homini, unde eos miseros dicit, qui ex electione perniciosi sunt. Ubi ait *Theophilus*: « Quærunt aliqui: Si necesse est ut veniant scandala, cur Dominus arguit scandalorum auctores? Quidquid et enim parit necessitas, veniale est. Sed attende quod necessitas ista ex libero arbitrio sortitur originem; videns enim Dominus qualiter homines innituntur malo, nec proponunt aliquid boni, dixit quod quantum est, ex consequentia eorum quæ videntur, necesse est contingere scandala. Sicut si medicus videns quemquam male diæta utentem, dicat: necesse est hunc ægrotare. Et ideo inducenti scandala *væ* dicit, et pœnam ei comminatur. » Ubi et *Hieronymus*: « Cum necesse sit, in isto mundo fieri scandala, unusquisque suo vitio scandalis patet; simulque per generalem sententiam percutitur Judas, qui proditioni animum præparaverat: » hæc *Hieronymus*. Et si aliquando utiliter scandalum quis faciat, non tamen judicabitur a Deo secundum utilitatem quæ inde provenit; sed secundum exitum quem scandalizans intendit. Bona fuit crucifixio Christi, non tamen bene fecerunt qui eum crucifixerunt. Semper judicat Deus opus ex nequitia peccantium, non ex eventu commodorum inde provenientium, quæ ipse solus facit et utiliter disponit. Ut autem dicit *Chrysostomus*: « Per scandalizantis pœnam, bravium salvantis addisce. Nisi enim unius animæ salus sibi nimium curæ esset, non comminaretur scandalizantibus tantam pœnam. » Et merito, *væ homini illi, per quem scandalum venit*, quia viam ad væ aliis præstruit. Sicut enim, qui intoxicaret fontem, causa esset mortis omnium potantium et morientium de eo; sic est et de scandalo. De hujusmodi sic dicit *Gregorius*: « Quantumcumque exemplum malæ conversationis, etiamsi illi non sequantur, quis præbuerit, se pro tantis rationem

noverit redditurum. » Unde et *Chrysostomus* : « Si vir aut mulier se ornaverit, et vultus spectantium ad se provocaverit, etsi nullum inde proveniat damnum, judicium tamen patietur in æternum; quia venenum obtulit, etsi non fuit qui biberet, pulchritudo enim venenum animabus infundit. « Magnum ergo peccatum est scandalum, et ideo summopere est cavendum. Unde *Augustinus*: « Magis peccant, qui animas ad peccandum inflammant, et Deo subtrahunt, quam qui carnem Christi crucifixerunt. » Unde et *Isidorus* : « Deteriores sunt qui sive doctrinis, sive exemplis, vitam moresque bonorum corrumpunt, his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt : » hæc *Isidorus*.

3 Scandalum passivum etiam vitandum est. — Deinde, quia egit de scandalo activo quod facimus, prohibens ne scandalizemus credentes; nunc agit de scandalo passivo quod patimur, monens ut caveamus scandalizantes, quia sæpe nihil vel parum distat in vitio scandalizare et fallere, vel scandalizari et falli. Cavendum est igitur, ne quis scandalizetur ab alio, vel a seipso. Alius autem potest præbere materiam scandali tripliciter : aut per adjutorium, quod signatur per manum; aut per servitium, quod per pedem; aut per consilium, quod per oculum. Secundum vero quod aliquis præbet sibi materiam scandali, potest esse : vel per actionem propriam, quæ per manum; vel per effectum, qui per pedem; vel per cognitionem, quæ per oculum designatur. Ad fugiendum ergo peccatum scandali, inducit Dominus metaphoram membrorum, et arguit: in tantum grave est peccatum scandalizantium, quod si nobis sunt conjuncti ut præoptata et carissima membra corpori, sicque sint nobis necessarii ut manus et pes vel ut oculus, quod ipsi qui sic scandalizant atque offendiculum vitæ ponunt, omnino nobis relinquendi et fugiendi sunt. Dicit ergo : *Si autem manus tua*, id est adjutor tuus quantumcumque tibi utilis, qui tibi operose ut manus ministrat, ac pro te operatur et adjutorium impendit, et qui te sicut dextera tua defendit; *vel pes tuus*, id est discursor tuus, qui in usus tuos discurrit, et te in labore vel in sollicitudine supportat, et ut pes infirma tua portat, *scandalizat te*, id est lædit te in causa animæ, *abscide eum*, quoad affectum, scilicet affectum ipsum rumpendo, *et projice abs te*, quoad effectum, scilicet societatem ejus devitando; et intelligitur, si castigare non potes. Et subdit rationem, dicens : *Bonum*, id est melius, *tibi est ad vitam ingredi debilem*, id est sine pernicioso adjutore vel socio, *vel claudum*, id est sine pernicioso sustentatore vel amico, et adjutorio ac supportatione istorum privatum; *quam duas manus vel duos pedes habentem*, id est duo adjutoria, vel duas supportationes, scilicet tuiipsius et amici scandalizantis, *mitti in ignem æternum*. *Et si oculus tuus*, id est consultor vel provisor et gubernator ad percipiendum acutus, qui te ut oculus ducit, vel dilectus sicut oculus, *scandalizat te*, id est in errorem vult ducere, *erue eum et projice abs te*, separando a societate. *Bonum*, id est utile, *tibi est cum uno oculo*, scilicet simplici veritate, ut non nisi tuam ipsius providentiam, ac consilium et gubernationem habeas, *in vitam intrare*; *quam duos oculos habentem*, id est duplicem provisionem, vel duplex consilium, scilicet tuiipsius et mali amici, *mitti in gehennam ignis*. Secundum *Augustinum*, per oculum intelligimus dilectum amicum consiliarium, quia oculus iter demonstrat; quod vero dexter est, intelligitur consiliarius in rebus divinis; sinister autem oculus est consiliarius in terrenis. Ut sit iste sensus : Quidquid illud est quod ita diligis, ut pro dextero oculo habeas, si scandalizat te, id est, si impedimento est tibi ad veram beatitudinem, erue etiam et projice abs te; quia occasiones peccandi sunt fugiendæ. De sinistro autem oculo scandalizante superfluum erit dicere, quando quidem nec dextro parcendum est. Dextera autem manus accipitur dilectus adjutor in divinis operibus, quæ huic vitæ et corpori sunt necessaria. Similiter suo modo est de pede dextro.

4 CONSANGUINEI ET AMICI SALUTI POSTHABENDI. — Et subdit Dominus de ipso igne prædicto : *Ubi vermis*, id est remorsus et cauterium conscientiæ *eorum*, *non moritur* nec quiescit, mœrore rodens et mordens animam, quod non sit operata bonum ; unusquisque enim suiipsius accusator fiet, rememorans quæ in vita gessit. Ubi ait *Ambrosius*: « Quæ pœna gravior, quam interius vulnus conscientiæ? Nonne hoc magis fugiendum est, quam mors, quam dispendium, quam exsilium? » *Et ignis* gehennæ exterius corpus urens, *non exstinguitur*, nec deficit: est enim ignis afflictivus, sed non consumptivus ; et ideo materia ejus semper durabit, nec habet contrarium a quo corrumpi possit. Unde ait *Beda* : « Sicut autem vermis est dolor interius accusans, sic ignis pœna extrinsecus sæviens. Et est sensus præmissorum in summa : Societas amicorum, vel necessariorum, quantumcumque videatur utilis esse, tamen præscindenda est, et removenda, si sit occasio ruinæ animæ tuæ. Melius est enim sine hujusmodi amicis vel necessariis esse in paradiso, quam habere tales, et postmodum esse in inferno. Etenim nihil est, quod contra salutem animæ debeamus diligere. Unde *Cassiodorus*: « Justitia non patrem, non matrem novit, personam non accipit, solum Deum considerat et attendit. » Rumpe ergo omnem affectum carnalem, et separa eum a te, si major et potentior es ; si minor es, separare ab eo, et in quantum potes, devita societatem ejus quem castigare nequis ; nihil enim tam nocivum ut perniciosa societas. Et ideo inemendabiles quantumlibet amici nobis vitandi sunt ; ne si cum perditis in hac vita partem habere volumus, simul in futura cum illis pereamus. Unde *Hieronymus* : « Melius est ut propinquitate et emolumentis carnalibus careas, quam, dum vis tuos lucrificare cognatos et necessarios, causas habeas ruinarum. Itaque non frater, non uxor, non filii, non amici, non omnis affectus qui nos excludere potest a regno cœlorum, amori Domini præponatur. Novit unusquisque credentium quid sibi noceat, vel in quo sollicitetur animus ac sæpe tentetur ; melius est vitam solitariam ducere, quam ob vitæ præsentis necessaria æternam vitam perdere ; melius est solum salvum fieri, quam perire cum pluribus : » hæc *Hieronymus*. Et nota, secundum *Augustinum*, quod etiam hoc ipso separantur, a quibus separantur, quando eis mala suadentibus, hoc est scandalizantibus, non consentitur. Sed quæritur, quid dimittendum est pro scandalo? Et dicendum, quod illud de quo quæritur : aut est malum in se, sive mortale, sive veniale, et de tali non est dubium quin dimitti debet ; aut est indifferens, et hoc similiter debet dimitti ; aut est bonum, et tunc aut est bonum præcepti, et hoc homo non debet dimittere, quia pro vitando peccato alterius, nullus debet peccare, aut bonum supererogationis, et hoc quamvis posset dimittere pro scandalo alterius, non tamen totaliter, sed aliquando ad tempus debet intermittere, quia est de vitæ perfectione et veritate, etsi non de necessitate ; ideo veritas vitæ, justitiæ et doctrinæ, non simpliciter est propter scandala dimittenda ; unde est versus :

Justitiæ, vitæ, doctrinæ scandala cedunt.

De hoc vide plura jam dicta, in capitulo præcedenti.

5 HUMILITATIS EXCELLENTIÆ. — Et notandum, quod multas humilitatis excellentias legimus in hoc loco. Habet enim humilitas excellentiam : primo, in Sanctorum collegio, quia est exemplar populi sancti, unde : *Advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum* ; secundo, in officio, quia est ostiaria paradisi, unde : *Et dixit* : *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* ; tertio, in præmio, quia est de majoribus regni, unde : *Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum* ; quarto, in primatu seu fastigio, quia est vicaria Christi, unde : *Et qui susceperit unum parvulum ta-*

lem in nomine meo, me suscipit; quinto, in judicio, quia est præcipua ultrix opprobrii, unde : *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei*, etc. ; sexto, in hoc exsilio, quia ejus ministri comites et adjutores sunt Angeli beati, unde sequitur : *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis... quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei.*

6 CUR NON SUNT CONTEMNENDI PARVULI? — Postquam ergo docuit vitare scandalum ; consequenter docet vitare contemptum, qui est quasi radix ipsius scandali. Quamvis enim pro vitando scandalo Dominus omnes carnales affectus præceperit respuere, non tamen usquequaque ut despiciamus illos, de quorum salute possumus spem habere, de qua solliciti debemus esse; unde dat specialem causam non contemnendi pusillos et parvulos, sed honorandi, et salutem eorum quærendi ; quia ipsi sunt Deo multum cari, quod ostendit ex duobus. Dicit ergo: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis.* Ac si dicat, secundum *Hieronymum* : Quantum in vobis est, nolite contemnere; sed post vestram salutem etiam illorum quærite sanitatem. Si autem perseverantes in peccatis illos videritis, melius est vos salvos fieri, quam perire cum multis. Et primo ostendit hoc ex honorabili Angelorum custodia, dicens : *Dico enim vobis, quia Angeli eorum*, id est eis assignati in cœlis, *semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*, id est visione manifestationis Dei perfruuntur. Facies enim Dei, secundum *Augustinum*, manifestatio ejus intelligenda est, et ideo possunt renuntiare injurias illatas eis quos custodiunt. Et est ratio a majori : quia parvuli non contemnuntur a majoribus, scilicet Deo Patre cœlesti et Angelis beatis; ergo nec a minoribus, scilicet hominibus miseris, debent contemni. Ac si dicat : Vos illos non debetis contemnere, sed honorare, quos Deus Pater cœlestis sic honorat et dignificat, quod ad ipsorum ministerium et custodiam Angelos beatos deputet; non est enim spernendum ab homine, quod apud Deum tantæ est curæ ; si ergo contemnitis, Angeli nuntiabunt et Pater meus ulciscetur de vobis. Unde *Hieronymus* : « Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum ! » Sic itaque Angeli existentes circa ministerium nostrum, quia ibi sunt ubi operantur, vident Deum in cœlo facie ad faciem ; quamvis enim mittantur, attamen vident Patrem, quia semper Deo inhærent per apertam visionem, et quia ubique Deus præsens est, ideo et in terra eum cernunt. Missi ergo ante Dominum sunt, quia quocumque veniunt, intra ipsum, qui ubique est, currunt; et cum ad nos veniunt, sic exterius implent ministerium, ut tamen numquam interius desint per contemplationem ; licet enim mittantur in ministerium pro salute hominum, tamen non recedunt a contemplatione divina, sed adstant Deo per contemplationem jugem et continuam. Et bene dixit : *Qui est in cœlis*, quia licet Deus sit ubique per essentiam, præsentiam et potentiam, tamen specialiter dicitur esse in cœlis, ubi adest Beatis per apertam visionem. Non ergo debent contemni, sed honorari, quos Deus sic honorat, quia contemptus istorum ascendit ad contemptum Dei, cujus imaginem habent. In eis quoque contemptis, contemnuntur Angeli eorum ministri et custodes. — Deinde subjungitur alia ratio, sumpta ex redemptione Christi. Unde *Chrysostomus* : « Ne dicas ille faber est, ille sartor, ille agricola ; ab Angelis qui eis missi sunt venerabiles sunt, sed quanto magis ex ratione redemptionis Dominicæ ! » Secundo, ergo pusilli non sunt contemnendi, sed honorandi, quos sic Deus dilexit, quod pro eis, qui in Adam ommes peccaverant et perierant salvandis, misit Filium suum in similitudinem carnis peccati. Unde ait : *Venit enim*, et de cœlo descendit *Filius hominis*, Salvator hominum, *salvare quod perierat*, scilicet genus humanum, non tantum magnos, sed etiam pusillos. Ac si dicat : Vos non debetis contemnere et perturbando perdere,

quos ego veni salvare, quia ego pro hominibus homo fieri dignatus sum. Unde dicit Apostolus: *Noli contristare et perdere fratrem tuum, pro quo Christus mortuus est.* Non sunt ergo contemnendi pusilli, qui tanti sunt apud Filium Dei, qui pro eis venit mori; nec debet servus contemnere, quos Dominus tantum dilexit, sed exemplo ejus omnem curam, ut salventur, adhibere, pro quibus salvandis Dominus venit. Et hæc ratio seu cogitatio, secundum *Chrysostomum*, major est priore. Grave est contemnere quem Deus honorat Angelo custode; sed gravius, propter cujus salutem Dei Filius voluit in mundum venire.

7 De Angelorum custodum ministerio. — De prædicto Angelorum ministerio sic dicit *Bernardus :* « Fidelis paranymphus, qui mutui amoris conscius, sed non invidus, non suam quærit, sed Domini gloriam. Discurrit medius inter dilectum et dilectam vota offerens, referens dona; excitat istam, placat illum. Interdum quoque, licet raro, repræsentat eos pariter sibi; sive hanc rapiens, sive illum adducens. Siquidem domesticus est et notus in palatio, nec veretur repulsum, et quotidie videt faciem Patris. » Unde et *Anselmus* : « Millia millium ad complenda Patris ministeria alacri discursu jugiter meant inter cœlum et terram, quasi apes negotiosæ inter alvearia et flores, suaviter disponentes omnia ; populus accinctus, nesciens labem, vel inobedientiæ moram : » hæc *Anselmus.* Vides quam fideliter Angeli nostri nobis serviunt. et quam solliciti circa nos sunt, unde illis magnam reverentiam debemus, et quotidie eos laudare, ac eis gratiarum actiones referre ; nihilque illicitum, vel turpe in eorum præsentia, qui nobiscum sunt, cogitare, vel loqui, aut omnia operari. Ad hæc nos monet *Bernardus*, dicens: « *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Quantam tibi debet hoc verbum reverentiam inferre, afferre devotionem, conferre fiduciam : reverentiam, pro præsentia; devotionem, pro benevolentia; fiduciam, pro custodia. Caute igitur ambula, tibi adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, *in omnibus viis tuis.* In quovis diversorio, et in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habeto ; ne audeas, illo præsente, quod vidente me, non auderes. Quid retribues Domino, pro omnibus quæ retribuit tibi ? Siquidem ei soli honor et gloria. Quare ei soli? Quia ipse mandavit, et omne datum optimum non nisi ab illo est; verumtamen, etsi ille mandavit, ipsi quoque, qui ei ex tanta caritate obediunt et nobis subveniunt in tanta necessitate, ingratos esse non licet. Simus ergo devoti, simus grati tantis custodibus; reclamemus eos quantum possumus, et quantum debemus : » hæc *Bernardus.* Et ideo, cum omni attentione necnon et devotione, distincte et alacriter officium divinum exsolvas ; et in omnibus, scilicet : cogitando et verba proferendo, videndo et audiendo, stando et sedendo, supplicando et veniam sumendo ; nec non in aliis singulis ad interiorem et exteriorem hominem in hoc officio spectantibus, sic reverenter et humiliter te habeas, quasi Deum ac beatam Virginem et omnes Angelos et Sanctos corporalibus oculis coram te videas, recogitans quod sine dubio præsentes sunt Angeli sancti, in quorum conspectu psallis Deo ibi et ubique præsenti. Unde qualiter homo in oratione possit intentionem suam recolligere, docet *Basilius*, dicens : « Quomodo non obtinebit quis, ut in oratione sensus ejus non vagetur, si certus sit assistere ante oculos Domini? Recogitet ergo homo se stare, seu pronum jacere ante conspectum Dei, et secum loqui, et juvabitur a vagatione mentis. Unde Jeremias : *Recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum,* imo recordari timet stare ante conspectum Dei : » hæc *Basilius.*

8 Quomodo novem choris Angelorum homo associari meretur. — Et, quia homines beatis spiritibus sociandi sunt, idcirco hic nota quod quicumque in Ecclesia est, et maxime in religione, fideliter, humiliter et devote ministret. Et qui propter Deum infir-

mis et peregrinis seu pauperibus et sibi invicem caritate fraterna subveniunt, in primo gradu consistent, Angelicis spiritibus coæquati. — Qui vero oratione et devotione familiarius Deo intendunt, et proximis suam doctrinam, consilium, auxiliumque impendunt, in secundo gradu, Archangelicis spiritibus inferentur. — Et qui se exercent in patientia, obedientia, et voluntaria paupertate, et humilitate, omnesque virtutes fortiter peragunt, tertium gradum cum Virtutibus conscendent. — Qui autem vitiis et concupiscentiis reluctantes, diabolum cum cunctis suggestionibus suis contemnunt, in quarto gradu cum Potestatibus triumphum gloriæ obtinebunt. — Qui vero in Ecclesia, animarum curas et prælaturas sibi commissas bene regunt et ministrant, animarum lucris, die noctuque invigilantes, et sic talenta sibi credita summo conamine duplicantes; hi cum Principatibus in quinto gradu gloriam regni pro labore suo possidebunt. — Qui autem divinæ majestati reverenter cum omni humili subjectione se inclinant, et pro ejus gloria omnem hominem reverentur et diligunt, et quidem semetipsos, quia ad imaginem Dei facti sunt, se etiam Deo quantum possunt conformant, carnem suam spiritui subjicientes, atque incentivum mortificantes, animo suo dominantes, et ad cœlestia transferentes; hi cum Dominationibus in sexto gradu exsultabunt. — Qui vero sedulæ meditationi et contemplationi inserviunt, ac cordis munditiam, et mentis tranquillitatem amplectendo, quietissimum in se Deo exhibent habitaculum; qui merito paradisus Dei appellari dicuntur, juxta illud : *Deliciæ meæ sunt esse cum filiis hominum*, de quibus etiam dicit : *Ambulabo in eis, et habitabo cum eis*, in septimo gradu Thronis sociabuntur. — Qui autem scientia et cognitione ceteris eminent, qui singulari beatitudine Deum facie ad faciem, mente illustrata, conspiciunt, et ea quæ ex ipso fonte omnis sapientiæ hauriunt, per doctrinam et illuminationem aliorum in ipsum refundunt, in octavo ascensionis gradu, cum Cherubicis spiritibus, locabuntur. — Et qui Deum toto corde et mente diligunt, et igni æterno, qui Deus est se totos immergunt, eique simillimi facti, jam non suo, sed divino amore, sicut dilecti ab ipso sunt, diligunt omnia in Deo, et tam inimicos quam amicos diligunt propter solum Deum, quos quidem ab amore nihil potest disjungere, seu impedire, quia quo magis inimici in eos insurgunt, eo validius in amore unitivo convalescunt, nihil etiam consolationis et commodi temporalis requirunt, nisi quod ad laudem et gloriam Dei spectat, amore etiam tam ferventi accensi et inebriati, ad Deum per mille mortes transire, exemplo Apostolorum et Sanctorum non formidant; omnibus enim pœnis et tribulationibus spretis, propter fervorem dilectionis in carne mortali, et in vita præsenti, omnem tolerant gaudenter molestiam, feliciter quidem in semetipsis ardentes et alios accendentes, ita ut, si possent, omnes homines in deifico amore inflammarent, et perfectos facerent, ut cum ipsis arderent; qui etiam aliorum vitia et peccata, tamquam propria, lugent; nec quæ sua sunt quærunt, sed solius Dei Patris faciem desiderabilem, hianti semper animo, super omnia diligunt et exquirunt; isti merito in nono gradu cum Seraphim computabuntur. Inter quos et Deum, nulli intersunt spiritus, qui ipsum vicinius contemplentur, et ipsi immediatius appropinquare videantur.

ORATIO

Domine Jesu Christe, Magister et rector bone, omnia interiora et exteriora mea guberna propitius et rege, ne umquam aliis de me, vel mihi de aliis scandalum proveniat; sed omnem occasionem scandali tua gratia a me ab-

scindat penitus et excludat. Da etiam mihi, ut nullum de pusillis seu parvulis præsumam contemnere ; sed potius omnes studeam honorare, quos tu sic honorare, dignatus es, quod ad eorum ministerium et custodiam Angelos beatos deputasti, et tu ipse, pro eis salvandis, de cœlo in mundum venire et mori voluisti. Amen.

CAPUT VII

DE TRIBUS PARABOLIS, SCILICET : OVIS, ET DRACHMÆ, ET FILII PRODIGI.

Lucæ cap. XV.

1 TRIA SUNT, QUÆ AD MISERATIONEM INDUCUNT. — Deinde, ne quis scandalizet et contemnat pusillos, et ad ostendendum quanti sint pusilli apud Patrem, subdit tres parabolas per ordinem. Sed, secundum Lucam, duplex fuit occasio, sive causa harum trium parabolarum, scilicet : appropinquatio publicanorum et peccatorum, ac murmuratio Scribarum et Pharisæorum. *Erant autem appropinquantes ei*, ad Jesum Salvatorem, *publicani et peccatores*, qui salute indigebant, *ut audirent illum*, quia rationabiliter peccata reprehendebat, et non cum austeritate, sed benigne eos admonebat, et spem veniæ promittebat. Libenter debent omnes ad Christum accedere et appropinquare, quia omnia remedia in eo poterunt invenire. De quibus sic dicit *Ambrosius* : « Omnis anima accedat ad Christum, quia omnia Christus est nobis ; si vulnus curare desideras, medicus est ; si febribus æstuas, fons est ; si gravaris iniquitate, justitia est ; si auxilio indiges, virtus est ; si mortem times, vita est ; si cœlum desideras, via est ; si tenebras fugis, lux est ; si cibum quæris, alimentum est. » *Et murmurabant Pharisæi*, simulata sanctitate ab aliis divisi, *et Scribæ*, Legis notitia doctores populi, *dicentes : Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis.* Quasi dicerent : Hic creditur bonus et sanctus, et tamen ad suam conversationem et gratiam recipit peccatores, et quod amplius est, manducat cum illis, tamquam eorum amicus. Si cognovissent Scribæ et Pharisæi, quod venit in hunc mundum peccatores salvos facere, nequaquam murmurassent ; nam eos recipiebat, ut conversando cum eis a peccatis converteret, et illuminaret, ac salvaret. Christus ergo peccatores pœnitentes recipiendos esse ostendit ; et super hoc tres parabolas adducit. Tria enim sunt quæ hominem ad miserendum consueverunt inducere, scilicet : simplicitas, propinquitas et necessitas. Ista tria similiter Deum inducunt ad miserendum. Primo, nostra simplicitas, et ad hoc pertinet prima parabola de ove errante : homo enim est simplex respectu hostis tam astuti, id est diaboli, unde clamat Psalmista : *Erravi sicut ovis quæ periit, quære servum tuum*, etc. —Secundo, nostra propinquitas quam nobiscum contraxit, et ad hoc pertinet secunda parabola de drachma amissa, in qua est imago regis, et superinscriptio nominis ; sic et homo ad imaginem Dei formatus est, et habet suprascriptionem Christi, quia a Christo dicitur Christianus ; et ideo debet nostri misereri, secundum illud Apostoli : *Nemo carnem suam odio habuit*, etc. — Tertio, nostra necessitas et paupertas, et ad hoc pertinet tertia parabola de filio prodigo revertente, qui dixit : *Quanti mercenarii in domo patris mei sunt, qui abundant panibus ; ego autem hic fame pereo !* Quando enim homo cognoscit suam miseriam et infirmitatem, tunc Deus sibi exhibet suam pietatem ;

unde dicitur ibidem, quod pater videns eum : *Misericordia motus est super eum*, etc.

2 PARABOLA OVIS ERRANTIS. — Respondendo ergo Scribis et Pharisæis murmurantibus, subjungit Dominus primo parabolam unius ovis ex centum errantis, quam quæsitam et tandem inventam, quia propter infirmitatem ambulare non poterat, pastor bonus in humeris suis ad gregem reliquum reportat; et veniens domum convocat amicos et vicinos, ad congratulandum sibi super inventione ovis quæ perierat. Sententia itaque hujus primæ parabolæ, secundum Lucam, talis est in summa : si quis ovem perditam postea inventam libenter recipit, non debet mirari vel indignari, si peccatores recipio ad pœnitentiam, qui prius amissi erant per culpam. Vel, referendo eam ad pusillos, de quibus dictum est supra, talis est hujus parabolæ sententia : sicut non est voluntas pastoris, ut pereat de ovibus suis, sic non est voluntas Patris cœlestis, ut pereat unus, nec etiam multi de pusillis, nec etiam de altis; et ergo pusillus non est contemnendus; si autem perit, non voluntate Patris cœlestis perit, quia nec voluntate approbationis, vel consilii, vel præcepti ejus peccat; eo tamen auctore damnatur, quia omnis pœna ab ipso est.

3 SEPTEM IN HAC PARABOLA MYSTICE NOTANDA. — In hac tamen parabola, secundum sensum mysticum, tanguntur septem in speciali : quorum primum est hominis et Angelorum creatio, ibi : *Quis ex vobis homo qui habet centum oves*; secundum, hominis creati prævaricatio, ibi : *Et si perdiderit unam ex illis;* tertium, Filii Dei ad quærendum ovem perditam, scilicet hominem, Incarnatio, ibi : *Nonne dimittit nonaginta novem in deserto*; quartum, ipsius per Christi Passionem inventio, ibi : *Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens;* quintum, in cœlum ejus Ascensio, ibi: *Et veniens domum*; sextum, Angelorum ad sibi congratulandum invitatio, ibi : *Convocat amicos, dicens eis : Congratulamini mihi*; septimum, sensus mystici expressio, ibi : *Dico vobis quod ita gaudium erit in cœlo, super uno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.* Quia vero centenarius perfectus est numerus, ipse Deus, secundum *Gregorium*, centum oves habuit, cum Angelorum et hominum naturam creavit et possedit; sed una ovis tunc erravit et periit, cum homo peccando pascua vitæ reliquit. Et intelligitur per unam ovem homo, et sub homine uno universitas omnium hominum, a principio usque ad finem mundi, sentienda est; quia unus creatus est homo unde omnes prodirent, et in unius hominis errore omne hominum genus oberravit. Nonaginta autem novem, id est novem ordines Angelorum, idem enim significat numerus simplex et compositus, dimisit ratione humanitatis assumptæ, in deserto, sive in montibus et excelsis, id est in cœlo, quod et diabolus et homo deseruit, quando peccavit. Cœlum quippe dicitur desertum, id est derelictum, tum quia fuit derelictum ab Angelo, qui in eo fuerat creatus; tum quia fuit derelictum ab homine, qui ipsum fuerat habiturus; item, quia instar deserti, in eo sunt dulces cantus avium, id est Angelorum, ibique sunt rosæ Martyrum, ac violæ Confessorum, et lilia Virginum. Et, ut perfecta summa ovium reintegraretur in cœlo, hominem perditum quærebat in terra. Et inveniens ovem, humeris suis imposuit, et ad gregem reportavit. Cum ergo pastor pius ovem perditam reperisset, non punivit, non verberavit, non urgendo ad gregem duxit; sed superponens humiliter humeris, et portans clementer, gregi annumeravit. Tunc vero ovem humeris reportans imposuit, quando naturam humanam suscipiens, peccata nostra ipse portavit; quia pro homine redimendo humanam naturam suscepit, et in brachiis suis in cruce extensis peccata hominis, id est pœnam peccatorum nostrorum, portavit. Et, secundum *Ambrosium*, humeri Christi crucis brachia sunt : illic mea peccata deposui, in illa patibuli nobilis cruce

quievi. Et attendendum quod Christus gaudens imposuit ovem humeris suis : quia, licet magnus fuerit dolor Passionis et mortis, quo genus humanum requisivit et humeris imposuit, hunc tamen et laborem et dolorem lætanter sustinuit, ut perditam ovem recuperaret. Inventa autem ove, ad domum venit; quia, reparato homine, ad cœleste regnum rediit, ad quod cum ove reversus est, quando cœlum ascendit, et *captivam* secum *duxit captivitatem*.

4 GAUDIUM ANGELORUM, PASTORIS ET CHRISTI. — Et convocat amicos et vicinos, scilicet Angelorum choros, qui amici ejus sunt, quia ejus voluntatem continuo custodiunt, et vicini, quia claritate visionis ipsius assidue perfruuntur, *dicens illis* : *Congratulamini mihi*, et simul mecum, *quia inveni ovem meam, quæ perierat*. Secundum *Gregorium*, non dicit, congratulamini, inventæ ovi, sed mihi; quia videlicet gaudium ejus est vita nostra, et cum nos ad cœlum reducimur, solemnitatem lætitiæ illius implemus. Vel, ideo congratulandum sibi est: quia non frustra laboravit, nec frustra mortuus est, ex quo ovem perditam invenit; ovi vero non est congratulandum, quia nullis suis meritis inventa est. Et subjungit, concludendo : *Dico vobis* : *Quod ita gaudium erit in cœlo, super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia*: non dicit pœnitentiam cogitante, quæ est pœnitentia procrastinorum; nec dicit pœnitentiam docente, quæ est pœnitentia verbosorum prædicatorum; nec dicit pœnitentiam ostendente, quæ est pœnitentia hypocritarum et simulatorum; sed dicit pœnitentiam agente, quæ est pœnitentia devotorum. Non est ergo gaudendum solummodo de redemptione generis humani; sed quacumque hora convertitur unus peccator, fit gaudium Angelis Dei, eo quod numerus eorum suppleatur, ex conversione peccatorum. Unde ait *Augustinus* : « Qui per pœnitentiam peccatum diluit, angelicæ felicitatis in æternum consors erit, hinc est quod super conversione peccatoris, velut de suo consorte, Angeli in cœlo gaudere dicuntur. » Nam, ut dicit *Origenes* : « Nos Angelis in cœlis occasionem gaudii præbemus, cum super terram ambulantes conversationem in cœlis habemus. » Secundum *Ambrosium*, Angeli quoniam rationabiles sunt, non immerito hominum redemptione lætantur, quamquam hoc quoque proficiat ad incentiva probitatis, si unusquisque conversionem suam gratam fore credat cœtibus Angelorum, quorum aut affectare patrocinium, aut vereri debet offensam ; et tu igitur Angelis esto occasio lætitiæ, et gaudeant de tuo reditu. Unde ait *Beda* : « Ovem ergo Dominus invenit, quando hominem restauravit, et super eam inventam majus gaudium est in cœlo, quam super nonaginta novem, quia major materia divinæ laudis est in restauratione hominum, quam in creatione Angelorum. Mirabiliter etenim Angelos creavit; sed mirabilius homines restauravit : » hæc *Beda*. Quamvis ergo pastor multo plus diligat oves nonaginta novem, quam solam centesimam ; tacitis tamen aliis, de restaurata multis modis se gaudere ostendit. Sic quoque Salvator de reparatione hominis magis gaudet, hoc est magis et pluribus argumentis ostendit se gaudere, quam de Angelorum stabilitate; usitatissimum etenim est, ut quamvis eum plus non diligamus, majorem tamen lætitiam de illo faciamus, quem de majori periculo liberari videmus. Sicut ergo pastor gaudet speciali gaudio de inventione unius ovis, non quia magis illam solam quam omnes alias diligat, sed quia in ea habet specialem rationem gaudendi, quam in aliis non habebat; sic Deus de reversione peccatoris habet specialem rationem gaudii, quam non habet de ceteris in justitia permanentibus: ceteris tamen paribus, permanentes in justitia sunt Deo magis dilecti.

5 MORALITER DE PRÆLATIS ET DE ELECTORUM NUMERO. — Per hominem centum oves habentem moraliter significatur præsidens monasterio, vel Ecclesiæ, habens subditos in quo-

cumque numero, quia sæpe in Scriptura ponitur numerus determinatus pro indeterminato ; et si perdiderit unam per apostasiam, vel occasionem aliam, nonne dimittit alias in deserto, id est in observatione claustrali vel ecclesiastica, quæ desertum dicitur, eo quod asperitas ibi videtur, et a multis deseritur; et vadit ad illam quæ perierat, ut ad bonum reducat; et gaudet de illius reductione plus quam super aliis non errantibus, non quia plus diligat eam ceteris, sed, quia habet specialem rationem gaudendi de reductione ejus, quam non habet de aliis ; non errantes tamen semper sunt plus, ceteris paribus, diligendi. Et nota, secundum *Dyonisium Areopagitam* : « Quod Dominus numerum electorum determinavit in decem : novem quidem ordinibus Angelorum, propter Trinitatem, in novenario enim numero trinarius fit tertio repetitus ; et uno ordine hominum, propter unitatem, ut unitas in Trinitate ab Angelis et hominibus laudaretur, coleretur, et adoraretur. Voluit autem numerum electorum constare ex Angelis et hominibus, quia voluit a creatura spirituali et a creatura corporali laudari : » hæc *Dionysius*.

6 Parabola drachmæ perditæ. — Ad idem subdit parabolam unius drachmæ ex decem perditæ, pro qua mulier accendit lucernam, et everrit domum, ac quærit diligenter, donec inveniat ; et super inventa cum amicis et vicinis gaudet. Drachma hoc loco est nummus certæ quantitatis, valens decem denarios usuales, habensque in se regis imaginem et superscriptionem ; quem nos debemus offerre, scilicet nosmetipsos, in quibus est imago regis. Unde, secundum eumdem *Dionysium* : « Homo microcosmus, id est minor mundus, dicitur. Habet enim ex terra carnem, ex aqua sanguinem, ex aere flatum, ex igne calorem. In cujus substantia spirituali imago et similitudo Dei exprimitur : imago in forma accipitur, similitudo in qualitate consideratur. Divinitas enim consistit in Trinitate, cujus imaginem tenet anima, quæ habet memoriam, intellectum et voluntatem. In Deo consistunt omnes virtutes, cujus similitudinem tenet anima quæ capax est omnium virtutum : » hæc *Dionysius*. Igitur drachma, scilicet homo ad imaginem Dei factus, pro cujus requisitione sollicitatur divina sapientia et sponsa ejus, scilicet mater nostra Ecclesia, pro cujus quoque inventione lætatur tota cœlestis curia, quamvis pusillus, non est contemnendus ; quia non vult Pater cœlestis, ut pereat unus de pusillis. Sententia autem hujus parabolæ, secundum Lucam, talis est in summa : Si mulier cum tanta diligentia drachmam perditam quærit, et de inventa gaudet, et ad gratulandum amicas et vicinas convocat ; multo fortius Deus hominem perditum debet cum magna diligentia quærere, et de ejus inventione gaudere ; et sicut nullus debet murmurare contra mulierem quærentem drachmam perditam, sic nullus debet murmurare contra Dominum quærentem peccatores, sive eos alloquendo, sive cum eis comedendo.

7 Sex in ea mystice notanda. — Ubi tamen, secundum sensum mysticum, notantur sex in speciali : primo, Angelorum et hominum creatio, ibi : *Quæ mulier habens drachmas decem* ; secundo, hominis creati prævaricatio, ibi : *Et si perdiderit unam* ; tertio, Filii Dei ad quærendam drachmam perditam Incarnatio, ibi : *Nonne accendit lucernam* ; quarto, ipsius per Christi Passionem inventio, ibi : *Et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat* ; quinto, Angelorum ad congratulandum invitatio, ibi : *Et cum invenerit, convocat*, etc. ; sexto, invitationis ratio, ibi : *Quia inveni drachmam quam perdideram.* Secundum *Gregorium*, qui significatur per pastorem, ipse etiam significatur per mulierem ; ipse enim Deus, ipse et Dei Sapientia : dicitur autem *mulier*, quia cum dolore nos parit. Angelorum vero et hominum naturam ad recognoscendum se Dominus condidit, et ad similitudinem suam creavit. Decem ergo drachmas habuit, quia novem sunt ordines Angelorum ;

sed, ut compleretur electorum numerus, homo decimus est creatus. Et quia imago exprimitur in drachma, mulier drachmam perdidit, quando homo, qui conditus ad imaginem Dei fuerat. peccando a similitudine sui Conditoris recessit. Quotidie adhuc ista drachma perditur, vel in pulvere divitiarum, vel in luto luxuriæ, vel in in diverticulo erroris cujuscumque.

8 Moraliter de quæsitione drachmæ et, ea reperta, de Angelorum gaudio, itemque de prælato. — *Accendit* autem mulier *lucernam;* quia Dei Sapientia apparens in carne, lumen deitatis accendit in testa nostræ mortalitatis, ad quærendum hominem perditum, et reducendum eum ad beatitudinem. Ista vero lucerna accensa refulsit miraculis, inflammavit dictis, illuminavit exemplis; collocatus enim erat homo in obscuris et umbra mortis, unde istam oportuit accendere lucernam. *Et everrit domum* conscientiæ, quia mox ut ejus divinitas per carnem claruit, omnis se nostra conscientia concussit. *Et quærit diligenter*, diligenter enim quæritur quod intime diligitur; sic vero ostendit Christus dilectionem, suam ad nos, ut animam suam pro nostra redemptione poneret; unde subditur: *Donec inveniat*, quia non destitit quærere, donec inveniret: quæsivit nos usque ad contumelias, usque ad minas, usque ad flagella, usque ad crucem, usque ad mortem, usque etiam ad inferna. Nec mirum, si eam invenit, quam ubique, etiam usque ad inferna, cum divinitatis lucerna ardenti quæsivit. Eversa ergo domo, invenitur drachma, quia, cum perturbatur hominis conscientia, reparatur in homine similitudo Creatoris; tunc enim consueta relinquuntur vitia, ut reluceat imago Conditoris. *Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas*, scilicet supernas Virtutes, quæ amicæ sunt, ut exsequentes voluntatem ipsius, et vicinæ, quia ei per gratiam continuæ visionis appropinquant; quas ad congaudendum invitat; *dicens : Congratulamini mihi*, et gaudii participes facit : *Quia inveni drachmam quam perdideram* : congaudent enim de peccatoribus ad eum conversis. Cum Deus de seipso habeat gaudium, et Angeli gaudeant in eo, gaudent tamen etiam de conversione pœnitentium, quando illud quod prædestinavit impletur; nec illud gaudium est Deo novum, aut temporale, sed æternum; Angeli vero quibus effectus prædestinationis innotescit, de nostra conversione temporaliter gaudent. Christus etiam gaudet super conversione cujuslibet peccatoris, propter duo: primo, quia per pœnitentiam ira sua placatur; secundo, quia pretium sanguinis sui in eo non frustratur. Est autem tantum gaudium Christo de conversione peccatorum, quod, si non sufficeret et sua Passio, rursus pati et mori esset paratus. Unde beatus *Dionysius* in epistola quadam scribit, quod cum quidam infidelis hominem fidelem a fide avertisset. Carpus quidam, vir magnæ sanctitatis, adeo moleste hoc ferebat, ut utrumque igne comburi Deum rogaret. Cui circa noctis medium apparuit Christus in aere, cum multitudine Angelorum; in terra vero apparuit fornax cum serpentibus accensus, ad quem trahebantur illi duo homines. Carpo ergo petente ardenti desiderio, ut mitterentur in fornacem, et moleste ferente dilationem; ecce Christus miseratus descendebat a solio suo in terram, et, extensis manibus, homines illos eripuit, elevataque manu, dixit Carpo : Iterum percute me lancea, paratus sum rursum pati et mori pro hominibus salvandis. Et subjungit Dominus concludendo : *Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei,* qui sunt vicini et amici Christi, *super uno peccatore pœnitentiam agente* : nam anima vitiorum laqueis capta et constricta, cum se corrigit et sic priora peccata relinquit, tam Cœlicolas quam Christicolas hilares facit. Unde *Bernardus* : « Denique gaudent in conversione et pœnitentia peccatorum, salutem hominum sitientes, quia lacrymæ pœnitentium sunt vinum eorum; hoc certe vinum lætificat cor hominis, hoc constat et Angelos bibere cum lætitia : » hæc *Bernardus.* Et si Angelis tantum gau-

dium est pro peccatore, qui propria peccata damnat, quantum eis gaudium pro justo, qui aliorum peccata plangit? Considera hic quanta debet esse pœnitentia, ut per eam accendaris, nec torpeas; et totam domum, id est mentem et conscientiam everras, ut drachmam usque ad novissimum pulverem inquiras diligenter, non pigre, neque moratim, donec invenias. — Moraliter, mulier potest dici præsidens, tum propter fæcunditatem, tum propter pariendi difficultatem; hujus mulieris drachmæ sunt animæ Dei imagine insignitæ, quarum si unam perdiderit, debet accendere lucernam, scilicet orando, meditando, sancteque vivendo; et vertere domum conscientiæ peccatoris, fervore prædicationis, ac terrore comminationis; et quærere diligenter, donec inveniat, quod fit quando ad pœnitentiam reducit.

9 Parabola filii prodigi. — Tertiam quoque de eodem et expressius addit Christus parabolam, scilicet de filio prodigo, qui, consumptis et perditis facultatibus, ad patrem reversus, susceptus est ab eo et honoratus; quia homo non solum est ovis cara pastori, non solum drachma pretiosa mulieri, sed viscerosæ caritatis filius carissimus Patri. Deus enim Pater hominem ad imaginem et similitudinem suam creavit, ut post Angelos expressiori similitudine præ ceteris creaturis filius Dei dicatur. Ideo nullus, quantumcumque pusillus est, contemnendus, cum sit summi Regis filius; præsertim ille cui dedit fidem et gratiam, per quam factus est filius adoptionis. Et, si post susceptam fidem et gratiam, quæ ipsum ex dono Dei contingebat, vixerit luxuriose, per culpam gratiam perdendo, vel spiritualiter fornicatus fuerit, fidem deserendo; adhuc non est contemnendus, adhuc a Christi et Ecclesiæ gremio non est ejiciendus, quia si pœnituerit, et humiliter redierit, adest Deus Pater *miserator et misericors*, qui non lætatur in perditione filiorum, qui occurrit pœnitenti, et dat ei osculum pietatis et amoris. In cujus receptione gaudet tota cœlestis curia; qui enim mortuus fuerat infidelitate et culpa, vivit fide et gratia: et qui perierat errore, inventus est, Christo pastore omnium requirente. Per hanc ergo parabolam datur intelligi benigna peccatorum a Deo receptio. Ex quo, secundum Lucam, vult habere, quod nullus debet indignari si benigne recipit peccatores.

10 Sex etiam in ea mystice notanda. — In hac autem parabola sex tanguntur: primo status naturæ, atque utriusque filii communis propagatio, ibi: *Homo quidam habuit duos filios*; secundo, lapsus culpæ, et adolescentioris a patre recessio, ibi: *Et dixit adolescentior ex illis patri*; tertio, locus pœnitentiæ, et ejusdem postmodum reversio, ibi: *In se autem reversus*; quarto, munus gratiæ, et revertentis a patre benigna susceptio, ibi: *Cum autem adhuc longe esset*; quinto, stimulus invidiæ, et de ejus jucunda susceptione senioris indignatio, ibi: *Erat autem filius ejus senior*; sexto, virtus doctrinæ, et indignationis ejus rationabilis sedatio, ibi: *Pater ergo illius egressus cœpit rogare eum.*

11 Hujus parabolæ applicatio Judæis et Gentilibus, innocenti et peccatori. — Potest autem hæc parabola exponi de populo Judaico, et Gentili; vel de innocente seu justo tepido, et de peccatore pœnitente devoto: Judaico, inquam, vel justo conquerente de Domino, dante majorem gratiam vel devotionis fervorem Gentili, vel pœnitenti, quam sibi. *Homo* ergo iste de quo hic dicitur, Christus est, qui *habuit duos filios*, id est duos populos, scilicet Judaicum et Gentilem, qui sunt Filii Dei quantum ad ejus imaginem; vel ejus filii sunt omnes Christiani per ejus Baptismum regenerati, quorum tamen aliqui sunt justi, et aliqui sunt peccatores. *Et dixit adolescentior ex illis*, id est Gentilis populus, unde et populus Judaicus vocatur in Exodo filius Dei primogenitus; vel adolescentior, id est peccator, qui juvenis est moribus: *Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit*; et sic petiit a patre portionem suæ substantiæ, ut recederet a Dei Patris Lege, et possit agere pro libito

voluntatis suæ, ac regeret se propria voluntate. *Et divisit illis substantiam*, quia Dominus dona sua omnibus largitur, licet diversimode, et dimittit quemlibet agere secundum arbitrii libertatem. *Adolescentior* vero *filius, non post multos dies, congregatis omnibus, peregre profectus est in regionem longinquam*, non localiter, a Deo Patre cœlesti, qui ubique est recedens, sed per multiplicationem peccati se a Patre, et patriæ cœlesti elongans; *et ibi*, scilicet in regione peccati, *dissipavit substantiam suam*, per peccatum bona gratiæ perdendo, et bona naturæ pejorando, *vivendo luxuriose* luxuria interiori, quæ est fornicatio spiritualis. et maxime idololatria, et luxuria exteriori, quæ est fornicatio corporalis et manifesta. Peccator ergo a Patre suo cœlesti recedit, quando mortaliter peccat; et tunc in regione longinqua est, quia longe est a peccatoribus salus; et talis luxuriose consumit suam substantiam, quando sensus suos et vires convertit ad malitiam. *Et postquam consummasset*, id est consumpsisset, *omnia* ornamenta naturæ, tam naturalia quam gratuita, *facta est fames valida in regione illa*, quia in regione peccati fit magnus defectus pabuli divini, et fames bonorum operum atque virtutum; *et ipse cœpit egere*, scilicet spiritualibus bonis et virtutibus, eorum fonte relicto; nam existens in mortali peccato fit egens omni spirituali bono. *Et abiit*, scilicet profectu erroris, et de malo in pejus ruendo, *et adhæsit uni civium regionis illius*, scilicet diabolo, qui est civis in regione umbæ mortis; *et iste misit illum in villam suam*, id est in cupiditatem mundanam, vel in peccatorum societatem, in qua dominatur sicut in propria villa, *ut pasceret porcos*, id est vitia quæ fœtida sunt et immunda. *Et cupiebat implere ventrem*, animæ scilicet affectum, *de siliquis quos porci manducabant*, id est de cibo porcorum, qui est carnalitas; *et nemo illi dabat*, scilicet ad satietatem, quia venter impiorum est insatiabilis; dæmones enim ad hoc student, ne umquam saturitas malorum proveniat.

12 Docetur peccator quid sibi faciendum ut ad Deum revertatur. — *In se autem reversus*, id est ad propriam suam conscientiam, per rationis dictamen, a qua recesserat sequendo sensualitatem; homo enim in peccando extra se egreditur, quia limites rectæ rationis transgreditur; et ideo pœnitendo ad seipsum revertitur. Debet autem pœnitens, secundum *Gregorium* recognoscere ubi fuit, quia in peccato. et ideo debet dolere; ubi erit, quia in judicio, et ideo debet timere; ubi est, quia in miseria, et ideo debet ingemiscere; ubi non est, quia in gloria, et ideo debet suspirare. *In se* ergo *reversus, dixit*, pœnitendo de peccatis et dolendo: *Quanti mercenarii*, id est Deo servientes pro mercede æterna, *in domo patris mei*, id est in Ecclesia seu congregatione justorum, *abundant panibus* spiritualibus, scilicet verbi divini, et Eucharistiæ sacramenti, ac pluribus virtutibus necnon donis; *ego autem hic fame pereo*, id est penuria omnis boni, quo privatum me sentio! *Surga* igitur de luto culpæ, per infidelitatis vel peccati derelictionem: quia jacebat; *et ibo*, per conatum bene operandi, et per meliorationem, quia longe aberat, *ad patrem meum*, a quo recesseram; quia sub diabolo principe porcorum erat; *et dicam ei*, recognoscendo culpam, et ipsi petendo veniam: *Pater*, scilicet ex natura quam dedisti mihi, *peccavi*, scilicet male vivendo, *in cœlum*, id est coram cœlesti curia. scilicet Angelis sanctis, et ideo multum debeo dolere et flere, quia sic eos contristavi; specialiter peccator peccat in Angelum custodem suum, quia sprevit ejus consilium; vel peccavi in cœlum, quod scilicet per culpam meam amisi, et per meam negligentiam non quæsivi; *et coram te*, scilicet vidente et sciente, id est in ipso conscientiæ meæ conclavi, ubi tui solius, qui Judex meus es, penetrant oculi; et ideo multum debeo erubescere et timere, quia peccavi ante oculos Judicis cuncta cernentis. Hic docetur modus confitendi, qui est quod omne bonum attribuamus Deo, quod notatur ibi:

Pater, a quo scilicet omne bonum habemus; et omne malum quod facimus attribuamus nobisipsis, quod notatur ibi: *Peccavi in cœlum, et coram te. Jam non sum dignus vocari filius tuus :* primo, quia a te recedens contristavi te; secundo, quia imaginem Patris non honoravi; tertio, quia, substantiæ meæ prodigus, extra disciplinam vixi; quarto, quia servum alterius, scilicet diaboli, me feci; quinto, quia degener in moribus pascendo porcos exstiti; sexto, quia ingratus te contempsi. *Fac me* per condignam satisfactionem, *sicut unum de mercenariis tuis*, scilicet bonum, qui servit pro æternis; non malum, qui servit pro temporalibus. Quasi diceret : Paratus sum amodo tibi satisfacere, tibique servire spe mercedis æternæ; mercenarius enim laborat pro mercede. Ecce ergo post contritionem et confessionem, satisfactionis oblatio: hæc est pœnitentia meditantis in confessione peccati, nondum tamen agentis. Postquam itaque ad necessitatem famis pervenerat, in se reversus pœnitentiam agere incipiebat, quia necessitas ipsum compellebat. In quo notare possumus Dei clementiam, quia etiam peccatores compellit agere pœnitentiam. In tantum enim nostram salutem diligit et quærit quod omnibus modis quibus potest nos attrahit : quosdam per prædicationem, quosdam per inspirationem, quosdam per beneficiorum largitionem, quosdam vero per flagellationem. Unde dicit *Beda*: « Prodigus iste, postquam in semet reversus diræ famis supplicia formidabat, velut jam servus effectus, etiam mercenarii statum de mercede jam cogitans concupiscit. Ad filii affectum, qui omnia quæ patris sunt sua esse non ambigit, aspirare nequaquam præsumit; sed mercenarii statum jam pro mercede servitutis desiderat : » hæc *Beda*. Distat autem inter mercenarium, et servum, et filium. Servus enim est, qui supplicia metuens solo timore pœnæ præsentis vel futuræ temperat se a vitiis, et declinat a malo. Mercenarius autem, qui causa mercedis, et desiderio regni cœlestis, obedit mandato et cavet offensas. Filius vero, qui servans jus heredis, non pro lucro servit mercedis; sed gratia ipsius boni et amore virtutum succensus, quidquid est illi contrarium, toto detestatur desiderio.

13 Benigna peccatorum a Deo receptio. — *Et surgens*, implendo quod deliberaverat, *venit*, id est venire cœpit, se ad pœnitentiam per bona opera disponendo, *ad patrem suum*, ejus gratiam requirendo. Est autem pater redeuntibus clemens. Nam sequitur : *Cum autem adhuc longe esset*, id est attritus et motus ad pœnitendum, non tamen perfecte contritus, ad quod requiritur Dei præveniens gratia; ideo subditur: *Vidit illum pater ipsius*, oculo clementiæ. Ut enim dicit *Chrysostomus*, sensit pater pœnitentiam; non exspectavit recipere confessionis verba, sed prævenit petitionem misericorditer agens; unde et subditur : *Et misericordia motus est*, misericorditer ei inspirando motum pœnitentiæ, *et* velociter, *accurrens*, ipsum præveniendo per misericordiam inchoantem, *cecidit super collum ejus*, cum amoris amplexibus contringendo per misericordiam concomitantem; *et osculatus est eum*, dulciter ipsum sibi perfecte reconciliando, per gratiam subsequentem. Occurrit quippe Dominus pœnitenti per gratiam prævenientem, et recipit eum per clementiam omnia scelera dimittentem. Unde ait *Gregorius Nyssenus* : « Confessionis meditatio placavit ei patrem ut obviam ei iret, et oscula conferret. » Unde et *Chrysostomus* : « Quid enim est aliud quod occurrit, nisi quia nos peccatis impedientibus, nostra virtute ad eum pervenire non poteramus, ipse autem potens ad invalidos pervenire, descendit? » Osculatur autem os ejus per quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat, quam pater lætus excipit. Incipit autem jam peccata confiteri ; unde sequitur : *Dixitque ei filius : Pater, peccavi in cœlum, et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus*, quod intellige ut supra; sed hic jam non facit mentionem de statu mercenarii, quia post-

quam suavissimum osculum recepit, ex tunc statum mercenarii dedignatur; sed, ut dicit *Beda*, pater occurrens non contentus minora concedere, utroque gradu sine dilatione transcurso, pristinæ filiorum restituit dignitati; nec jam de mercede conductoris; sed de hereditate fecit cogitare parentis.

14 QUID IN SENSU MYSTICO STOLA PRIMA, ANNULUS, CALCEAMENTA ET VITULUS SAGINATUS? — *Dixit autem pater*, scilicet Deus, *ad servos suos*, id est Apostolos et Ecclesiæ ministros, quibus Christus præcepit benigne recipere pœnitentes et confitentes: *Cito proferte stolam primam*, id est cito proferendam et restituendam vere pœnitentibus innocentiam nuntiate et promittite; *et induite illum*, id est ostendite et certificate illum induendum; *et date annulum*, id est fidei signaculum docete dandum *in manu*, id est opere *ejus*, ut per opera fides clarescat, et per fidem opera confirmentur; annulus enim rotondus, cum non habet principium neque finem, significat fidem æternæ Trinitatis, quo fidelis anima Deo desponsatur; hunc annulum debent ministri Ecclesiæ in manu dare, docendo ipsum habendum in opere: *Fides enim sine operibus mortua est*, et similiter opus sine fide non sufficit; *et calceamenta*, id est Sanctorum exempla, *in pedes ejus*, scilicet in intellectu et affectu. Secundum *Chrysostomum*, ad non tangendum terrena, et ad corrigendum viam, ut per lubricum mundi istius iter fixus et immaculatus incedat. *Et adducite vitulum saginatum*, id est Christum, quem, secundum *Chrysostomum*, vitulum nominat propter hostiam et immolationem corporis immaculati; saginatus autem dicitur propter gratiarum pinguedinem et plenitudinem, quia pinguis et opimus omni spirituali virtute in tantum est, ut pro totius mundi salute sufficiat; *et occidite*, hoc est, secundum *Augustinum*, mortem ejus insinuate; tunc enim cuique occiditur, cum credit occisum. Hic ergo vitulus filio prodigo revertenti adducitur et occiditur, quando Christi Passio Gentili populo et cuilibet peccatori prædicatur; aut quando in sacramento Eucharistiæ ministratur. Hic vitulus semel occisus est in re, sed multoties in sacramentali repræsentatione; quotidie vero immolatur et credentium fide, et prædicantium recordatione. *Et manducemus et epulemur*, quia peccator vere pœnitens ad mensam Christi cum aliis Christianis recipitur; et non solum filius reversus reficitur, sed etiam pater et servi ejus, quia refectio Dei et Sanctorum est salus peccatorum; et ideo bene dicit pluraliter: Manducemus et epulemur. Unde *Ambrosius*: « Epulantem autem inducit, cum dicit *epulemur*, ut ostenderet quoniam paternus est cibus salus nostra, et Patris est gaudium nostrorum redemtio peccatorum. » *Quia hic filius meus mortuus erat*, spiritualiter per infidelitatem et morte culpæ, *et revixit* per fidem et vitam gloriæ; vel, *mortuus erat*, per separationem a Deo, tamquam a Patre, *et revixit*, revertendo ad Deum tamquam ad Patrem suum, quia, secundum *Augustinum*, vera mors, quam homines non timent, est separatio animæ a Deo, qui est vera vita animarum; *perierat*, scilicet recedendo a consortio Sanctorum, quasi a fratre, *et inventus est*, quia matri Ecclesiæ restitutus per Baptismum, vel pœnitentiam. Et nota hic circa receptionem peccatoris, quod Pater de cœlis recipit pœnitentem velociter; quod notatur cum dicitur: *Et accurrens*, quia Deus *pronus est ad miserendum*, et tardus ad puniendum, cujus natura et proprietas est *misereri semper et parcere*; secundo, recipit dulciter, reconciliando eum per gratiam sibi, ideo dicitur: *Cecidit super collum ejus*; tertio recipit honorabiliter, ideo dicitur: *Proferte stolam primam, et induite illum*, id est restituite innocentiam quam in Baptismo induerat, sed per peccatum perdiderat; et *date annulum in manu ejus*, id est gratiam bene operandi, quia non sufficit habere innocentiam, nisi fiant opera bona, sed quia in operando sæpe adversa occurrunt, ideo subditur: *Et calcea-*

menta in pedes ejus, id est constantiam contra adversa; quarto, recipit lætanter, unde dicitur : *Et adducite vitulum saginatum, et occidite; et manducemus et epulemur*. Deus enim ipsi pœnitenti consolationes et dulcedines infundit, et in conversione peccatoris ipse Deus, et Angeli, et omnes Sancti gaudent.

15 Indignatio senioris fratris. — *Erat autem filius ejus senior in agro*, id est Judaicus populus in cultu unius Dei occupatus erat, Legem observando; vel Christianus in justitia perseverans, remisse tamen operando. *Et cum veniret et appropinquaret domui*, scilicet Ecclesiæ, *audivit symphoniam et chorum*, scilicet pœnitentes Deum laudantes, et in Domino gaudendo epulantes; *et vocavit unum de servis, et interrogavit quid hæc essent*, scilicet festa Ecclesiæ vel gaudia. *Isque dixit illi* : *Frater tuus*, id est Gentilis populus, vel peccator, *venit*, scilicet ad fidem et pœnitentiam; *et occidit pater tuus*, id est Deus, qui est Pater omnium per creationem, *vitulum saginatum*, id est Christum, quod intellige, ut supra dictum est, *quia salvum ipsum recepit*, scilicet Gentilem populum et peccatorem. *Indignatus est autem* frater senior, talis enim aliquando miratur quod Deus respicit magis peccatorem conversum, dando ei virtutem fortius operandi, et talis admiratio potest dici indignatio large loquendo, in quantum talis non videtur dignus tanto bono; *et nolebat introire*, scilicet ad convivium, id est in Ecclesiam, vel in peccatorum communionem, propter indignationem. *Pater ergo illius*, scilicet Deus, volens pacificare eum et amovere hanc admirationem, seu indignationem, et cupiens hunc salvare: *Vult* enim *omnes homines salvos fieri... egressus*, scilicet de domo synagogæ in Ecclesiam, vel de rigore justitiæ ad misericordiam; *cœpit rogare illum*, per se, scilicet interna inspiratione; et per suos vicarios, scilicet apostolica prædicatione, et aliorum eruditione, ostendens justo quod hoc non provenit ex parte veteris peccatoris pœnitentis, sed ex infinita bonitate Dei conferentis, secundum sua vera judicia facultatem omnium transcendentia; et quod quidquid operatur juste fit, licet hominibus aliquando aliter videatur. *At ille respondens dixit patri suo* indignationis suæ causam ostendendo: *Ecce tot annis servio tibi*, scilicet Legis justitiam sectando, vel pro te mala sustinendo, et bona faciendo, *et numquam mandatum tuum præterivi*, quod scilicet est de uno Deo colendo, vel a justitia incepta recedendo, *et* tamen *numquam dedisti mihi hœdum*, quia omnia beneficia Veteris Legis modica sunt, et quasi nullius reputationis respectu beneficiorum Novæ Legis; *ut cum amicis meis epularer*, scilicet cum Prophetis, Patriarchis et Angelis; vel hœdum, id est tantam peccatorum exprobationem et abominationem, ut epularer per devotionis fervorem. *Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam*, scilicet temporalem et spiritualem, *cum meretricibus*, id est cum carnalibus vitiis et spiritualibus, *venit, occidisti ei vitulum saginatum*, scilicet Christum, vel dedisti ei magnæ devotionis pinguedinem. Quasi diceret, secundum ordinationem tuam hoc fuit.

16 Quomodo a patre reprehendatur. *At ipse*, scilicet pater ejus, *dixit illi*, scilicet filio suo seniori, tamquam pius pater ipsum placare volens: *Fili, tu semper mecum es*, scilicet per Legis observantiam, vel per justitiæ custodiam; *et omnia mea tua sunt*, scilicet bona gratiæ in re, et bona gloriæ in spe. Quasi diceret: Tamquam jure hereditario per debitum remunerationis tibi omnia mea debentur. *Epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic*, scilicet, unde congaudere deberes, non indignari, *mortuus erat*, scilicet per privationem fidei, quæ est animæ vita, vel per amissionem innocentiæ et justitiæ, *et revixit*, per susceptionem fidei et recuperationem innocentiæ; *perierat*, propter morum amissionem, *et inventus est*, quia redditus matri Ecclesiæ propter emendationem. Monet eum gaudere : quia in hoc apparet

optime bonitas hominis, quando scilicet libenter videt emendationem et correctionem fratris. Unde *Augustinus*: « Nihil ita probat spiritualem virum, sicut peccati alieni curatio; cum liberationem potius quam insultationem, potius auxilia quam convitia meditatur; et quantum facultas tribuit, suscipit. » Ubi *Chrysostomus*: « Hæc ergo parabola ad hoc est composita, quod peccatores non diffidant reverti, scientes quod magna consequentur; unde introducit alios turbatos in eorum bonis, non ut judicet eos livore tabescentes, sed tanto decore honoratos redeuntes, ut etiam invidiosi possint aliis fieri: » hæc *Chrysostomus*. Unde dicit et *Dionysius*: « Vere optimus, et superoptimus Jesus Christus, qui redeuntibus amabilem se exhibet; accedentibus quoque occurrit et obviat; et totus totos amplectens salutat; et in humeros tollit, quos vix ab errore convertit; nec de prioribus illos accusat, sed diem festum agit, et amicos convocat, et, ut fit omnium lætantium habitudo, optimos quoque Angelos in lætitiam suscitat: » hæc *Dionysius*. Quotidie Deus filium recipit revertentem, dum quemlibet peccatorem recipit pœnitentem; et alia supradicta circa eum facit, dum gratiam quam in Baptismo receperat, et per culpam perdiderat, iterum illi reddidit. Igitur non debemus fratrem nostrum peccatorem contemnere, vel derelinquere; sed revertentem dulciter recipere, ac caritatem circa eum ostendere, et benigne tractare: ne Salvator noster iratus nos peccatores merito contemnat, et juste derelinquat. Considera nunc quantum operatur pœnitentia, et quanta sit circa pœnitentes Dei misericordia. Unde *Bernardus*: « O felix pœnitentium humilitas! O bona spes confitentium! quam facile vincis invincibilem, quam cito tremebundum Judicem convertis in piissimum Patrem! » Et iterum: « O quæ et qualis et quanta est misericordia Dei, quæ peccatorem conversum non minus diligit, quam eum qui nullam peccati maculam contraxit! » hæc *Bernardus*.

17 Relationes et mira concordantia trium harum parabolarum. — Tres igitur parabolæ uno fine clauduntur, de quibus *Ambrosius* sic loquitur: « Non otiose sanctus Lucas ex ordine tres parabolas posuit: ovis quæ perierat, et inventa est; drachma quæ perierat, et inventa est; filius qui erat mortuus, et revixit: ut triplici medio provocati vulnera nostra curemus. Spartum enim triplex non corrumpetur. Qui sunt isti? Pater, pastor, et mulier. Nonne Deus, Pater? Christus, Pastor? Mulier, Ecclesia? Christus te in corpore suo revehit, qui tua in se peccata suscepit, quærit Ecclesia, recipit Pater; quasi Pastor revehit, quasi mulier inquirit, quasi Pater vestit; prima misericordia, secunda suffragatio, tertia reconciliatio. Singula singulis quadrant. Redemptor subvenit, etiam suffragatur, auctor reconciliatur. Eadem divinæ operis misericordia, sed diversa pro meritis nostris gratia. Ovis a pastore lassa revocatur, drachma quæ perierat invenitur, ad patrem filius suis vestigiis redit, et plena condemnati erroris regreditur pœnitentia. Oves sumus, oremus ut super aquam refectionis nos collocare dignetur, oves, inquam, sumus, pascua petamus; drachma sumus, habeamus pretium; filii sumus, ad Patrem redire festinemus; nec vereare ne te non recipiat. Non enim delectatur Deus perditione vivorum. Jam occurrens venienti tibi cadet super collum: *Dominus* enim *erigit elisos*. Osculum dabit, quod est pignus amoris; stolam, annulum, calceamenta proferri jubebit. Tu adhuc injuriam metuis ille restituit dignitatem! Tu supplicium vereris, ille osculum defert! Tu convitium times, adornat ille convivium! Facile reconciliatur, quando intense rogatur. Ideo discamus, quali Pater, obsecratione sit ambiendus. *Pater*, inquit, quam misericors, quam pius, qui nec offensus patrium dedignatur nomen audire! *Pater* inquit, *peccavi in cœlum et coram te*. Hæc est prima confessio apud auctorem naturæ, apud solem misericordiæ, arbitrum culpæ

Sed et Deus novit omnia, vocem tamen tuæ confessionis exspectat : *Ore enim confessio fit ad salutem.* Confitere ergo magis, ut interveniat pro te Christus, quem advocatum habemus apud Patrem, roget Ecclesia, illacrymet populus; nec vereare ne non impetres: advocatus spondet veniam, patronus promittit gratiam, reconciliationem tibi paternæ pietatis pollicetur assertor. Crede, quia veritas est; acquiesce, quia virtus est; habet causam ut pro te interveniat, ne pro te gratis mortuus sit; habet et causam ignoscendi Pater, quia quod vult Filius, vult Pater. Occurrit tibi, quia audit te intra mentis secreta tractantem. Et cum adhuc longe sis, videt et accurrit: videt in pectore tuo, accurrit, ne quis impediat, complectitur quoque. In occursu præsentia est, in amplexu clementia et quasi quidam patrii amoris effectus ; supra collum cadit, ut jacentem erigat, ut oneratum peccatis atque in terrena defluxum reflectat ad cœlum, in quo suum quærat Auctorem. Cadit in collum tuum Christus, ut cervicem jugo exuat servitutis, et collo tuo jugum suave suspendat: » hæc *Ambrosius.*

18 Pusilli diligendi sunt nec unquam contemnendi. — Considera nunc ex præmissis, quam multis modis inducit nos Deus, ut pusillos et humiles diligamus, nec aliquem ex his contemnamus, sed salutem eorum cum diligentia quæramus. Unde *Chrysostomus* : « Vides per quot inducit nos ad vilium fratrum diligentiam, ne utique contemnamus tales animas. Etenim hæc omnia dicta sunt propter hoc; omnia ergo sunt tolerabilia, propter salutem fratris. Ita enim studiosissimum quid Deo est anima, ut neque proprio Filio suo pepercerit; ideo, rogo, mane apparente, confestim exeuntes a domo, hanc unam intentionem habeamus, et idem ad omnes studium, ut eum qui periclitatur eripiamus; non dico hoc solum sensibile periculum, sed id quod est animæ, id est quod a diabolo hominibus infertur : » hæc *Chrysostomus.*

ORATIO

Veni, Domine Jesu, quære servum tuum ; veni, pastor bone, quære errantem et lassam ovem tuam; veni, Sponse matris Ecclesiæ, quære drachmam perditam; veni, Pater misericordiæ, recipe filium prodigum ad te revertentem. Veni non cum virga, sed cum caritate, et spiritus mansuetudine ; veni ergo, Domine, quia solus es qui possis errantem revocare, perditum invenire, profugum reconciliare; veni, ut facies salutem in terris, gaudium in cœlis; et converte me ad te, et da mihi veram et perfectam pœnitentiam agere, ut sim Angelis occasio lætitiæ, Domine Deus salutis meæ. Amen.

CAPUT VIII

DE MODO CORREPTIONIS FRATERNÆ, ET DE DIMITTENDO FRATRI SEPTUAGIES SEPTIES.

Matthæi cap. XVIII.

1 Præceptum correptionis fraternæ. — Et, quia Deus gaudet de peccatore converso, consequenter Christus dat modum reducendi peccatorem ad ovile Dominicum ; et quomodo pereunti per culpam succurratur per

correptionem fraternam. Circa hanc vero correptionem fraternam est sciendum, quod corripere peccantem præceptum est affirmativum, et est omnium in omnes: quia, secundum *Glossam*, ita peccat qui fratrem suum peccare videt et tacet, sicut qui peccanti non indulget. Ista enim correptio ordinatur ad emendationem fratris peccantis ; et ideo est actus caritatis, et pertinet ad omnes, quia, ut dicitur in Ecclesiastico : *Unicuique mandavit Deus de proximo*, et ideo sicut quilibet tenetur proximum ex caritate diligere, ita tenetur defectus ejus caritative, et ad emendationem ejus corrigere. Plus tamen ad hoc ligantur prælati quam alii: quia prælati ex zelo caritatis, et ex officio prælationis ; sed alii tantum ex zelo caritatis. Item, prælati habent corripere verbo et flagello, alii tantum verbo. Et, cum sit præceptum affirmativum, ligat semper, sed non ad semper exsequendum, sed pro loco et tempore, quando licet et expedit, et homo credit quod correptio sit utilis apud illum quem corrigere intendit. Sunt autem quinque casus in quibus absolvitur homo ab isto præcepto. Primus, cum non adest aliqua spes emendationis; unde *Hieronymus*: « Frustra niti, et nihil quam odium quærere, extremæ dementiæ est. » Secundus, cum timetur defectus probationis et criminaliter agitur, ubi scilicet actor ad talionem, si in probatione deficiat, obligatur. Tertius, cum prælato tamquam judici notum est factum, quia ille notorius est, vel convictus. Quartus, cum meliori operi, vel ad minus æque bono vacat, sicut monachi facere debent. Quintus, cum multitudo vel potestas est in culpa, ubi correptio plus noceret Ecclesiæ, quam prodesset; unde est versus :

Non spes, non testis plebs, præsul scit, monachus sum.

2 HUJUS MODUS ET FORMA. — Ostendit ergo hic debitum modum correptionis hujus, et quis ordo in processu ejus sit servandus. Peccatum enim fratris aut est tibi soli cognitum, aut est publicum. Si tu solus scis, non ut Deus per confessionem, sed ut homo per certam cognitionem, debes ipsum corrigere amicabiliter, secrete, et seorsum. Unde dicitur : *Si autem peccaverit in te*, id est, secundum *Augustinum*, te sciente, *frater tuus*, scilicet proximus tuus, *vade et corripe et increpa eum*, dulciter et caritative monendo secrete *inter te et ipsum solum*, ut non deducatur in publicum, quod est occultum; ut sic sis emendator, non criminis proditor, intendens correctionem, parcens pudori ; ne si publice correptus semel pudorem aut verecundiam amiserit, in peccato permaneat, et pertinacior effectus difficile emendabilis maneat : forte enim præ verecundia inciperet defendere peccatum suum, et quem vis facere correctiorem, facis pejorem. Peccat ergo frater in illos, quibus scientibus peccat : quia, quantum in eo est, exemplo corrumpit quos testes suæ iniquitatis efficit. Corripe, inquam, eum : non laudes, adulando ; non occidas, convitiando ; non sileas, verecundando ; non negligas, pigritando ; non dissimules, inimicitias vel damna temporalia metuendo, non juves tandem, obsequium præstando. Unde sic dicit *Seneca* : « Amici vitia si feras, facis tua ; bis peccas, cum peccati obsequium accommodas : » hæc *Seneca*. Subdit autem : *Et si te audierit*, pœnitendo et a peccato cessando, *lucratus eris fratrem tuum*, animam ejus salvando : et ejus revocatio cedet tibi in lucrum spirituale, scilicet salutis animæ tuæ, quia, ut dicit *Hieronymus*, per salutem alterius, nobis quoque acquiritur salus. Et certe libenter, ac patienter, debet quis recipere correptionem, propter animæ suæ utilitatem. Unde *Seneca* : « Moneberis libenter, et reprehenderis patienter ; si merito objurgavit te aliquis, scito quia profuit, et si immerito, scito quia prodesse voluit. Non acerba, sed blanda verba timeas : » hæc *Seneca*. *Si autem te non audierit*, taceas et cesses, donec aliam viam procedendi habeas. — Alia autem via potest haberi dupliciter ; quia illud peccatum aut est iterabile aut non ; si sit iterabile, debes aliqui-

bus bonis qui velint prodesse aliquid dicere, per quod possunt eum deprehendere, ut tecum possint eum corripere; si autem non sit iterabile, nihilominus coram talibus potes eum corripere, ut de illo pœniteat, et de simili sibi caveat; nec es proditor fraterni criminis, sicut dicit *Augustinus*. Si ergo per primam viam peccator non emendetur: ***Adhibe tecum adhuc unum vel duos***, ita quod, secundum *Hieronymum*, cum peccator non audit corripientem in secreto, primo debet adhiberi unus qui, secundum *Augustinum*, vult prodesse non obesse. Quod si nec illum audierit, adhibeatur et tertius : vel corrigendi studio, ut scilicet aut admonitione, aut pudore corrigatur; vel conveniendi eum sub testibus, ut de peccato convincatur; vel, secundum *Glossam*, si dixerit non esse peccatum, probent contrarium : ***Ut in ore duorum vel trium testium, stet omne verbum.*** Si ergo peccatum omnino est occultum, tunc frater corripiatur occulte; si autem est publicum, tunc debet corripi publice, quia tunc non solum opus est ut ipse emendetur, sed et illi quos scandalizavit, in ipsa punitione ædificentur; et ejus exemplo alii timeant, et a malis coerceantur. — Et, si non prosit secunda via, addit Dominus tertiam, quæ habet vim coactivam, sic dicens : *Quod si eos*, scilicet tecum corripientes et commonentes, *non audierit*, se corrigendo, *dic Ecclesiæ*, id est prælato per denuntiationem publicam, sibi intimando : ut, qui prius eras corrector, propter ejus pertinaciam, fias accusator; et tunc sunt testes inducendi ad facti probationem, qui prius fuerant inducti ad fratris secretam admonitionem, ut qui emendari noluit correptione fraterna, in judicio convictus coerceatur a malitia. Quos autem non potes corripiendo, aut monendo vel accusando convertere, studeas saltem orando acquirere.

3 Pœna peccantis publice nec emendari volentis. — Deinde, ad pœnam peccantis publice procedit, dicens : *Si autem et Ecclesiam non audierit*, præceptum prælati contemnendo, ***sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus***, in numero fratrum non computandus, id est separetur a communione fidelium per excommunicationem et censuram ecclesiasticam ; et devita eum tamquam hæreticum et excommunicatum, ut vel saltem pudore corrigatur, et opprobriis salvetur. Ethnicus dicitur Gentilis; Ἔθνος enim Græce, *gens* est Latine. Publicanus vero dicitur, qui lucra seculi sectatur per fraudem, furta et perjuria; vel, qui publicorum exactor est vectigalium. Proponuntur autem isti in exemplum, quia apud Judæos, quasi excommunicati habentur, non enim eis coutuntur; et in hoc culpa ejus et pertinacia magis detestabilis ostenditur. Detestabilior enim est in eodem genere peccati, et paribus aliis circumstantiis, qui sub nomine fidelis agit opera infidelium, quam qui aperte Gentiles sunt. Nec tamen ideo negligenda est salus ejus; nam et ipsorum Gentilium et Publicanorum salutem semper inquirimus. Prima ergo correptio est amoris; secunda, timoris; tertia, pudoris : quia primo frater revocandus est amore; et, si hoc non proficit, revocandus est timore ; et, si hoc non sufficit, revocandus est pudore. Sane prædictus ordo fraternæ correptionis intelligitur tantum de criminalibus. Solent autem claustrales se in suis capitulis accusare, non præmissa admonitione; caveat tamen accusans, ne hoc ad infamandum, sed ad corrigendum faciat; quia aliter graviter peccaret. Felicior est qui seipsum accusat, et, excusationem aliunde non exspectat. Et ne quis superbus sequestrationem, vel excommunicationem talem contemneret, potestatem suis tribuit Apostolis, ut sciant, qui a talibus damnantur, eorum sententiam non contemnendam : quia robur et firmitatem habet a Deo confirmante in cœlo, quod minister ejus facit in terra. Unde dicit : *Amen dico vobis, quæcumque ligaveritis super terram*, id est in Ecclesia militante, ab ea excludendo, *erunt ligata et in cœlo*, id est in Ecclesia triumphante, quia talis sententia confirmabitur divino judicio ; *et quæcumque solveritis super terram*,

vocando ad Ecclesiæ unitatem, *erunt soluta et in cœlo*, per divinam approbationem. Ac si eis dicat : Sententia vestra firma stabit in abjiciendo contumacem, et in recipiendo pœnitentem, adhibita tamen debita diligentia in ferendo sententiam. Sive autem juste, sive injuste proferatur, semper sententia pastoris timenda est ; ne forte culpa quæ non fit ex opere, fiat ex elatione. Hoc dicit Dominus ad commendationem auctoritatis Ecclesiæ, et ad terrorem peccatorum; ut coerceantur a malis, et pœniteant de commissis, quando audiunt, quod hic in terra propter culpam ligati, ligamur et in cœlis. Quod vero hic generaliter omnibus dicitur, dictum fuit supra Petro singulariter, in quo tamen omnes intelliguntur.

4 Duo commoda ex unione cum Ecclesia, quibus excommunicati privantur. — Deinde, ut peccatores non contemnant pœnam qua ab Ecclesia excluduntur, ponit duo commoda ex unitate et communione Ecclesiæ, quibus ab Ecclesia præcisi, et excommunicati, privantur. — Primum tangit, cum dicit : *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint*, in bono, per unionem fidei, et per nexum caritatis *super terram*, ubi est opportunitas merendi vel demerendi, et de aliis judicandi; *de omni re quamcumque petierint*, cum fide et sine hæsitatione, *fiet illis*, merito unitatis, *a Patre meo, qui in cœlis est*. Semper ergo orantes exaudiuntur, concurrentibus conditionibus ad hoc requisitis : ut scilicet orent pro se, ac pie, et perseveranter, et petant expedientia, scilicet ad salutem pertinentia, ac Dei ordinationi convenientia ; et, si digni sunt ipsi qui petunt. Et ideo, si non exaudiuntur, id fit, quoniam in aliquo horum deficiunt. Sæpe etiam pro aliis exaudiuntur; etsi non oratio eorum in sinum eorum convertetur. Ubi *Origenes* : « Et ista est etiam causa, propter quam non exaudimur orantes, quia non consentimus nobis per omnia super terram, neque dogmate, neque conversatione. Sæpe enim in musicis, nisi fuerit convenientia vocum, non delectat audientem ; sic in Ecclesia, nisi consensum habuerit, Deus non delectatur in ea, nec audit voces eorum. » Ubi et *Hieronymus* : « Possumus autem et hoc spiritualiter intelligere : quod nisi spiritus et anima corpusque consenserint, et non intra se bellum diversarum habuerint voluntatum, de omni re, quam petierint impetrent a Patre. Nulli dubium est quin bonarum rerum postulatio sit, ubi corpus vult habere ea quæ spiritus : » hæc *Hieronymus*. — Secundum commodum est, quoniam : *Ubi duo vel tres*, multo magis ubi sunt plures, *congregati*, id est uniti per fidem et caritatem, non divisi per discordiam et dissensionem, non dispersi per terrenarum rerum concupiscentiam, non segregati per singularitatem, *in nomine meo*, id est ad salutem propriam, vel alienam quærendam, ad gloriam nominis mei manifestandam, unde *Rabanus* : « In nomine Domini isti quippe congregati sunt, qui ipsius gloriam æmulantur, ipsius spiritu fervent, ipsum in omnibus et per omnia fidei oculis et mundo corde non desinunt intueri » *ibi sum in medio eorum*, favens eis, et acquiescens bonæ voluntati et petitioni eorum, ac juvans eos in omnibus. Ipse enim, qui est pax et caritas, ac summum et commune bonum, sedem atque habitationem sibi in bonis atque pacificis collocavit, qui cum Patre cœlesti unus Deus, quæ juste petunt in fide et gratia congregati, concedit et facit. Ubi *Chrysostomus* : « Non dicit simpliciter; *Ubi duo vel tres congregati sunt* ; sed addit : *In nomine meo*. Quasi dicat : Si quis, propter me, principalem amicitiæ causam ad proximum habuerit, cum eo ero ; et sic in aliis virtuosus erit. » Ubi et *Rabanus* : « Amat medium mediator Dei et hominum, qui *in medio doctorum* inventus est, *medius stetit* ad Baptismum, medius pependit in cruce, resurgens quoque *stetit in medio* discipulorum, medius quoque ad judicium veniens, separabit agnos ab hœdis : » hæc *Rabanus*. Ecce præmium concordiæ, ad quam totus iste sermo vocat. Unde ait *Hieronymus* : « Omnis

superior sermo nos ad concordiam provocaverat, igitur et hic præmium pollicetur, ut sollicitius festinemus ad pacem, cum se dicat inter duos vel tres, in suo nomine congregatos, medium fore : » hæc *Hieronymus*.

5 QUAM RARA EST CARITAS VERA, ID EST PROPTER CHRISTUM. — Considera nunc quantam caritatem et diligentiam circa proximum ostendere debemus, ut ipsum ab errore revocemus. Non est enim major caritas, quam fratrem peccantem corripere, et pro eo mori. Sed, heu! in paucis vera caritas et dilectio, quæ propter Christum est, experitur; et in multis dilectio et amicitia ficta reperitur. Unde hic ait *Chrysostomus* : « Plures videmus alias habentes amicitiæ occasiones, hic enim quando diligitur diligit, ille autem quoniam honoratus est, ille autem quoniam in alio quodam negotio seculari fuit utilis, ille autem propter aliud tale; propter autem Christum difficile est invenire aliquem proprie et, ut oportet, diligere eum proximum quem diligit; sed omnia perscrutantes, invenimus apud multos amicitias poeticas, id est fictitias, magis quam hoc : » hæc *Chrysostomus*.

6 QUID SIT DIMITTERE PROXIMO SEPTUAGIES SEPTIES? — Quia vero Dominus, supra loquens de correctione fraterna, induxit ut peccanti et pœnitenti remittatur injuria; ne dubitetur de numero, quærit Petrus, caput scilicet discipulorum, quoties fratri peccanti sit remittendum; et petit si sufficiat ad salutem dimittere septies peccanti in eum. Cui interrogationi benignus et misericors Dominus respondit, quod sic peccanti non solum septies, sed septuagies septies remittendum sit. Secundum *Augustinum*, solet per septem cujuslibet rei, aut temporis, universitas indicari. Unde, cum in Psalmo canitur : *Septies in die laudem dixi tibi*, nihil aliud est, quam *Semper laus ejus in ore meo*. Undenarius vero transgressionem significat, quia ubi transgrederis denarium, in quo Decalogus consistit, ad undenarium vadis ; transgressio autem peccatum est. Omnem ergo transgressionem et injuriam, ac omnia peccata intelligi et dimitti voluit, quando septuagies septies dixit; quod ex numero universitatis, et numero transgressionis, id est ex septem et undecim compositum est; quiasi undecim ducas septies, fiunt septuagies septies. Vel, ponitur hic numerus determinatus pro indeterminato, ac si, secundum eumdem *Augustinum*, diceret : Toties quoties, hoc est omnino quotiescumque peccaverit, toties dimittas. Ille vero numerus potius ponitur, quam aliquis alius, quia ab Adam usque ad Christum fuerunt septuaginta septem generationes; et ideo sicut Christus totius humani generis delevit culpas, sic et homo omnes suas debet dimittere injurias. Si enim Christus millia peccatorum invenit, et tamen omnia donavit; noli subducere misericordiam. Unde, secundum *Chrysostomum*, cum dicit : *Septuagies septies*, non numerum certum et determinatum ponit; sed quasi infinitum, quod continue et semper est, significavit. Et, secundum *Hieronymum*, septuagies septies accipitur pro septies septuaginta vel septuagies septem, id est quadringentis nonaginta vicibus, ut toties peccanti fratri dimittas in die, quoties ille in die peccare non poterit, vel quoties peccaverit; ut non sit modus in te, nec numerus in remittendo, sed semper dimittas. Et sic prima expositio refertur ad omnem injuriam; secunda ad omne tempus. Unde *Beda* : « Septenario numero non veniæ dandæ terminus ponitur; sed, vel omnia peccata dimittenda, vel semper pœnitenti dimittendum præcipitur. Solet enim sæpe per septem cujuslibet rei, aut temporis, universitas indicari. » Et iterum : « Caute intuendum est, quia non passim peccanti, sed pœnitentiam agenti dimittere jubemur. Et primo quidem peccantem misericorditer increpare, ut sit cui postmodum habeamus juste dimittere. Qui ergo videns fratrem suum peccare tacuerit, non minus Dominici præcepti transgressor est, quam is qui eidem pœnitenti veniam dare noluerit; quia qui dixit : Si pœnituerit, dimitte, præmisit : Si peccaverit, increpa. Itaque venia fra-

tri post increpationem largienda est, sed illi utique, qui pœnitendo ab errore convertitur; nec vel difficilis venia, vel remissa sit indulgentia : » hæc *Beda*. Peccantem itaque, ut convertatur, corripiamus; et eum pœnitentem socia caritate colligamus, donantes nobismetipsis, secundum Apostolum, sicut Deus in Christo donavit nobis. Unde *Ambrosius* : « Discas frequenter ignoscere, nec indignationem tenere; nihil enim est quo possit offendi, cui ignoscendi est consuetudo. Disce donare injurias tuas, quia persecutoribus suis Christus ignovit : » hæc *Ambrosius*.

7 Offensa semper remittenda, sed non semper injuria; et hæc remissio debet esse integra. — Utrum autem teneatur quis remittere injuriam inimico non petenti, est distinguendum. Ex injuria enim oritur : primo rancor, in affectu; secundo, rancoris signum, in effectu. Primum, tenetur quilibet statim remittere, etiamsi injurians non petat veniam. Secundum, tenetur remittere veniam veraciter petenti, id est parato emendare, secundum suam facultatem; et tenetur ei dicere ave, et subvenire sibi si indiguerit, quod non petenti facere non tenetur, nisi perfectus fuerit. Licet ergo non agatur hic, nisi de dimissione pœnitentis, tamen et pœnitenti et non pœnitenti, tenetur quilibet rancorem odii dimittere, alioquin non habetur caritas; et in articulo necessitatis necessaria etiam ministrare. Perfecti vero, qui omnia reliquerunt, et pœnitentibus, et non pœnitentibus, tenentur veniam dare, obvios in via salutare, circa articulum necessitatis necessaria ministrare, et multa in hunc modum facere, ad quæ non tenentur imperfecti. Utrum vero ille cui facta est injuria, debeat amicitiam quærere; sciendum quod duplex est debitum : primum est necessitatis, sine quo non est salus; secundum est perfectionis. Quantum ad primum debitum, non tenetur quis reconciliationem quærere; sed de secundo dicit *Chrysostomus*, quod talis debet reconciliationem quærere, ut duplicem coronam assequatur : unam, quia injuriam passus est; alteram, quia prior rogavit. Unde iterum idem *Chrysostomus* ait : « Excogita quantum noxius es, et non solum non moram facies ad remissionem ejus, qui tibi injustitiam fecerat; sed et curres ad eos qui te contristaverunt, ut fiat tibi remissionis occasio, et invenias curationem propriorum malorum. Mercedem enim ineffabilem determinat Deus, ut prævenias illum, qui injusta tibi fecit; qui si rogatus reconciliatus fueris, non adhuc Dei præcepto facta est amicitia, sed studio illius : Itaque sine corona abscedis, illo bravium accipiente. Sed mala passus es, at certe nihil tantum quantum tibi-ipsi operaberis, malum rememorans; non enim possibile est virum bonum aliquod malum pati. Si autem dixeris, quoniam inflammatus es contumeliæ memorans; recordare si aliquod factum est tibi bonum ab eo qui te contristavit, et quot tu aliis fecisti mala. Male tibi dixit, et confudit; reputa quoniam et tu aliis dixisti. Qualiter igitur potieris venia, in quibus aliis non parcis? Sed nulli maledixisti, sed audisti dicentes, et acceptasti; neque hoc est innoxium. Nihil autem ita dilectionem conservat, ut non meminisse eorum, qui in nos peccaverunt : » hæc *Chrysostomus*. Advertendum autem, quod licet offensa sit semper remittenda, non tamen injuria. Si enim ex remissione injuriæ et pœnæ debitæ sequeretur pronitas in eo, cui remittitur, ad facilius peccandum, non esset bonum ei remittere; similiter si ex tali remissione esset scandalum aliorum, et omissio justitiæ; et sic in casibus consimilibus intellige. Dimittamus ergo debitoribus nostris debita pœnæ peccati, si pœniteant in nos peccasse; dimittere vero quod quis in Deum peccat, non est nostri arbitrii. Sed, ut dicit *Hieronymus*, nos e contrario in Dei injuria benigni sumus, in nostris autem contumeliis odia exercemus.

ORATIO

Domine Jesu Christe. mihi indigno propitius concede, ut fratrem peccantem verbis opportune corripiendo emendem; et si non verbis, saltem orationibus et bonis exemplis hoc facere non desistam. Da mihi etiam, ut in unitate Ecclesiæ et caritate fraterna permanendo, merear in orationibus exaudiri, et te per favorem et auxilium in medio nostrum experiri, qui habitationem tibi in pacificis collocasti. Insuper et hoc tribue mihi, ut quotiescumque peccaverit frater in me, toties dimittam ei, ita quod nec rancor interius, nec rancoris signum exterius in me valeat aliqualiter reperiri. Amen.

CAPUT IX

DE REGE QUI VOLUIT RATIONEM PONERE CUM SERVIS SUIS.

Matthæi cap. XVIII.

1 Ratio de omnibus reddenda. — Quod autem dimittendum sit fratri peccanti, et non tantum septies, sed septuagies septies, et quod hoc non debeat alicui grave aut difficile videri, si attendatur quod Deus majora remittit in se peccanti, ostendit Dominus per exemplum; quia magis sumus debitores Dei, et plus offendimus eum, quam homo posset offendere proximum. Tanta enim est offensa, quantus est ille qui offenditur : Deus autem est infinitus, et ideo offensa in ipsum commissa quamdam habet infinitatem; et tamen quotiescumque offendimus, toties ipse paratus est remittere, dum tamen velimus veraciter pœnitere; si ergo ipse, qui est Dominus et Rex omnium, dimittit servo, multo fortius et nos debemus dimittere peccanti in nos fratri et proximo. Et ideo pro exemplo ponit parabolam de rege, qui voluit rationem ponere cum servis suis, et in fine applicat parabolam ad propositum, dicens : *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis*. Similiter enim Deus ponit rationem cum servis, scilicet hominibus ; nam omnium actus Deus discutit diligenter, et merita cujusque examinat, et hoc : per Scripturas, per creaturas, per confessores, per humiliationem propriæ conscientiæ, nolens rationem de factis humanis exigere. Potest ergo hæc parabola ad propositum aptari, et sic exponi : *Assimilatum est regnum cœlorum*, id est status Ecclesiæ militantis, seu præsentis temporis, quæ regnum cœlorum dicitur, tum quia legibus cœli subjicitur, tum quia de ea ad cœlum pervenitur, *homini regi*, id est, Christo, ipse enim est verus homo et verus Deus, Rex regum et Dominus dominantium ; *qui voluit rationem ponere cum servis suis*, scilicet hominibus, quorum est Dominus, quia ad ipsum pertinet examinatio meritorum quorumlibet, et singulorum. Et notandum, quod Dominus ponet nos ad rationem : de omnibus bonis commissis, et de bonis omissis; itemque de malis a nobis commissis, et de malis a nobis dimissis. De primo est parabola de villico iniquitatis, et ista computatio multum timenda est; multa enim bona nobis commissa sunt, et magni valoris, scilicet : bona naturæ, gratiæ et fortunæ, de quibus omnibus oportet reddere rationem, qualiter eis usi simus. Et, si non haberemus reddere rationem nisi de tempore, multum esset nobis timendum; omne enim tempus homini impensum requiretur ab eo qualiter fuerit ex-

pensum, et una hora temporis potest homo absolvi a debito, et regnum cœlorum lucrari. De secundo est parabola de talentis ; et hæc etiam computatio multum est timenda, cum Dominus dicat ibidem : *Et inutilem servum projicite in tenebris exteriores.* De tertio, computatio etiam multum est timenda, cum Dominus positurus sit rationem etiam de cogitationibus et verbis otiosis. De quarto est parabola præsens de Rege ponente rationem cum servis suis; et hæc computatio multum timenda est, propter vitium ingratitudinis, quod est valde periculosum.

2 Parabola de rege volente rationem ponere cum servis suis. — *Et, cum cœpisset rationem ponere,* id est merita et conscientias examinare, in qua examinatione modo sumus, sed postmodum dabitur de nobis sententia, secundum merita : *Oblatus est ei unus, qui debebat decem millia talenta,* id est obligatus ad magnam pœnam, propter multa peccata. In debito istius denotatur gravitas et numerositas peccatorum ; et accipitur determinatus numerus pro indeterminato. Unde *Augustinus :* « Quia Lex in decem præceptis commendatur, ille debebat decem millia talentorum, per quod omnia peccata designantur, quæ scilicet contra Legem fiunt. » *Cum autem non haberet, unde redderet,* id est, cum non posset viribus suis Deo satisfacere pro peccatis ; homo enim per se potest ruere, sed non resurgere, per se offendere et peccare, ac per hoc debitum contrahere, sed non per se satisfacere, nisi gratia Dei accedente; et si homo pro uno tantum peccato non sufficit satisfacere, multo minus pro decem millibus peccatorum talentis : *jussit* ergo *eum Dominus ejus venumdari,* in servitutem pœnæ, quia, secundum *Remigium,* pretium hujus venditi, supplicium est damnati ; *et uxorem ejus,* id est concupiscentiam, ex qua concipiuntur mali filii, *et filios ejus,* id est mala opera ; in homine enim spiritus est vir, sensualitas mulier, per quorum commixtionem filii, id est opera generantur ; uxorem ergo et filios venumdari, est pro concupiscentiis interioribus, et malis operibus exterioribus pœnam solvere, quod est pretium ejus ; *et omnia quæ habebat,* scilicet temporalia, quia tota substantia sua pro magnitudine delicti traditur quandoque extraneis ; vel, omnia quæ spiritus habet, sunt vires animæ et corporis, et etiam bona exteriora, quæ omnia in pœnam commutantur, ut pœna dominetur ipsi, quantum ad omnia in quibus peccavit ; unde subditur : *Et reddi,* tunc enim debitum peccati redditur, cum pro eo pœnæ pretium exsolvitur. *Procidens autem servus ille,* id est peccator, per pœnitentiam et humilitatem sui, qui prius quasi collum contra Deum erexerat, obnixe *orabat eum, dicens : Patientiam habe in me,* donando mihi vitæ et pœnitentiæ spatium, condonando delictum, relaxando supplicium ; *et omnia reddam tibi.* opera meritoria faciendo, et me emendando, tua patientia exspectatus, tua gratia præventus, tua que misericordia adjutus. *Misertus autem Dominus,* quia *misericors et miserator Dominus,* paratus est misereri et parcere vere pœnitentibus, *servi illius,* sic procidentis in contritione, sic dicentis in confessione, sic promittentis de satisfactione; *dimisit eum* liberum a captivitate culpæ, *et debitum dimisit ei,* relaxando reatum pœnæ æternæ ; dimittit totum, quia plus dat quam rogetur. Unde *Chrysostomus :* « Vide misericordiam Dei ; petierat dilationem, et accepit omnium peccatorum remissionem. »

3 Crudelitas servi condonati erga conservum. — *Egressus autem* de obligatione peccati *servus ille,* a debito quidem liber, sed iniquitatis servus, et misericordiæ inventæ oblitus, *invenit unum de conservis suis,* id est de peccatoribus et hominibus, qui sunt servi Dei cum ipso, omnes enim conservi, et unius Domini servi sumus, et nos et Angeli ; *qui debebat ei centum denarios,* id est parum offendit eum, et in modico tenetur respective. quia offensa in hominem modica est respectu offensæ commissæ in Deum. Invenit autem in animo per recordationem injuriæ, *et tenens suffocabat eum,* stringendo et arctando, quia

crudeliter coegit eum reddere et satisfacere. Ille debitorem tenet, qui offensam tenet in memoria, qui iram et odium servat in corde. Suffocare, est strangulare, vel stringere per gulam; et, quoniam gutture loquimur, ille suffocat proximum, qui verba excusationis non audit; in quo ostenditur austeritas in repetendo vindictam a proximo. Unde sic dicit *Remigius :* « Conservum suffocare est in fratrem per vindictam exardescere. » *Tenens* ergo *suffocabat eum, dicens : Redde quod debes*, scilicet tormentum pro injuria, pro verbis verbera. *Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens : Patientiam habe in me*, id est parce mihi; *et omnia reddam tibi.* Quasi diceret : Paratus sum, secundum possibilitatem meam satisfacere; et, ut dicit *Remigius*, emendabo judicio vel consilio Ecclesiæ, quod deliqui. Attende quod eadem verba protulit conservus supplicans, quibus supplicando a Domino remissionem meruerat malus servus. Sed, ut dicit *Chrysostomus*, hæc verba ingratus servus reveritus non est, quibus salvatus est. *Ille autem noluit* habere patientiam, præstando dilationem, nec voluit dimittere sine vindicta rancorem, ostendens crudelitatem in modo repetendi vindictam. Unde *Augustinus :* « Non talem invenit iste conservum, qualem ille invenerat Dominum. Petiit ille dilationem, et meruit remissionem; iste, qui misericordiam petebat dilationis, sensit pœnam suffocationis. » *Sed abiit* in via Cain, a naturali pietate recedendo, et a familiaritate et amicitia proximi se alienando; *et misit eum in carcerem,* crudeliter affligendo, *donec redderet debitum* plenarie et ad nutum satisfaciendo. Hic carcer infernus potest intelligi. Toties vero peccantem in nos proximum in carcerem mittimus, quoties ejus culpæ non indulgemus; quantum enim in nobisipsis est, dum non parcimus, carceri damnamus.

4 Indignatio conservorum et regis. — *Videntes autem conservi ejus*, scilicet Angeli, qui, secundum Apocalypsim, conservi sunt nostri : quia ejusdem Domini sumus servi, *quæ flebant,* scilicet crudeliter a servo in conservum suum; omnia enim opera quæ agimus, et supplicia quæ patimur vident, et coram Deo repræsentant; tres enim testes habemus a quibus numquam abscondimur, scilicet : Deum, Angelos sanctos, et dæmones. *Videntes*, inquam, *contristati sunt valde* de ingratitudine et culpa servi, de afflictione et pœna conservi. Angeli enim contristantur ad culpam, lætantur ad pœnitentiam, et ferunt animas ad gloriam; *et venerunt, et narraverunt Domino suo omnia quæ facta fuerunt,* ad Deum referendo, conquerendo, et auxilium implorando. Vel, isti conservi sunt ecclesiarum ministri, et quique fideles et justi, qui videntes crudelitatem hominum erga proximos, vel aliquem fratrem remissionem peccatorum adeptum, non velle misereri conservi sui, contristantur, quia ad eamdem virtutem pertinet gaudere de bono et contristari de malo; et narrant Domino, quia in oratione petunt a Domino talia judicari ad declarationem justitiæ, non ex livore vindictæ. Vel, Domino narrare est dolores et contritiones cordis in suo affectu Deo demonstrare. Vel, cum veniunt ad Dominum, id est ad prælatum, qui vicem Dei gerit in terris, denuntiant ei mala facta ad finem correctionis. *Tunc vocavit illum Dominus* suus per sententiam mortis, et de hoc seculo migrare jussit, ut de omnibus rationem reddat. Unde *Remigius :* « Hæc vocatio non fit modo intus in conscientia, sed fit exterius in judicio. » *Et ait illi : Serve nequam,* quia non est æquus, sed iniquus recipiendo misericordiam, et reddendo immisericordiam seu injuriam; *omne debitum dimisi tibi,* id est magnam offensam in me commissam. In hoc, secundum *Chrysostomum*, patet magnum esse peccatum ingratitudinis; nam primo, quando debitor erat decem millium talentorum, non eum nequam appellavit, non sibi insultavit; sed ubi incurrit vitium tantæ ingratitudinis, animo irato ait ei : *Serve nequam*, quia pejor es effectus quam primo; nam, secundum *Gregorium*, sicut boni contumeliis efficiuntur me-

liores, sic semper reprobi de beneficio efficiuntur pejores. *Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui*, remittendo parva, *sicut et ego tui misertus sum*, remittendo majora? Nulla quippe interveniente satisfactione, sed ob hoc solum, *quoniam rogasti me*, rogasti dilationem, sed meruisti remissionem; oportuisset quidem, ut tali provocatus beneficio totum etiam debitum relaxares roganti; sed tu etiam quod minus est, facere noluisti, quia dilationem concedere recusasti. Ubi sic ait *Chrysostomus* : « Si grave videtur damnum, afficere debuit lucrum; si grave videtur præceptum, cogita præmium; si grave sit remittere ei qui contristavit, gravius est incidere in gehennam. » Secundum *Remigium*, servus iste nullum responsum legitur dedisse Domino; in quo demonstratur quod in die judicii, et statim post hanc vitam, cessabit omnis peccati excusatio.

5 Damnatio et supplicium servi immisericordis, imago justitiæ divinæ. — *Et iratus Dominus ejus* non per affectum, sed similitudinem affectus hominis irati, id est ad modum irati se habens, pœnam inferendo, *tradidit eum tortoribus*, id est dæmonibus et ministris tartareis, qui in hoc sunt divinæ justitiæ exsecutores; quia tortores patimur in pœna, quos passi sumus suasores in culpa; *quoadusque redderet* per pœnam *universum debitum* commissum per culpam : et hoc erit æternaliter et in perpetuum; *quoadusque* enim ponitur pro infinito, sicut donec ponitur ibi : *Non cognovit eam donec peperit*. Et est sensus : semper solvet et numquam persolvet; neque reddet aliquando, sed semper pœnam luet; numquam enim reddere poterit, quia æternaliter damnatus erit. Nam in inferno semper est redditio absque acquisitione, cum pœna semper maneat sine fine; quia ibi non est locus redemptionis vel satisfactionis, sed locus condemnationis et punitionis. Quod autem hanc totam similitudinem ad hoc attulerit ipse Dominus, eam modo quo dictum est, ad propositum adaptando exponit, dicens : *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis*, universum debitum a vobis exigendo, et vos tortoribus cruciandos tradendo. Secundum *Chrysostomum*, non dicit pater vester, sed Pater meus; non enim dignum est hominis talis vocari patrem Deum, qui ita perniciosus et odiosus est. Ubi *Hieronymus* : Formidolosa sententia! Si parva fratri non dimittamus, magna nobis a Deo non dimittentur; et quia unusquisque potest dicere ore : Nihil habeo contra eum; habet Deum judicem, qui simulationem fictæ pacis aufert, cum dicit : *Si non remiseritis unusquisque fratri suo*, non solum ore, sed etiam *de cordibus vestris*, non ficta pace, sed vera et integra dilectione; quia non sufficit labiis dimittere, nisi ora et corda conveniant. Quidam et enim dimittere nolunt omnino, quia et malitiam servant in corde, et vindictam, dum possunt, exercent in opere; alii, etsi remittunt quantum ad vindictam, servant tamen conceptum odium quantum ad malitiam. Sed, quisquis sibi a Domino remitti desiderat, oportet ut utroque modo fratri remittat : ut nec opere exerceat vindictam, nec corde reservet malitiam ; quia, secundum *Gregorium*, si hoc quod in nos delinquitur ex corde non dimittimus, illud rursus a nobis exigetur, quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Ubi ergo non fuerit caritatis perseverantia, nulla est sufficiens pœnitentia; unde a peccatis soluto dicitur : *Vade, et amplius noli peccare*. Seculares quoque leges, propter ingratitudines, quosdam revocant manumissos ad priorem servitutem.

6 Quo sensu peccata redeunt. — Sed, ex his videtur quod peccata dimissa redeant propter iteratam peccati perpetrationem. Ad hoc dicitur communiter quod redeunt per aggravationem peccati sequentis ; non quod peccatum sequens sit æque grave sicut omnia præcedentia, sed quia gravius est ex comparatione præcedentium. Unde exigitur quod dimissum fuerat, non in se, sed quantum ad ingratitudinem dimissionis ; et ideo dicuntur omnia redire, quia ingratitudo est respectu dimissionis quæ

omnium fuit, et ita quodammodo respectum habet ad omnia dimissa. Non ergo redeunt quantum ad maculam et reatum ; sed quantum ad ingratitudinem. Qui enim post acceptam remissionem ad peccatum redit, magis delinquit, quod ingratus tanto beneficio exstitit ; et ita ingratitudo peccatum recidivationis aggravat. Quidam vero dicunt quod peccata redeunt in quatuor casibus, scilicet : propter odium fraternum, propter apostasiam a fide, propter contemptum confessionis, et propter dolorem de pœnitentia habita ; unde sunt versus :

Frater odit, apostata fit, spernitque [*fateri,*
Pœnituisse piget : pristina culpa [*redit.*

7 Lucra condonationis. — Faciliter ergo et merito in te peccanti dimittes, si, quantum tibi dimitti desideras, veraciter attendas. Quia, secundum *Chrysostomum,* etsi septuagies septies dimiseris, etsi omnia simpliciter peccata concesseris continue proximo, quantum gutta aquæ ad pelagus infinitum, tanto magis et multo plus deficit tuus amor ad infinitam bonitatem Dei, cujus in necessitate constitutus es, cum judicaberis et noxas tribueris. Et ideo bene peccata in Deum decem millibus talentis, et peccata in proximum centum denariis comparavit ; quia etiam eadem peccata multo graviora commissa sunt in Deum, quam in proximum. Docemur ergo hoc loco, ut sicut Dominus nobis dimittit majora peccata, sic nos dimittamus conservis nostris minora in nos commissa ; alioquin a nobis exiget debita universa. Unde ait *Augustinus* : « Omnis homo debitor est Dei ; et debitorem habet fratrem suum. Ideo Deus justus constituit tibi regulam in debitore tuo, quam faciet et ipse cum suo. » Unde et *Chrysostomus* : « Hæc igitur omnia intelligentes, et hæc decem millia excogitantes, saltem hinc festinemus ad dimittendum proximis parva et vilia. Audiamus immisericordes et crudeles, quoniam non aliis sumus crudeles, sed nobismetipsis. Cum memorari malorum vis, excogita quoniam tibiipsi malorum rememoraris, non alii ; quoniam tua ligas peccata, non proximi. Duo itaque hinc quærit : et cognoscere adversum peccata nostra, et aliis dimittere; et illud propter hoc, ut facilius hoc fiat : qui enim sua intelligit, facilius ignoscit conservo, et non simpliciter ab ore dimittere, sed et a corde. Ne igitur dicas quoniam convitiatus est, et detraxit, atque decem millia operatus est mihi mala. Quanto enim dixeris, tanto magis monstras eum benefactorem, dedit enim occasionem abluendi peccata tua. Quare, quanto majora injusta tibi fecit, tanto et majorum peccatorum dimissionis causa tibi consistit. Si enim voluerimus, nullus injusta nobis facere poterit ; sed et inimici maxime proderunt nobis. Vide ergo quanta lucraris mansuete inimicorum ferens imprudentias : primum quidem, et maximum, peccatorum remissionem ; secundum, patientiam et perseverantiam ; tertium, mansuetudinem et amorem hominum ; quartum, ab ira continue esse liberum et a tristitia, quæ hinc est. Cum his et venerabilis eris et ipse inimicis, etsi dæmones fuerint ; magis autem neque habebis jam inimicum ita dispositus. Quod autem est majus et primum, Dei amicitia, et si peccaveris, venia potieris. » Et iterum : « Non memoriam malorum habeamus in eos qui lædunt ; nam nobis prosunt maxime, nisi nosipsos vindicaverimus. Rapuit ille : gratias egisti tu, pro injustitia, et glorificasti Deum ; infinitas tructificasti mercedes. Si autem oraveris pro eo, Deo factus es similis. Vides qualiter maxime lucramur ab aliorum persecutione. Nihil ita Deum lætificat, ut non reddere malum pro malo ; imo reddere contraria injunctum est nobis : beneficia et orationes. Non est quid difficilius quam memoria malorum. Hæc igitur scientes humiliemur, et debitoribus nostris etiam gratias agamus ; fiunt enim nobis, si philosophari volumus, magnæ non solum indulgentiæ, verum etiam maximæ mercedis occasio. Pauca siquidem damus, plurima recepturi. Quid igitur expetis

cum violentia, cum deceret, et si ille vellet dare, ei concedere, ut a Deo totum accipias? Nunc autem omnia facis et litigas, ut nihil tibi dimittatur tuorum. Quotcumque ergo debitores habes et pecuniarum et laborum, omnes dimitte liberos, et Deum expete remuneratorem. Cuncta igitur et pecunias et peccata, debitoribus nostris debemus remittere, ut nobis retributio optata proveniat; quodque neglexerimus per aliam explere virtutem, hoc de oblivione admissæ in nos malitiæ adipiscentes, æternis potiamur bonis : » hæc *Chrysostomus.* Attende et hic *Senecam,* qui dicit : « Si magnanimus fueris, numquam judicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices : Non nocuit mihi, sed animam nocendi habuit; et cum illum in potestate tua videris, vindictam putabis vindicare potuisse. Scito enim honestum et magnum vindictæ esse genus, ignoscere.» Et iterum: « Injuriarum remedium est oblivio : » hæc *Seneca.*

8 Duodecim modi remissionum enumerantur. — Et nota hic, quod secundum numerum gradus apostolici duodenum, sunt etiam duodecim modi remissionum : primus est Baptismus, unde in Evangelio : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc. ; secundus est caritas, unde etiam in Evangelio : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* ; tertius est eleemosyna et caritatis opera, unde Sapiens ait : *Sicut exstinguit ignem aqua, sic eleemosyna peccatum;* quartus est fletus et lacrymæ, dicente Domino : *Quia flevit in conspectu meo, non inducam mala in diebus suis;* quintus est confessio atque pœnitentia, unde Psalmista : *Dixi, confitebor adversum me injustitiam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei* ; sextus est afflictio corporis, unde Paulus Apostolus : *Tradidi hujusmodi hominem in interitum carnis, ut spiritus salvus sit;* septimus est emendatio morum, vel abrenuntiatio vitiorum, unde in Evangelio : *Ecce sanus factus es, jam amplius noli peccare;* octavus est intercessio Sanctorum, unde Jacobus : *Infirmatur aliquis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ*, etc.; nonus est misericordiæ et fidei meritum, unde in Evangelio: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur;* decimus est conversio et salus proximorum, unde Jacobus : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ... operiet multitudinem peccatorum;* undecimus est mutua remissio et indulgentia, unde in Evangelio : *Dimittite, et dimittemini*, ut in hoc loco præsenti; duodecimus est passio martyrii pro fide Ecclesiæ, unde latroni pœnitenti ac patienti dicitur a Domino: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.*

9 Non desperare docemur. — Ex hoc etiam loco, et pluribus aliis Evangelii locis, salubria habemus remedia contra malum desperationis; et ideo non desperet aliquis, cum multos habeamus portus salutis. Si enim desperasti propter peccati magnitudinem ; habes Petrum qui negavit fidem, quod est maximum peccatum, et tamen Deus respexit eum. Si desperasti, propter peccati multitudinem, habes Mariam Magdalenam, quæ septem habebat dæmonia, id est universa peccata, et tamen de ea dictum est : *Remittuntur ei peccata multa.* Si desperasti propter peccati turpitudinem, habes mulierem in adulterio deprehensam, cui dictum est : *Vade, et amplius noli peccare.* Si desperasti propter peccati infamiam, habes Matthæum publice in telonio sedentem, et tamen Dominus dixit ei : *Sequere me.* Si desperasti propter peccati diuturnitatem, habes latronem Calvariæ, qui perseveravit in malo usque ad mortem, et tamen dictum est ei a Domino : *Hodie mecum eris in paradiso.* Si desperasti propter peccati crudelitatem, habes Paulum Apostolum lapidantem Stephanum, de quo dictum est : *Vas electionis mihi est iste.* Si desperasti propter peccati recidivationem seu peccati iterationem et magnitudinem, habes hic auctoritatem expressam de dimittendo fratri septuagies septies. Unde *Bernardus :* « Omnino propter mansuetudinem quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Jesu; audientes quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem

latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. Tam validus denique es ad justificandum, quam multus ad ignoscendum. Currit sponsa, currunt adolescentulæ; sed quæ amat ardentius, currit velocius, et pervenit citius. » Unde et *Chrysostomus* : « Liberi quippe nos arbitrii creavit Deus, ut voluntate nostra cum adjutorio Dei, quod volumus, faciamus. Si publicanus es, potes fieri Evangelista; si blasphemus es, potes fieri Apostolus; si latro es, potes paradisi colonus effici; si magus es, potes Deum adorare. Nec est ulla malitia, quæ pœnitentia non solvatur. Et ideo tamquam præcipua malignitatum elegit Christus, ut nemo usque in finem semetipsum despiciat. Noli mihi dicere : Perii ; noli mihi dicerè : Peccavi. Et quidem medicum habes satis fortiorem, et potentiorem, quam infirmitas tua est. Medicum habes voluntatem tuam, si volueris, emendantem, et potentem, et cupientem. Cum enim non subsisteres, fecit te; et quia perversus es effectus, multo magis emendare te poterit. Sed forsitan dices : Quomodo poterit peccator similis esse Sanctis? Noli requirere qua arte, noli scrutari rationem ; sed crede clementiæ et benignitati divinæ. Sed dicis : Grandia sunt peccata mea, et immensa scelera mea. Et quis est sine peccato? Sed ego, inquis, pessime, et super omnem hominem. Sufficit tibi, ad placandum Deum, peccare desinere, et benefacere. Dic tu prior, inquit, iniquitates tuas ut justificeris. Recognosce quia tu peccasti ; et si agnoveris, initium correctionis factum est tibi. Suspira, mœstus esto, effunde lacrymas. Nec enim aliud quid effudit meretrix illa, sed lacrymis pœnitentiam sociavit, et ipsa comite, pervenit ad fontem : » hæc *Chrysostomus*. Unde etiam *Gregorius* : « A spei ergo certitudine nulla nos malorum nostrorum qualitas, nulla quantitas frangat. Idcirco enim omnipotens Deus electos suos in quibusdam lapsibus cadere permittit, ut aliis in culpa jacentibus, si toto ad eum corde consurgant, spem veniæ reddat ; et eis per lamenta pœnitentiæ viam pietatis aperiat. Quia, qui multos a suis iniquitatibus jam sanatos aspicimus, quid aliud quam supernæ misericordiæ pignus tenemus? » Et iterum : « Quid itaque in hac re debemus aspicere, nisi immensam misericordiam Conditoris nostri, qui nobis velut in signo ad exemplum pœnitentiæ posuit eos, quos per pœnitentiam vivere post lapsum fecit. Etenim nihil in his aliud video, nisi ante oculos nostros posita spei et pœnitentiæ exempla. Omnipotens Deus ubique oculis quos imitari debeamus objicit; ubique exempla suæ misericordiæ opponit. » Unde dicit et *Augustinus* : « Quæcumque necessitas cogit peccatorem ad impœnitentiam? Nec criminis quantitas, nec temporis brevitas, nec vitæ enormitas, nec horæ extremitas excludit a venia, si perfecta fuerit voluntatis mutatio; sed in amplissimos sinus mater caritatis filios prodigos suscipit revertentes. » Et iterum : « Pater tradidit Filium suum, quo redimeret servos; misit Spiritum Sanctum, quo servos adoptaret in filios; Filium dedit in pretium redemptionis, Spiritum Sanctum in privilegium adoptionis ; et totum servat in hereditatem adoptatis. Nemo ergo de Dei pietate diffidat; quia major est Dei misericordia quam nostra miseria, et quisquis ad eum toto corde clamaverit, exaudiet illum; quia misericors est. Tardius siquidem ei videtur peccatori veniam dare, quam ipsi peccatori accipere. Sic enim festinat reum absolvere a tormento conscientiæ suæ, quasi plus cruciet eum compassio miseri, quam ipsum miserum compassio sui. » Unde etiam *Chrysostomus* : « Crede mihi, talis est erga hominem pietas Dei, quod numquam sprevit pœnitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur; etiamsi ad summum quis venerit malorum, et inde velit reverti ad veritatis viam, suscipit libenter et amplectitur, et facit omnia quatenus ad priorem revocet statum. » Unde super illo verbo

Cain : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*, dicit *Augustinus* : « Mentiris, inquit, Cain, mentiris; major est Dei pietas, quam omnis iniquitas. » Ecce expresse apparet quod desperavit; et ideo dicit idem *Augustinus*, quod ipse plus turbavit Deum in desperatione, quam in fratricidio, sicut Judas in desperatione, quam in proditione. Unde *Bernardus*: « O res confusa, o res monstruosa, peccator desperans de Dei misericordia, cum cuncta peccata originalia, mortalia, venialia ab origine mundi commissa, divinæ misericordiæ comparata, sunt quasi una gutta ad pelagus totius maris! » Et breviter dicendo, secundum *Augustinum* et *Gregorium*, si unus homo omnium hominum peccata perpetrasset, et velut Cain et Judas desperasset, præterea Deus illi veniam denegare jurasset; si miser ille contritus veniam rogasset, Deus pius illi veniam non denegasset. Et, testante *Augustino* et *Hieronymo*, peccata præterita non nocent, si non placent. Multum etiam sperare debemus in merito Christi, sine quo non possumus salvari. In merito enim Christi radicata sunt omnia merita nostra, sive satisfactoria pœnæ, sive meritoria vitæ æternæ; quia nec ab offensa Creatoris sumus digni absolvi, nec immensitatem præmii, quod Deus est, digni sumus assequi, nisi per meritum hominis Dei. Et præcipue in merito Passionis Christi est sperandum; quia hæc est miseris speciale solatium. Unde *Bernardus* : « Passio tua, Domine, ultimum refugium, singulare remedium, deficiente sapientia, non suffragante justitia, non sufficiente sanctitate; succumbentibus meritis, illa succurrit. »

10 Docemur et non præsumere. — Non solum autem a desperatione, sed etiam a vana spe est cavendum; quia utrobique magnum est periculum. Unde *Augustinus* : « Ex utroque homines periclitantur et sperando et desperando. Quid igitur agit Deus cum periclitantibus utroque morbo? Illis qui spe periclitantur, hoc dicit : *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te*. Illis vero, qui desperatione periclitantur, quid dicit? In quacumque die iniquus conversus fuerit, omnes iniquitates ejus obliviscar. Propter illos ergo qui desperatione periclitantur, proposuit eis indulgentiæ portum; propter illos vero qui spe periclitanturet dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Quando autem veniet ultimus dies, nescis. Ingratus es, quia hodiernum habes in quo corrigaris, et crastinum exspectas; forte non addetur. » Et iterum : « Ne desperando augeamus peccatum, datus est nobis pœnitentiæ portus; rursus ne sperando augeamus peccatum, datus est nobis dies mortis incertus. » Et iterum : « Latro agnovit, Petrus negavit; in Petro demonstratur quemquam justum non de se debere præsumere; in latrone, non impium conversum desperare debere. Timeat ergo bonus, ne pereat, per superbiam; et malus ne desperet, propter multam malitiam : » hæc *Augustinus*. Unde et *Gregorius* : « Habete, fratres mei, fiduciam de misericordia Conditoris nostri; et ad misericordem Judicem, dum vos adhuc exspectat, cum lacrymis venite. Considerantes namque quod justus sit, peccata vestra nolite negligere; considerantes vero quod pius sit, nolite desperare. » Et iterum : « Sic autem nos misericordia ejus refoveat, ut nullo modo negligentes reddat; sic peccata perturbent, ut mens in desperationem non proruat. Quia, et si præsumentes metuimus, et metuentes speramus, æternum regnum citius adepturi sumus. » Unde etiam *Chrysostomus*: « Ne rideamus qui stamus; sed dicamus nobisipsis : *Qui æstimat se stare, videat ne cadat*; neque desperemus si cecidimus, sed dicamus nobis : *Numquid qui cadit non resurget?* Etenim multi in ipsum cœli verticem ascenderunt, et a scena et scurrilitate, ad angelicam translati sunt urbanitatem; et tantam ostenderunt virtutem, ut dæmones abegerint, et multa signa operati fuerint. Et horum quidem plenæ sunt Scripturæ, et plena vita Patrum exemplis nobis. »

Et iterum : « Nullus eorum qui in malitia sunt, diffidat tamquam desperatus; nemo in virtutibus existens dormitet tamquam omnino securus ; neque hic confidat, multoties enim meretrix pertransibit; neque ille desperet, possibile enim est ei, et primos transire : » hæc *Chrysostomus*.

ORATIO

Væ mihi, misero! quia, cum ad peccata quæ feci inspicio, et supplicia intelligo, quæ pro his pati debeo, non parvum timorem habeo. Quid ergo? Remanebo quasi desperatus, sine consilio, sine adjutorio? Ad te fontem pietatis et misericordiæ, Jesu Christe, curro et festino, in quo jam tot et tantos peccatores ablutos video et agnosco; tuamque ineffabilem misericordiam exoro, ut mihi sic concedas in præsenti mecum, et cum ministris tuis computationem facere; ac conservis meis peccata sua dimittere, et mea emendare, ut in futuro, quando personaliter rationem ponere volueris cum servis tuis, dimittas mihi quæ tibi debeo et proximis. Amen.

CAPUT X

DE CAUSA DIMITTENDI UXOREM, ET DE PARVULIS DOMINO OBLATIS.

Matthæi cap. XIX.

1 DE GALILÆA TRANSIT JESUS IN FINES JUDÆÆ INFIRMOSQUE IBI CURAT. — Post hæc, *cum consummasset* Dominus *Jesus sermones illos, migravit a Galilæa et venit in fines Judææ trans Jordanem.* Omnis quippe provincia Judæorum generaliter dicebatur Judæa, ad distinctionem aliarum gentium; verumtamen meridiana ejus plaga, in qua habitabant tribus Juda et tribus Benjamin, specialiter dicebatur Judæa, ad distinctionem aliarum regionum, quæ in ipsa continebantur provincia, scilicet: Samaria et Galilæa, Decapolis et reliquæ aliæ sitæ in ea. Narrantur ergo ea quæ in hac provincia, scilicet Judæa, fecit et docuit, ac passus est Dominus; et primo quæ trans Jordanem ad Orientem, ubi habitabant duæ tribus, et dimidia Manasse; deinde quæ circa Jordanem, quando venit Jericho, et Bethaniam, et Jerusalem. *Et secutæ sunt eum,* de Galilæa, *turbæ multæ,* ex quo patet devotio populi ad eum: quia multi sequebantur eum causa suæ prædicationis audiendæ; aliqui causa curationis impetrandæ. Ubi *Chrysostomus* : « Et secutæ sunt eum turbæ multæ, quasi testimonia salutaris doctrinæ ejus, quasi oves pastorem in manu ipsius genitæ et nutritæ; perducebant eum, quasi parvuli filii patrem ejus peregre proficiscentem. Ipse autem tamquam pater proficiscens bona pignora caritatis filiis suis reliquit, pro exsiliis, scilicet remedia sanitatum : » hæc *Chrysostomus*. Unde sequitur: *Et curavit eos ibi*, scilicet in Judæa, et non ante in Galilæa, ut Gentes in eam misericordiam seu veniam, quæ Judææ parabatur, admitteret; et in signum quod ex Judæa Gentibus salus esset. Secundum *Origenem*, sanavit Dominus turbas trans Jordanem, ubi Baptismus dabatur, quia omnes a spiritualibus infirmitatibus in Baptismo salvantur. Et sic patet quod Evangelista in uno verbo multa miracula sanitatum includit, quia, propter

multitudinem miraculorum, non poterant omnia in particulari describi.

2 Cur Moyses permisit libellum repudii, Christus vero non permiserit? — Deinde, subditur narratio de triplici religiosorum perfectione, scilicet : continentiæ, obedientiæ et paupertatis. Et primo, de continentia, cum dicitur : *Et accesserunt ad eum*, scilicet Jesum, *Pharisæi*, qui in populo Judæorum præ aliis videbantur religiosi, *tentantes eum*, scilicet capere in verbis. Notanda est mentium distantia in turbis et Pharisæis. Hæ conveniunt, ut doceantur et sui infirmi sanentur; hi accedunt, ut Salvatorem et doctorem veritatis tentando capiant, et decipiant: has devotio pietatis; illos stimulus adduxit livoris. *Et* interrogaverunt *dicentes : Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa*, id est ex levi causa? Hanc autem quæstionem proponunt Christo, ad capiendum eum, quia responsio ad utramque partem calumniabilis videbatur : si diceret enim uxorem pro libito voluntatis dimittendam, et aliam ducendam, pudicitiæ prædicator et assertor videretur laxare frena carnali concupiscentiæ, et sibiipsi contrarie; si autem diceret quod non, videretur contra Moysen dicere, qui libellum permisit repudii. Sed ipse sic responsionem temperat, ut decipulam eorum transeat; et respondit sola fornicationis causa uxorem esse dimittendam, libellum vero repudii ob duritiam et malitiam cordis eorum a Moyse olim fuisse permissum, id est nulla lege punitum. Permisit autem hoc, non sicut bonum et licitum ; sed, propter majus malum evitandum, quia maluit permittere divortium, quam ob odium uxorum, vel desiderium secundarum nuptiarum fieri homicidium. Ista autem permissio non absolvebat eos a peccato; sed tantum a pœna legali, quia non fuit imperium Dei, sed hominis dissimulatio in tolerando minus malum, ne majus fieret. Deus enim non est sibi contrarius, ut aliud ante jusserit, et aliud nunc imperet. Moyses quidem nec præcipiendo, nec concedendo, nec indulgendo hoc mandavit; sed dispensando, sustinendo et permittendo consilio Spiritus Sancti, ne pejora fierint, hoc toleravit. Sic Apostoli permiserunt secundas nuptias propter incontinentiam hominum, et malas eorum voluntates; juxta enim primariam institutionem, non fuit nisi unica unici, sed propter incontinentiam hominum, transeunt modo ad secundas nuptias. Unde, cum de duobus malis minus toleratur, hujus permissio dicitur dispensatio, quasi diversorum pensatio, quando duo mala quasi æque librantur, ut videatur quod eorum pejus sit, et præponderat. Est autem triplex permissio, scilicet : concessionis, ut cum Abbas concedit monacho propter infirmitatem vesci carnibus, illicitis quidem propter votum, sed nunc licitis propter concessionem Abbatis et causam necessariam; indulgentiæ, ut permissio secundarum nuptiarum , unde Apostolus : Uxor, viro defuncto, *cui vult nubat, tantum in Domino*, hoc autem secundum indulgentiam dico, quia si culpa est, venialis est; sustinentiæ, ut permissio libelli repudii, quod sustinuit Moyses, non Dominus, quia Deus hoc crimen punivit temporaliter vel æternaliter, quod Moyses non punivit temporaliter. Est enim permissio sustinentiæ, quando Deus permittit nos peccare, qui non concedit illud fieri, nec dispensat; sed sustinet, id est per patientiam exspectat. Solam ergo fornicationem punit Dominus causam dissidii, jubens ceteras molestias pro fide conjugii et castitate sustineri. Et intellige dissidium, quantum ad cohabitationem, et debiti redditionem; non tamen quantum ad vinculum matrimonii, quod non solvitur nisi per mortem; et ergo nec vir nec mulier potest contrahere, altero vivente. Unde *Rabanus* : « Una ergo solummodo carnalis est causa, id est fornicatio, una spiritualis, hoc est timor Dei, ut uxor dimittatur; nulla autem causa est ut, vivente ea, quæ relicta est, alia ducatur. » — Spiritualiter per uxorem quæ non dimittitur nisi propter fornicationem, intelligitur ani-

ma, cujus vir est Christus, qui numquam animam nisi propter fornicationem peccati dimittit, per quam Christus a nobis recedit. — Moraliter qui dimittit uxorem suam spiritualem, scilicet Ecclesiam, et aliam ducit, scilicet pinguiorem, mœchatur; non enim quærit spiritualem fructum, sed temporale lucrum.

3 CONSILIUM CONTINENTIÆ PERFECTÆ MATRIMONIO ANTEPONENDÆ. — Proposito ergo quod est necessitatis in virtute continentiæ, consequenter ponitur et illud quod est supererogationis, ac consilii, scilicet continentia ab omni actu venereo. *Discipuli* enim *ejus* hoc audientes, quod vinculum matrimonii est indissolubile, et moti ex verbis ejus, *dicunt ei* : *Si ita est causa hominis cum uxore*, quod non possit eam, nisi modo prædicto, dimittere, *non expedit nubere*. Ac si ipsi dicant: Melius est simpliciter continere, propter onus et grave pondus uxorum, et multa incommoda quæ possunt inde venire. Unde ait *Chrysostomus* : « Levius est contra concupiscentiam præliari, et contra seipsum, quam contra mulierem malam. » Unde et *Hieronymus* : « Grave pondus uxor est, si, excepta sola causa fornicationis, non licet eam dimittere. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si gulosa, si vaga, si morbosa, si jurgatrix, si maledica? Timenda erit hujusmodi, et erit, velimus, nolimus, sustinenda. Cum enim liberi essemus, voluntarie nos servituti subjecimus : » hæc *Hieronymus*.

4 CUR NON OMNES CAPERE POSSUNT CONTINENTIÆ VERBUM ? *Qui* Dominus respondendo discipulis *dixit illis* : *Non omnes capiunt verbum istud* continentiæ, scilicet ut impleant et se contineant, quia non omnes capere volunt, nec omnes acceptum habent, audiet enim luxuriosus et displicet ei ; *sed quibus datum est* a Deo, ex speciali munere, quia status altus est, ad quem non valemus, nisi ex gratia, ascendere. Unde dicit Sapiens quod *Nemo potest esse continens, nisi Deus det*. Ac si dicat : Non casu, seu fortuna virgines fiunt ; sed qui a Deo petunt et laborant ut accipiant. Unde *Hieronymus* : « Nemo putet sub hoc verbo, vel fatum vel fortunam introduci, quod hi sunt virgines, quibus a Deo datum sit aut quos quidem ad hoc casus adduxerit ; sed his datum est qui petierunt, qui voluerunt, qui, ut acciperent, laboraverunt. Omni enim petenti dabitur, et quærens inveniet, et pulsanti aperietur. » Unde et *Chrysostomus* : « Non dixit, non omnes possunt ; sed, *non omnes capiunt*, id est omnes capere possunt, non tamen capere volunt. Si enim quidam in pugna cadunt, nos cadentium negligentiæ imputare debemus, non difficultati virtutis. Quando autem dicit : *Sed quibus datum est* ; non hoc significat quoniam quibusdam datur, quibusdam vero non datur ; sed illud tantum ostendit, quia nisi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valemus. Quoniam autem volentibus gratia non negatur, in Evangelio Dominus dicit : *Petite, et dabitur vobis* ; *quærite, et invenietis* ; *pulsate, et aperietur vobis*. Debet autem voluntas præcedere, et sic sequitur gratia. Nam gratia sine voluntate nihil operatur, nec voluntas sine gratia. Nam et terra non germinat nisi pluviam susceperit, nec pluvia fructificat sine terra : » hæc *Chrysostomus*.

5 CONTINENTIA TRIPLEX : CONTRACTA A NATURA, A CASU VEL VIOLENTIA, A VOLUNTATE ET GRATIA. — Et ne omnem continentiam putarent laudabilem et meritoriam, consequenter distinguit eam triplicem : prima est contracta a natura ; secunda, a casu, sive violentia ; tertia, a voluntate et gratia. *Sunt enim Eunuchi*, id est continentes, et est, secundum *Isidorum*, græcum vocabulum, *qui de matris utero sic nati sunt*, sine instrumentis, sive frigidæ naturæ, qui, proprie dicuntur castrati, quasi caste nati. ***Et sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus***, quibus secantur genitalia, qui proprie dicuntur Spadones, a spatha, genere ferri, quo eunuchizantur. Et istæ duæ non sunt laudabiles, et nec meritoriæ, nec demeritoriæ, quia necessitate fiunt, non voluntate, nisi in quantum per voluntatem acceptantur. Secundum ***Hieronymum***, inter

hos secundos computantur et hi qui specie religionis simulant castitatem, scilicet hypocritæ et appetentes vanam gloriam ab hominibus ex quocumque suo opere. *Et sunt Eunuchi*, id est continentes, *qui seipsos castraverunt*, non per membrorum abscissionem ; sed per concupiscentiæ repressionem, et se castitati, seu ad caste vivendum voluntarie devoverunt, *propter regnum cœlorum*, qui proprie dicuntur Eunuchi, id est bene vincentes, ab εὖ, quod est bonum, et νίκη, quod est victoria, quasi boni victores ; et hi merentur : et ratione voluntatis, quia spontanea ; et ratione actionis, quia bona ; et ratione intentionis, quia recta : ista enim tria perficiunt meritum. Hæc ergo tertia continentia, quæ est per voluntatem reprimentem concupiscentiam ab actu venereo, victoriosa dicitur et laudabilis, et tota est meritoria. Unde ait *Chrysostomus* : « Illa est gloriosa continentia, non quam transgredi non potest necessitas debilitatis corporis, sed quam complectitur voluntas sancti propositi. » Et iterum : « Cum autem dicit : Qui se castraverunt, non membrorum dicit abscissionem ; sed malarum cogitationum interemptionem. Etenim concupiscentia habet fontes præcipue a proposito incontinendi, et a mente negligente. Et, si ipsa sobria fuerit, naturalium motuum nullum est nocumentum. Nec ita abscissio membri comprimit tentationes et tranquillitatem facit, ut cogitationis frenum. » Sed, quia talis status altus est, nec possunt omnes ad hoc attingere, sed solum perfecti, ideo infert Dominus hortando milites suos, dicens : *Qui potest capere*, et implere, *capiat*, cum adjutorio Dei, ut sit castus, vel intelligat quæ dico ; vel, qui potest pugnare contra carnem, pugnet, ac superet et triumphet. Et est vox hortantis ad continentiæ bravium, non jubentis. Quasi diceret : Unusquisque consideret an virginitatis et pudicitiæ præceptum implere queat, tantum bonum non est necessitatis, sed supererogationis ; nec est hoc præceptum, sed consilium ; cuilibet offertur, nemini imponitur ; qui ergo potest continere, contineat.

6 Consilium perfectæ obedientiæ, et humilitatis per commendationem parvulorum. — Habito itaque de perfectione continentiæ, sive castitatis, consequenter agitur de perfectione obedientiæ, sive humilitatis, et hoc commendatione parvulorum, per quos designantur humiles et obedientes ; quia sicut parvuli non propria voluntate, sed alterius ducuntur, ita humiles et obedientes alterius voluntate et imperio moventur. Unde dicit *Beda*, quod hæc lectio humilitatis magisterio plena micat, quæ videlicet innocentes ac simplices ad Domini gratiam pertingere posse demonstrat. Dum ergo Dominus Jesus de castitate dissereret : *Tunc oblati sunt ei parvuli* ex devotione offerentium, *ut manus eis imponeret, et oraret*, id est ut manu et voce benediceret. Consuetudo enim fuit apud veteres, ut parvulos benedicendos offerrent senioribus , et impositio manuum ortum habuit ab antiquis Patriarchis, qui volentes benedicere parvulis, imponebant eis manus. Videntes igitur Judæi Christum moribus senem, vita sanctum, doctrina sapientissimum, et de castitate loquentem ; atque habentes eum sicut Prophetam, obtulerunt ei infantes, ut eis manus imponens et orans benediceret : manu per tactum, et voce per orationem. In quo datur intelligi, quod parvulis sufficit per fidem aliorum, ad Christum afferri. *Discipuli autem* labori Magistri compatientes, et propter ejus dignitatem, prohibebant, et *increpabant eos* offerentes, non quod nollent infantibus a Salvatore, et manu et voce benedici ; sed, quia timebant eum post tam longos sermones, importunitate offerentium gravari et offendi. Christus autem, etsi fatigabatur corpore, non tamen animo, quia ei placebat ; et prævaluit ac vicit fortis ejus affectus, quo hominum salutem cupiebat, ut nullus a consecutione suæ salutis prohiberetur. Sic fatigatus ex itinere, non curans famem aut cibos, ad conversionem Samaritanorum, quorum

salutem famescebat, se convertit. Ubi *Origenes* : « Hæc ergo debemus attendere, ne æstimatione sapientiæ excellentioris et profectus spiritualioris, contemnamus quasi magni pusillos Ecclesiæ, prohibentes pueros venire ad Jesum : » hæc *Origenes*. Parvuli etiam possunt dici pauperes et generis infimi ; per discipulos autem impedientes ne Christo offerantur, possunt accipi Ecclesiæ rectores, vel religiosi, qui propter paupertatem, vel generis infimitatem repellunt tales a promotione vel receptione, quamvis sint apti et digni ; propter quod impedientes arguuntur ore Christi. Unde Dominus, indigne ferens, *ait eis*, discipulis : *Sinite parvulos venire ad me*, apud quem non est personarum acceptio ; *et nolite prohibere eos*, comminationibus terrendo, vel malis exemplis corrumpendo ; quia isti sunt figura et forma vere humilium, quorum familiaritatem ego volo, et consortium. In quo dedit prælatis exemplum corrigendi ostiarios suos pauperum accessum prohibentes. Unde *Chrysostomus* : « Nolite vetare pueros, nam si sancti futuri sunt, quid vetatis filios ad Patrem venire ? Si autem peccatores futuri sunt, utquid sententiam condemnationis profertis, antequam culpam videatis ? Nam quales modo sunt, meum est ; quales autem postea futuri sunt, ipsorum erit. Quod ergo meum est, honorate ; quod autem illorum erit, miseremini. »

7 Quo sensu imitandi sunt pueri. — Et subjungit : *Talium est enim regnum cœlorum*, non dicit istorum, sed *talium*, ut non tam ætatem quam humilitatem et innocentiam commendet. Non omnium, sed talium, id est similium, et illorum qui similem habent humilitatem et innocentiam, per studium et laborem, et qui tales sunt per mores et virtutes, quales sunt parvuli per naturam et ætatem. Puerorum enim anima ab omnibus malis est pura, et magistra innocentiæ et humilitatis ; et nullus potest intrare in regnum cœlorum, nisi fuerit innocens et humilis, quia nihil inquinatum intrabit in illud. Unde, secundum *Hieronymum*, non ait istorum, sed *talium*, ut ostenderet non ætatem regnare, sed mores ; et his, qui similem haberent innocentiam similemque simplicitatem præmium repromitti, de quibus Apostolus : *Nolite pueri fieri sensibus ; sed malitia parvuli estote, sensu autem perfecti*. Unde *Ambrosius* : « Non ætas præfertur ætati, alioquin obesset adolescere. Cur ergo pueros aptos dicit esse regno cœlorum ? Fortasse quia malitiam nesciant, fraudare non noverint, referire non audeant, scrutari ignorent, opes, honorem et ambitionem, non appetant ? Sed non ignorare ista virtus est, ast contemnere. Non enim virtus est non posse peccare, sed nolle. Non igitur pueritia, sed æmula puerilis simplicitatis bonitas designatur. » Unde et *Chrysostomus* : « Et nos itaque, si volumus fieri heredes cœlorum, virtutem hanc cum multa possideamus diligentia. Etenim ab omnibus malis pura est pueri anima, et eorum qui contristaverunt non memoratur, sed ut ad amicos accedit, sicut nullo facto ; et quantumcumque a matre flagellatus fuerit, hanc inquirit, et præ omnibus eam appretiatur, et si reginam ostenderis cum diademate, non præponit hanc matri cilicio superindutæ ; et necessariis nihil plus inquirit ; non tristatur in quibus nos, puta damno pecuniarum, et talibus ; non lætatur in quibus nos, puta in temporaneis his ; non respicit ad pulchritudines corporum, propter hoc dixit Dominus : *Talium est enim regnum cœlorum*, ut electione hæc operemur, quæ a natura pueri habent : » hæc *Chrysostomus*. Sunt autem decem proprietates bonæ in pueris, quas qui imitatur, regnum cœlorum consequetur, quæ sunt : innocentia, cordis munditia, obedientia, simplicitas, humilitas, veritas, malorum illatorum immemoratio, fortuitorum nulla reputatio, et præsentium valde parvorum ad sufficientiam acceptio. Plura de hoc habes superius.

8 Humilium dignitas. — Deinde parvulos sibi oblatos Dominus dulciter sascepit : *Et complexans eos*, et in ulnis detinens, in signum quod sim-

plices et humiles, puros et devotos diligit, *et imponens manus super illos*, ut viris continentibus gratiam sui auxilii conferendam significaret; *benedicebat eos*, aliqua vocali benedictione, quæ scripta non est, ut humiles sui benedictione dignos ostenderet. Sic spiritualiter quotidie humilibus manus imponit, cum eis gratiam et auxilium tribuit quoniam humiles spiritu digni sunt ejus gratia et benedictione : *Deus* enim *superbis resistit, humilibus autem*, qui se manibus et potestati ejus subjiciunt, *dat gratiam*. In quo humilium dignitas ostenditur, qui tanta bona merentur. Unde dicit *Hieronymus*, quod humilitas sola observatrix est custosque virtutum, et nihil est quod ita Deo gratum faciat et hominibus, quantum si vitæ merito magni, sed humilitate infimi videamur. Et bene humiles parvulis et innocentibus comparavit; quia humilitas maculas peccatorum lavare, et innocentiam reddere consuevit. Unde ait *Bernardus* : « Decor animæ humilitas est. Et non a me ipso hoc dico, cum Propheta prior dixerit : *Asperges me hyssopo et mundabor*, humili herba ac pectoris purgativa humilitatem significans. Hac se post gravem lapsum rex Propheta lavari confidit; et sic invenit quemdam innocentiæ recuperatæ candorem. »

9 Dominus parvulis manus imponens Confirmationis sacramentum instituit. — Et sciendum quod Christus manus imponendo parvulis instituit et initiavit sacramentum Confirmationis, cujus ministerium postea contulit Apostolis. Unde parvuli in frontibus chrismate consignantur ab Episcopis, qui in Ecclesia Dei locum obtinent Apostolorum; per impositionem enim manuum Apostolorum, conferebatur Spiritus Sanctus, ad robur et confirmationem fidelium, cujus impositionis manuum locum obtinet prædictum Sacramentum. Considera nunc quantum Christus simplicitatem, et humilitatem, ac innocentiam parvulorum diligit quibus tanta familiaritatis et benevolentiæ signa ostendit, et studeas pro posse parvulos imitari, et virtutes eorum habere, ut valeas cum ipsis regnum cœlorum possidere.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui nos ad continentiam es hortatus, da quod hortaris, et tribue mihi fragili castitatem mentis et corporis; et qui parvulos venire ad te voluisti, et eis manus imponens benedixisti, præsta mihi, misero, ut sim parvulus in oculis meis, quatenus gratiam inveniam in oculis tuæ majestatis; et quod parvuli possident per naturam, ego consequar misericorditer per gratiam tuam, ut meritis omnium parvulorum et humilium tibi placentium, ego, ultimus omnium, te rectore, te duce, merear ad te pervenire, et a te benedictione in cœlestibus munerari. Amen.

CAPUT XI

DE PERFECTIONE PAUPERTATIS.

Matthæi cap. XIX, et Marci cap. X.

1 Nemo bonus, nisi Deus. — Habito de perfectione castitatis, et obedientiæ seu humilitatis, consequenter agit de perfectione paupertatis. *Et ecce unus quidam* adolescens, *accedens* et *genu flexo ante Jesum*, *roga-*

bat eum, dicens : Magister, propter doctrinam sanam, *bone*, propter vitam sanctam ; *quid boni faciam ut vitam æternam percipiam?* Secundum *Bedam*, audierat iste a Domino tantum similes parvulis dignos esse regno Dei, et ideo certior esse desiderans de ingressu regni, non per parabolas, sed apertius postulat sibi exponi, quibus meritis, vel operibus, vitam æternam possit consequi. *Jesus autem dixit ei*, primo quantum ad ejus cogitationem, quia iste cogitabat Jesum esse purum hominem, licet crederet eum esse sanctum, et bonum doctorem; et ideo, quasi respondens ejus cogitationi, dixit ei : *Quid me dicis bonum?* Quasi diceret : Ex quo me credis purum hominem, non debes me vocare bonum. *Nemo* enim *bonus, nisi* solus et *unus Deus* ; hoc est dictum : Deus est solus bonus essentialiter, per se, et a seipso, et nullus alius ; quia alii participative per ipsum, et ab ipso. Unde *Chrysostomus* : « Hoc autem dicens non excludit homines a bonitate ; sed a comparatione cum bonitate ; divina. » Quasi diceret ei Dominus : Quare me dicis bonum, cum non credas me esse Deum ? Si vero confiteris bonum, credas etiam esse Deum. Solus enim Deus natura bonus est.

2 Via necessaria ad vitam : mandatorum observatio. — Deinde consequenter respondet ejus interrogationi, dicens : *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Quasi diceret : Hoc sufficit ad salutem ; quod amplius est, non est necessitatis, sed supererogationis, quoniam, secundum *Bedam*, justitia Legis custodita, non solum bona terræ, sed et vitam conferebat æternam, suo tempore consequendam. Et, quia adolescens hæc audierat sollicitus factus dixit illi : *Quæ essent* hæc mandata, quorum observantia est necessaria. Hoc autem, secundum *Chrysostomum*, non tentans fecit ; sed æstimans alia quædam præcepta esse, præter legalia, quæ vitæ ei causa fierent. *Jesus autem*, quasi infirmo condescendens, Legis præcepta clementissime exponens, *dixit* : *Non homicidium facies* manu occidendo, ore jubendo, vel consulendo ; vel etiam detrahendo, quia per detractionem occiditur proximus in conscientia aliena, in qua vivebat per bonam famam ; nec corde mortem alterius desiderando, vel odium retinendo, aut beneficium subtrahendo, et per hoc præceptum Decalogi, prohibetur omne nocumentum proximi in persona propria. *Non adulterabis*, per hoc prohibetur nocumentum proximi in persona sibi conjuncta. *Non facies furtum*, per hoc prohibetur nocumentum proximi in re possessa. *Non falsum testimonium dices*, per hoc prohibetur nocumentum proximi in fama. *Honora patrem tuum et matrem tuam*, eis subveniendo, et reverentiam exhibendo ; et per hoc præceptum affirmativum intelligitur omne beneficium proximo reddendum, quia nomine patris et matris, intelligitur omnis proximus. Et hoc est, quod subditur : *Et diliges proximum tuum, sicut teipsum*, id est, ad id quod diligis temetipsum, scilicet ad gratiam et ad gloriam ; vel, *sicut teipsum*, id est non verbo tantum, sed opere et veritate. Proximus autem noster est, omnis qui nobiscum convenit in natura, quem debemus sicut nosipsos diligere. Quam sententiam Dominus inducit, ut ostendat quod finis præceptorum est caritas ; quia observantia mandatorum non est meritoria vitæ æternæ, nisi fiat ex caritate. Inter hæc præcepta ordinantia in proximum, non tanguntur præcepta de non concupiscendo rem proximi, vel ejus uxorem, quia reducuntur ad præcepta de non adulterari et non furari, et sub illis possunt intelligi ; vel, quia intelliguntur in hoc quod dicitur : *Diliges proximum tuum*, qui enim vere proximum diligit, nec rem ejus, nec uxorem concupiscit. Enumerat autem hic non omnia mandata, sed solummodo præcepta secundæ tabulæ, quæ ordinant hominem ad proximum, in quibus implicat et supponit præcepta primæ tabulæ ordinantia hominem ad Deum ; quia homo magis tenetur Deo quam proximo, et ideo si observantia manda-

torum secundæ tabulæ est necessaria ad salutem, multo fortius observantia mandatorum primæ tabulæ est necessaria ad eamdem. Unde bene dicit Apostolus, quod : *Qui diligit proximum, Legem implevit*; quia in dilectione proximi intelligitur dilectio Dei ut finis propter quem proximus diligitur : quia proximus diligi debet propter Deum, et non e converso.

3 De decem Decalogi præceptis. — Per prædicta etiam ostendit Salvator, quod observantia præceptorum cerimonialium et judicialium non erat amplius necessaria ad salutem, sed sufficiunt decem Decalogi præcepta. Quorum primum est: *Non habebis deos alienos*, id est verum Deum solummodo coles et super eum nihil amabis. Multi enim hodie sunt qui sibi deos alienos faciunt; nam, sicut dicit *Augustinus*, hoc ab homine colitur, quod præ ceteris diligitur. Superbus igitur pro Deo habet superbiam, luxuriosus luxuriam, avarus avaritiam, et sic de ceteris. Secundum : *Non assumes nomen Dei tui in vanum* in os tuum, id est non blasphemabis nec jurabis indebite in nomine sui. Talis injuriam facit Deo, quem in testimonium suæ falsitatis invocat, quasi Deus mendacium diligat; et sibi qui in judicio Dei puniendum se obligat, si non est ita sicut jurat; et proximo, quia per falsam jurationem ipsum decipit et defraudat. Tertium: *Memento, ut diem sabbati sanctifices* ; ut in eo moraliter non pecces, et mala vites. Contra præceptum istud peccat, qui causa cupiditatis in sabbato opus servile facit, vel aliquod peccatum committit, vel opera misericordiæ dimittit; quoniam a bonis operibus non est vacandum Quartum : *Honora patrem tuum et matrem tuam*, scilicet eis obediendo, et obsequendo, et subveniendo, atque animabus eorum miserendo; in hoc etiam mandato præcipitur honor patrum spiritualium, scilicet prælatorum. Quintum : *Non occides*, opere, verbo, negligentia, cogitatione, auxilio, consensu, malo exemplo, vel aliqua occasione. Homicidium etiam aliquando fit corde per odium; aliquando ore, per verbum detractorium: aliquando opere, per factum. Et istud ultimum est triplex : quidam enim occidunt corpus tantum; quidam animam tantum, quando scilicet trahunt ad peccatum ; quidam utrumque, quando scilicet aliquis interficit seipsum, vel alium in peccato mortali existentem. Sextum : *Non mœchaberis*, operando, cogitando, loquendo, vel in jurisdictione tua fornicationem sustinendo. Per hoc autem quod dixit Dominus : *Non mœchaberis*, prohibetur omnis carnalis appetitus et corruptio, præter eam quæ est matrimonii. Septimum : *Non furtum facies*, aliena quomodolibet tibi attrahendo, vel re aliena, invito Domino. utendo. Per furtum intelligitur omne malum ablatum : sive occulte faciendo in acceptis; sive fraudem exercendo in mercationibus, sive mercedem non solvendo operariis. Octavum : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*, omne mendacium, dolum, detractionem, adulationem, calumniam. et doctrinam erroneam devitando. Nonum : *Non concupisces domum*, vel agrum, vel aliam rem *proximi tui* ; tali videlicet mente, quod velles ista tibi cum suo damno adaptare. Decimum : *Nec desiderabis uxorem, servum*, vel *ancillam proximi tui*, corde consentiendo, ore sollicitando, aut opere concupiscentiam perficiendo. Hæc qui perfecerit, salvari poterit.

4 Consilium perfectæ paupertatis. — *At ille adolescens dicit illi : Magister hæc omnia custodivi a juventute mea*; quod tamen in multis religiosis vix aliquis hodie reperiret, *quid adhuc mihi deest? Jesus intuitus eum, dilexit eum*, propter bonam conversationem suam præteritam, ac tunc ostendit sibi vultum amicabilem ; *et* instruens eum de perfectione, *dixit illi : Adhuc unum tibi deest*, quoad statum perfectionis, scilicet bonum paupertatis. Quia. etsi mandatorum observatio sufficit ad salutem. non tamen ad evangelicam perfectionem; sed ad hanc etiam requiritur observatio consiliorum, in qua primum est abrenuntiatio temporalium, et ideo de

hac tantum hic facit mentionem. Ubi *Origenes* : « Non tamen intelligendum est quod in ipso tempore quo bona sua tradiderit pauperibus, fiat omnino perfectus ; sed illa ex die incipiat speculatio Dei adducens eum ad omnes virtutes. » Et subdit Dominus, dicens : *Si vis*, quia hoc est in tua libertate, *perfectus esse*, id est ad statum perfectionis ascendere super communem statum saluti necessarium, quia hoc est de perfectione vitæ, *vade* per affectum contemnendo temporalia, et *vende*, per effectum ea relinquendo *quæcumque*, id est omnia, non partem tantum, ut Ananias et Sapphira, quod est contra proprietarios, *habes* et juste possides, quod est contra raptores, fures atque usurarios eleemosynas de alieno facientes, illa enim habemus quæ juste possidemus : illa ergo quæ juste possidentur vendenda sunt, quæ vero injuste, reddenda sunt illis quorum fuerunt ; *et da*, non vende quærendo munus a manu, vel a lingua, vel ab obsequio, *pauperibus*, non divitibus, a quibus similia accipies, neque amicis carnalibus, nisi fuerint indigentes, neque histrionibus, et male utentibus, quod est contra simoniacos et ambitiosos, qui dant aliis ut acquirant beneficia et dignitates ; et *hoc fac* propter Deum, non propter ostentationem, quia abjicere temporalia propter ostentationem non est meritorium ; *et* sic ea dando *habebis thesaurum*, id est quemdam beatitudinis *in cœlo* locum tutissimum. Hoc autem non dicitur, quia paupertas sit major virtus quam continentia vel obedientia ; sed dicitur per quamdam correspondentiam, quasi thesaurus cœlestis sic respondeat voluntariæ paupertati, sicut exaltatio humiliationi. Unde *Chrysostomus* : « Bene autem non vitæ fecit æternæ mentionem, sed thesauri, dicens : *Et habebis thesaurum in cœlo* : quia enim de pecuniis erat sermo et de abrenuntiatione omnium, ostendit quod reddit plura his quæ præcepit relinquere, quanto majus est cœlum quam terra ; in thesauro enim copiam retributionis ostendit. »

5 Per sequelam Christi consummatur perfectio. — Subdit autem : *Et veni*, relictis omnibus, et *sequere me*, me imitando, et sicut ego ambulo ambulando : quia, in sequela Christi per caritatis opera, vera consistit perfectio principaliter et complete ; in paupertate autem voluntaria consistit inchoative per modum removentis, prohibentis et disponentis, quia per hoc aufertur cura temporalium, quæ a dilectione Dei impedit animum. Unde *Glossa* : « Relinquere omnia est via ad perfectionem ; sed in sequendo Christum consistit perfectio. Magna certe gloria est sequi Dominum, et ideo valde est appetendum. » Ad perfectionem ergo non sufficit homini relinquere sua, nisi Dominum sequatur, id est nisi, relictis malis, faciat bona. Unde ait *Theophilus* : « Cum paupertate enim et ceteras virtutes hominem habere oportet, ob hoc ait : *Et veni, sequere me*, id est in ceteris esto meus discipulus, et jugiter me sequaris. » Unde et *Hieronymus* : « Facilius sacculus contemnitur, quam voluntas. Multi enim divitias relinquentes Dominum non sequuntur. Sequitur autem Dominum, qui imitator ejus est, et per vestigia illius graditur. » Unde etiam *Rabanus* : « Ecce duas vitas hominibus propositas audivimus : activam, ad quam pertinet : *Non occides*, et cetera Legis mandata ; et contemplativam, ad quam pertinet : *Si vis perfectus esse*, etc. Activa ad Legem pertinet, contemplativa ad Evangelium, quia sicut Vetus Novum præcessit Testamentum, ita bona actio præcedit contemplationem. Activis etenim convenit observatio præceptorum quæ in Lege traduntur, contemplativis observatio consiliorum quæ in Evangelio docentur. » Et notandum quod multiplex est perfectio, scilicet : sufficientiæ, quam omnes habent existentes in caritate ; ordinis, cujus proprium est servare continentiam ; religionis, cujus proprium est renuntiare omnibus ; prælationis, ad quos pertinet ponere animam pro ovibus suis ; securitatis, cujus proprium est habere mortem in desiderio, et vitam in patientia. Ad primam perfectionem

tenetur quilibet; ad ultimam vero nullus tenetur; ad tres vero medias tenentur aliqui ex causis. Unum ergo signum perfectionis posuit; cum omnia relinquere consuluit, ut nudum Christum nudus sequatur. Unde, secundum *Theophilum*, dicens omnia, summam paupertatem suadet; si quid enim restiterit, illius servus est. Et secundum *Ambrosium*, talem voluit adolescentem illum Dominus ad paradisum redire; qualis Adam fuerat olim de paradisi sublimitate dejectus. Nudus enim Adam incola paradisi fuit.

6 NIMIA TERRENARUM POSSESSIONUM DILECTIO EST PERFECTIONIS IMPEDIMENTUM. — Quamvis ergo cum possessione divitiarum possit quis ad vitam ingredi servando mandata; tamen ad perfectam sequelam Christi, ut perfecto amore et integro affectu tendat in Deum, deest sibi unum, scilicet quod relinquat divitias affectu, ut sit pauper spiritu; quæ paupertas includit humilitatem, sine qua non est paupertas vera, quia vanum est habere bursam vacuam, et cor plenum superbia. Includit etiam contemptum divitiarum effectu, quia difficile est valde habenti divitias, ne amore earum aut detineatur, aut distrahatur et impediatur a perfecto amore Dei; ne Christum libere et expedite sequatur. Nam, qui divitiis implicatur, mittit pedes in rete, ne possit coram Deo perfectus ambulare, et libere Christum sequi; quia divitiæ viscosiores sunt visco, et vix evellitur animus occupatus ab eis, et detentus. Nimia ergo dilectio terrenarum possessionum est hujus perfectionis impedimentum. Quod bene patuit in hoc juvene, *qui cum verbum Domini audisset*, de perfectione scilicet paupertatis voluntariæ, *abiit tristis*, seculi tristitia mortem operante, impeditus a perfectione quam quærebat terrenarum possessionum amore, ob quod non poterat ad perfectionem voluntariæ paupertatis ascendere. Unde causa tristitiæ redditur, cum subditur : *Erat enim multas habens possessiones*, spinas producentes et tribulos, sementem Dominicam suffocantes; et ipse nihilominus habitus a possessionibus, et dives valde divitiis fallacibus, ob quarum inordinatum amorem tristabatur de persuasione abrenuntiationis earum; tristabile enim est amata abjicere. Ad temporalia enim passibiliter afficitur, cujus cor in privatione eorumdem aliqualiter contristatur. Nam plerumque, cum temporalia adsunt nobis, putamus quod ea non diligamus; sed cum abesse cœperint, tunc invenimus qui sumus. Hoc enim sine amore nostro aderat, quod sine dolore discedit. Iste juvenis cum audiret, quod quæcumque haberet venderet, et daret pauperibus, abiit mœrens; quia simul et divitias seculi et vitam æternam habere volebat, quod difficile erat ut fieret : quoniam in possessione divitiarum absque superbia elationis et absque proprietate voluptatis vix stare quis potest, sicut etiam difficile esset, quod homo in cacumine verticis alicujus montis staret, et tempestate validi venti quassatus non caderet. Ut vero dicit *Augustinus* : « Hic adolescens laudabilis quidem est, quia non occidit, nec adulteratus est; vituperabilis est autem, quia contristatus est in verbis Christi vocantis eum ad perfectionem. Adolescens quippe erat secundum animam, et propterea relinquens Christum abiit : » hæc *Augustinus*. Sed tale *rete frustra jacitur ante oculos pennatorum*; scilicet contemplantium perfectorum, qui tanto minus contristantur quod desunt temporalia, quanto magis appetunt æterna. Nam, ut ait *Gregorius*, tantum quisque minus dolet quod desunt æterna, tanto magis gaudet quod adsunt temporalia; et qui minus dolet quod desunt temporalia, certius exspectat ut adsint æterna. Et ideo, secundum *Gennadium*, bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare; sed melius est, pro intentione sequendi Christum, omnia et totum simul donare, et absolutum a sollicitudine cum Christo egere. Ut enim dicit *Chrysostomus* : « Non similiter detinentur qui pauca habent, et qui multis abundant; quoniam abjectio divitiarum majorem accendit flam-

mam, et violentior fit cupido. » Non solum autem divitiarum possessio, sed etiam rerum aliarum diversitas hominem a Dei contemplatione et perfecto amore impedit et avertit. Unde ait *Augustinus :* « Temporalium rerum multiformitas ab unitate Dei hominem per carnales sensus diverberat, et mutabili varietate ejus affectum multiplicat. Quem ergo delectat libertas, ab amore mutabilium liber esse appetat; et quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo subditus hæreat. » Et iterum : « Duo sunt amores, mundi et Dei. Si mundi amor habitat, non est quo intret amor Dei. Cum exhauseris cor tuum ab amore terreno, hauries amorem divinum. » Unde et *Gregorius :* « Cum cupiditate terrenæ substantiæ Deus non diligitur, quia terrenus amor oculum mentis sordidans excæcat, ne divina claritas videatur. Nec mirum. Quomodo enim diligere potest quem nescit? Aut quomodo scit, ad quem nesciendum oculum cordis claudit ? » Unde etiam *Chrysostomus* : « Fumo similes sunt humanæ res. Nihil enim ita contristat animæ oculum et turbat, ut vitæ hujus curarum turba, et concupiscentiarum multitudo; hæc enim fumi hujus sunt ligna. » Unde et *Anselmus :* « Si vis esse quietus, nil seculi appetas. Semper requiem mentis habebis, si a te mundi curas abjeceris. Qui curis terrenis se implicat, a Dei amore se separat. » Et ut in paucis multa intelligas, attende pauca verba *Augustini* sic dicentis : « Nihil plus novi esse, quam ista sensibilia fugienda. » Cui concordat *Dionysius*, qui sic dicit : « Derelinque sensus, et omnia sensibilia. »

7 Modus quadruplex temporalia aspiciendi. — Qui habet aures audiendi, hæc pauca verba prædicta audiat, et corde intelligat; quia multa in eis latent, quæ vanis et dissolutis non apparent. Unde cuidam de sermonis abundantia sollicito, dictum est in spiritu : Si vis scire omnia prædicanda, tunc separa te ab exterioribus, purifica te a temporalibus, liberum fac te a carnalibus, et erige te ad cœlestia; et manifestabuntur tibi divina. Ecce in his verbis totum est inclusum quod est prædicatum : imago enim tua imago Dei est; depone ergo ab ea omne quod sibi accidens est, et apparebit tibi in ea, quod divinum est. Ut autem utiliter ad temporalia et æterna perfecte te habeas, scito quod temporalia debes aspicere sub sensu quadruplici : primo, scilicet ut tamquam peregrinus et advena sentias omnia ut extranea et aliena, ita quod tua vestis sit tuo sensui extranea, ac si esset alicujus de Græcia vel India; secundo, ut in tuo usu omnem abundantiam timeas ut venenum, et mare submergens; tertio, ut in tuo sensu omnem inopiam et egestatem sentias ut mensam, et aram, et scalam vitæ æternæ, et ut speculum seu imaginem crucis Christi; quarto, ut divitias et apparatus divitum ita sentias tibi difformes, quod in eorum memoria vel aspectu nullatenus valeas delectari vel lætari, quod si videris te in eis congaudere, a Christi gloriosa paupertate te æstima alienum fore. Huic autem connectitur quod in pauperum et despectorum memoria, vel aspectu, tamquam in Christi pauperis expressa imagine, totus læteris, et eis quasi regibus cum summa alacritate et reverentia associeris.

8 Omnia bona opera facienda sunt. — Considera etiam hic quod ad perfectionem non sufficit quædam opera bona. et quasdam virtutes habere; sed oportet omnia pro posse perficere. Unde *Chrysostomus :* « Completus est Dei homo ad omne opus bonum, expletus non; ut hæc quidem habeat, illa vero non habeat. Qui enim talis est, non est completus. Quæ enim utilitas, dic mihi, cum orat quis intense, non misereatur autem abunde? Aut, cum miseretur quis abunde, avarus autem et violentus existens? Aut, cum non avarus aut violentus existens, ad ostentationem vero sit hominum qui vident? Aut, cum misereatur quidem in id quod Deo videtur, elevetur autem hoc ipso et magna sapiat? Aut, cum humilis quidem fuerit, et jejuniis intendens, avarus autem et negotiator, et terræ affixus et ma-

trem omnium malorum, suæ inducens animæ? Radicem enim omnium malorum esse avaritiam, dixit Paulus. Horreamus igitur hanc; refugiamus hoc peccatum. Hoc orbem terrarum fecit instabilem, omnia confudit; et a beata servitute nos abducit Christi. Non est enim possibile, Deo servire et mammonæ, contrarium enim injungit Christus: » hæc *Chrysostomus*. Et nota circa præmissa, quod perfectio paupertatis non consistit in majori defectu rerum temporalium, sed in majori abstractione sollicitudinis earum. Quanto enim modus vivendi in paupertate minorem habet sollicitudinem, tanto paupertas est perfectior; non autem quando paupertas fuerit major. Non enim paupertas secundum se bona est; sed in quantum liberat ab illis, quibus homo impeditur quominus spiritualibus intendat.

ORATIO

Domine Jesu Christe, da mihi, misero et fragili, qui tua mandata hactenus negligenter et male servavi, saltem amodo ea observare, ut cum observatoribus eorumdem merear ad vitam ingredi. Da etiam mihi, clementissime Domine, ut ad perfectionem tendendo, omnia temporalia, propter te, affectu contemnam et effectu relinquam; relictisque omnibus, te sequar, te imitando, et per tua vestigia gradiendo, ut, te rectore, te duce, ad te thesaurum meum desiderabilem et indeficientem valeam lætus pervenire, et de tua visione semper gaudere. Amen.

CAPUT XII

DE DUODECIM CONSILIIS EVANGELICIS.

1 Relatio consiliorum ad præcepta. — Et, quia dictum est de præceptis, quæ sunt necessaria ad salutem, videamus et de consiliis quæ requiruntur ad perfectionem. Unde et præceptis, et prohibitionibus tenemur; sed consiliis et promissionibus non tenemur. Nam consilium pertinet ad perfectos, præceptum autem ad perficiendos, sed permissio pertinet ad imperfectos, prohibitio vero ad perversos. Ad observantiam quidem præceptorum utilis est observantia consiliorum. Aliquando etenim fortitudo terræ in ingressu illius consistit; et ideo passus ille bona custodia indiget, quia obtento ingressu, faciliter residuum hostes obtinent. Sic est in terra animæ, quia tota fortitudo ejus consistit in ingressu, scilicet in occasionibus peccatorum, et propter hoc necessaria est bona custodia circa ipsum. Propter custodiam autem istius ingressus dantur consilia, quæ continent et custodiunt mandata, ac retrahunt hominem ab incautis respectibus, et discursibus et aliis periculis. Sunt autem duodecim consilia Evangelica, quæ Christus adjecit ad præcepta.

2 Sex prima consilia Evangelica. — Primum est paupertatis, quæ consistit in abdicatione proprietatis. Unde est illud Matthæi : *Si vis perfectus esse, vade et vende quæcumque habes, et veni sequere me.* Et illud Lucæ : *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* — Secundum est obedientiæ. Unde est illud : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Et illud : *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis, facite.* — Tertium est castitatis. Unde est illud : *Sunt Eunuchi qui seipsos castraverunt propter*

regnum cœlorum. Et illud : *Audistis quia dictum est antiquis* : *Non mœchaberis*; *ego autem dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo*; ubi ostenditur quod non solum damnabilis est consensus in opus mœchiæ, sed et consensus ad delectandum in corde. Hæc tria consilia prædicta sunt specialia omnis perfectæ religionis, et substantialia; quia suos observatores elongant a malo, non solum quantum ad culpam, sed etiam quantum ad causam. Omne namque malum oritur ex triplici radice, scilicet : ex *concupiscentia carnis, et* ex *concupiscentia oculorum, et* ex *superbia vitæ.* Prædicta vero tria consilia nos elongant perfecte ab hac triplici radice, scilicet: paupertas, a concupiscentia oculorum; castitas, a concupiscentia carnis; et obedientia, a superbia vitæ. — Quartum consilium est caritatis. Unde est illud : *Diligite inimicos vestros.* Istud, quantum ad dilectionem affectus, est præceptum; sed quantum ad dilectionem effectus, est consilium: quia inimico velle gratiam et gloriam est necessitatis; sed impendere opera beneficentiæ et ostendere illi signa benevolentiæ est consilii et perfectionis. Sane negare ei signa familiaritatis, quando veniam petit, vel ad familiaritatem non simulatorie se ingerit, vel quando necessitas exposcit, vindicta est, quia tunc inter amicos est computandus; sed quod aliquis ultro se ad familiaritatem ejus ingerat, hoc est perfectionis. — Quintum consilium est mansuetudinis. Unde illud : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram*, id est paratus sis et aliam percussionem sustinere patienter; et istud est consilium patientiæ, respectu læsionis corporum. Et illud : *Qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tollere, dimitte ei et pallium*, et istud est respectu ablationis rerum. Cum contentione et fraude, nulli licet sua repetere ; cum caritate licet imperfectis, perfectis autem non: quia non repetere est infirmis consilium, perfectis vero præceptum. Illis autem qui renuntiaverunt proprietati, non licet repetere sua, sed ut congregationis. — Sextum est misericordiæ et erogationis. Unde est illud : *Omni petenti te tribue*, non propter se, sed propter bonum commune. Et illud : *Si vis perfectus esse, vende quæcumque habes, et da pauperibus.* Dare superfluum in extrema necessitate est necessitatis et debiti ; sed dare ea, quibus egemus, est consilii.

3 Sex ultima consilia Evangelica. —Septimum consilium est de simplicitate verborum. Unde est illud : *Sit sermo vester : est, est; non, non*, id est, si affirmatio vel negatio est in ore, sit etiam in corde. Et illud : *Audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis. Ego autem dico* vobis, *non jurare omnino.* Jurare, quantum ad infirmitatem pertinet, permissionis est; non jurare autem, quantum ad perfectionem pertinet, consilii est. — Octavum est de vitanda occasione peccandi. Unde est illud : *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te.* Ubi, secundum *Augustinum*, nullum membrum ad litteram præcipitur erui, sed occasio peccandi; quia non solum peccata, sed et occasiones peccandi sunt fugiendæ. — Nonum est de rectitudine intentionis, et simplicitate operis vel finis. Unde est illud : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Et illud : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* — Decimum est de conformitate operis et doctrinæ. Unde est illud : *Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Et illud : *Alligant hominibus onera gravia, digito autem suo nolunt ea movere..... Dicunt enim, et non faciunt.* In prædicatione, aliquando asseritur censio generaliter de his quæ pertinent ad statum salutis; aliquando Deo asseritur censio secundum statum perfectionis, utpote religionis. Primo modo tenetur facere quod dicit prædicator, cum asserat omnes ad hoc teneri; secundo modo non tenetur, nisi ipse perfectionem illam voverit. Existens autem in peccato notorio, peccat quando prædicat,

quia scandalizat; existens autem in peccato occulto, si prædicat et non studet ex suo delicto compungi, adhuc videtur peccare, quia videtur contemnere. — Undecimum est de vitanda sollicitudine. Unde est illud : *Nolite solliciti esse.* Et illud : *Nolite cogitare de crastino.* Ubi sciendum quod quadruplex est sollicitudo : prima est laudabilis, et est providentiæ spiritualis quoad animam, quomodo quis Deo placeat, omnem sollicitudinem suam projiciens in eum; secunda est etiam laudabilis, et est providentiæ temporalis ex fraterna caritate, qualis competit prælatis et religiosis officiatis, qui præsunt in sollicitudine; tertia est tolerabilis, et est curæ temporalis, quoad corpus; quarta est vituperabilis, et est superfluæ thesaurizationis, quoad avaritiam. Prima consulitur consilio isto, secunda præcipitur, tertia permittitur, quarta prohibetur. — Duodecimum consilium est de fraterna correptione. Unde est illud : *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum,* etc. Corripere fratrem quandoque est consilium, ut quando aliquis corripit fratrem de venialibus, et illum cum quo nihil facere habet, nisi communem caritatem; quandoque est præceptum, ut quando corripitur de mortali, et isto secundo modo pertinet ad omnes, et obligat semper, sed non ad semper, quia pro loco et tempore, scilicet quando vacat et licet, et creditur quod utilis sit correptio. Et ad hoc præceptum maxime tenentur superiores, et prælati, quoad eos quorum curam gerunt.

4 Hæc consilia facilia reddunt timor Dei bonaque consuetudo. — Omnia præmissa Domini præcepta et consilia facilia sunt volenti, et Dei timorem præ oculis habenti. Unde *Chrysostomus* : « Sit tibi timor Dei omni necessitate violentior. Si enim velis occasiones semper objicere, nihil de eis quæ sunt imperata custodies, et ita prorsus omnia quæ sunt præcepta calcabis. Quia, si Legem volueris custodire Christi, necessitatem quidem nullam, quæ te ab observatione ejus impediat, aliquando patieris. Noli igitur, o homo, in otium reclinare, nec dissolvas bonam animi voluntatem; neque enim quæ imperantur onerosa sunt, tantummodo velle sufficit, et totum quod jubetur impletum est. Quod si mihi consuetudinem tuam opponis ut legem, per hanc ipsam te admoneo quam sit facilis ista correctio. Si enim in aliam consuetudinem ex alia te converteris, hoc quod tibi difficile videtur, efficieris. Quia, sicut ad vitiandum consuetudo est violenta; ita fit potens ad corrigendum. » Et iterum : « Si in usum semel bonæ Philosophiæ transeas, etiamsi postea, aliquis tibi torpor obrepat, certum est tamen, quod non facile poteris horum quippiam quæ præcepta sunt transgredi, bona scilicet consuetudine firmitatem jam imitante ipsius naturæ. Quam enim facile est dormire, comedere, bibere, respirare; tam nobis facilia erunt bona consuetudine, etiam opera virtutis : » hæc *Chrysostomus.* Unde et *Tullius* : « Optima forma vivendi eligenda est, quam jucundam reddit consuetudo. » Tantum etiam delecteris et complaceat tibi in præceptis et consiliis Domini, ut si non sine gravamine vel difficultate videantur fieri, coneris tamen ob honorem ipsius legislatoris servare, quantum ipse vires dabit, quia etsi propter ipsum pati non elegeris, nihilominus aliter patieris. Ut enim dicit *Augustinus* : « In hoc mundo non timere, non dolere, non periclitari impossibile est; sed plurimum interest qua causa, qua exspectatione, quo termino quisque patiatur. » Unde et *Chrysostomus* : « Si non propter Christum elegerimus aliquid pati dolorum, necesse est eos omnino et aliter sustinere. Neque enim si propter Christum non mortuus fueris, immortalis eris; neque si propter Christum non projeceris pecunias, ferens eas abibis. Hæc expetit a te, quæ non expetente eo, dabis. Hæc te vult facere tua voluntate, quæ et ex necessitate te oportet facere. Expetit autem solum propter eum fieri; quia continget et hæc transire a necessitate, quæ secundum naturam fit. Ergo non injuste avertit et punit Deus, cum in omnibus

semetipsum nobis præbeat, nos autem resistimus. Ego, inquit, pater, ego et amicus, ego et frater, ego et soror, ego et mater, et omne quodcumque volueris ego sum; solum familiariter te habeas ad me, quia omnino necesse est te pati, elige pati propter me. Ego inops propter te, et peregrinus propter te, in cruce propter te, in sepulchro propter te; ego superius propter te interpello Patrem, inferius pro te ligatus, veni a Patre; omnia mihi tu es, et frater, et coheres, et amicus, et membrum. Quid plus vis? Quid eum, qui te diligit, avertis? Quid huic mundo laboras? Quid vase hauris perforato? Hoc enim est in præsenti vita laborare. Quid flammam incendis? Quid aerem impugnas? Quid inaniter curris? *Vanitas* enim *vanitatum, et omnia* sunt *vanitas*. Ita humiliemus nosmetipsos, et potiores efficiamur, ut qui digne hic viximus, futuris fruamur bonis : » hæc *Chrysostomus*.

5 Comparatur sapphiro paupertas, topazio obedientia et smaragdo castitas. — Prædicta autem duodecim consilia duodecim lapidibus pretiosis possunt adaptari. Primum enim consilium, quod est paupertatis, significatur per lapidem sapphirum. Sapphirus enim flavi coloris est, sicut cœlum serenatum; sic pauperes colorem cœlestem habent, pro quanto a terrenis totaliter elongati, solis cœlestibus intendunt. Item, sapphirus dicitur ardorem interiorem refrigerare, et oculos immundos purgare ; sic sancta paupertas ardorem cupiditatis rerum temporalium, qua communiter homines mundani æstuant, in animo istorum pauperum ita refrigerat, ut omnia terrena bona arbitrentur *ut stercora;* et ideo facit eos habere oculos mundos et limpidos ad contemplandum cœlestia, qui non sunt terrenorum pulvere obfuscati. Item, sapphirus fugat squinantiam, et morbum qui dicitur : noli me tangere, et universaliter valet ad apostema calida; sic paupertas spiritus tumores et infectiones vitiorum non compatitur, sed ea fugat et sedat. — Secundum consilium, quod est obedientiæ, significatur per lapidem topazium. Topazius in colore est auro similis; sic obedientia. Color enim auri nobilissimus est, sine quo nulla pictura est perfecta; et certe sine qua obedientia nulla perfecta virtus est, quia, secundum *Augustinum*, sine obedientia omnia vacua, et cum obedientia omnia plena caritate reperiuntur. Item, topazius bullientes aquas compescit; sic obedientia aquas humanæ fluxibilitatis compescit, nam ex naturali fomite in nobis incentiva vitiorum ebulliunt, quibus obedientia frenum imponit. Item, topazius iram restringit; et certe obedientia iram et omnem passionem animi mitigat, quia quæcumque passio vel tentatio in animo irrepserit, superveniente majorum obedientia, statim restringitur in homine obediente. — Tertium consilium, quod est castitatis, significatur per lapidem smaragdum. Smaragdus enim est a tota specie amator castitatis, et nullo modo sustinet coitum nisi rumpatur; unde et gestantem se ad castitatem inclinat. Est autem viridis præ omnibus rebus virentibus, cujus etiam fulgore vicinus aer virere cernitur, nec ejus viror sole vel luna, vel umbra obfuscatur; sic castitas inter alias virtutes viret, unde et virgo dicta est a virore; et ipsa castitas est viror omnium virtutum, ita ut etiam proximis exemplariter et virtualiter virere faciat; nec obscuratur sole, id est æstu cujuslibet tentationis; neque obfuscatur luna mundanæ gloriationis, neque umbra carnalis delectationis. Item, smaragdus motus lascivos compescit, visum reficillat, gratum hominem in verbis reddit; et hæc tria ad litteram efficit castitas, ut patet. Item, smaragdus tempestates avertere, et caducum morbum curare dicitur; sic castitas tempestatem carnalis impugnationis reprimit, et morbum ejus, unde homo quasi caducus et amens efficitur, compescit.

6 Comparatur carbunculo caritas, amethysto mansuetudo et onychino misericordia. — Quartum consilium, quod est caritatis, prout extenditur ad dilectionem inimicorum, signatur per

inculum. Carbunculus enim se t ad alios lapides sicut aurum ad a metalla, et dicitur aliorum lam virtutem habere; sic caritas lit omnes virtutes, et comple- in se virtutes universas. Carulus etiam est calore igneus, sicarbo vivus nocte magis lucet i die, et circa se noctem quasi em mutat; sic caritas ignis est, igis lucet in nocte adversitatis, i in die prosperitatis, imo etiam em adversitatis et tribulationis, t in diem consolationis. Item, inculus fugat venenum aereum porosum; sic caritas sua benite omnem malitiam infectivam . – Quintum consilium, quod est uetudinis, signatur per amethy-. Amethystus enim est coloris ei, et habet virtutem refrigeatque leniendi, unde operatur a ebrietatem; sic mansuetudo erat calorem iracundiæ, et lenit itum vindictæ; unde et ebrietanentis, qua aliqui rapiuntur exoderamen rationis, ex crapula i, sedat, et hominem tranquilddit. Item, amethystus reprimit s cogitationes, et confert inscis intellectum, sic et mansuetuquia, ut dicit *Ambrosius*, mans homo cordis est medicus; et ista: *Docebit mites vias suas.* tum consilium, quod est misecliæ, signatur per onychinum. inus in colore et magnitudine l similitudinem unguis humani, ngues autem in Scriptura ultioperationes designantur; et consilium misericordiæ extenetiam usque ad ultimum posatis nostræ; imo perfecta mirdia non habet ultimum, et numimpletur, quia si miserearis um potes, plus tamen velle detem, onychinus appositus infirculo, sponte sua, quasi res senintrat sine læsione. et circuit m, et penetrat interius omnes , quousque ejus contrarios hu- prorsus excusserit; sic miseia naturaliter ex seipsa oculum subintrat, et cum pium cor erit, emundat ipsum ab humoribus vitiosis. Unde Dominus: *Date*, inquit, *eleemosynam; et ecce omnia munda sunt vobis*. Onychinus etiam valet contra scabiem, et dealbat faciem; sic misericordia scabiem peccatorum abstergit, et faciem animæ dealbat, quia sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum. Et, ut dicit *Chrysostomus*: « Eleemosyna illustrat animam et eam bonam efficit et decoram. »

7 COMPARATUR JASPIDE SERMONIS SIMPLICITAS, CHRYSOLITHO OCCASIONIS PECCANDI VITATIO, ET BERILLO INTENTIONIS RECTITUDO. — Septimum consilium, quod est simplicitatis verborum, significatur per jaspidem. Jaspis enim bonus est, viridis, translucens, et rubeas habens venas; sic sermo noster debet esse viridis, ut semper aliquid boni germinet, quod est contra vaniloquos; item debet esse transparens, ut in verbis appareat vera intentio cordis, quod est contra dolosos et mendaces; debet etiam habere venas rubeas caritatis erga proximum, ad quem, et de quo est sermo, quod est contra susurratores, contra, detractores, convitiatores et calumniatores. Item, jaspis fugat febrem et hydropisim, et stringit fluxum sanguinis; sic simplicitas verborum fugat febrem iracundiæ: *Responsio enim mollis frangit iram*; curat hydropisim avaritiæ, nam apud mercatores et alios temporalibus lucris inhiantes, verborum simplicitas reputatur fatuitas; stringit etiam fluxum sanguinis, carnalis videlicet concupiscentiæ, quæ ex simulatis colloquiis sæpe excitatur. — Octavum consilium, quod est vitationis occasionis peccati, significatur per chrysolithum. Chrysolithus enim micat ad solem quasi stella aurea, et si ponitur in igne, resilit ab igne; sic cautela occasionis peccandi vitandæ micat in anima, quasi stella aurea, dirigens hominem in factis suis, ad instar stellæ maris, ut sine offensione peccati pertingat ad portum; et per hanc cautelam mox ut homo advertit se esse in periculo, resilit fugiendo a tali opportunitate, quasi ab igne. Item, chrysolithus repellit stultitiam, et confert sapientiam;

sic etiam vitare occasiones pecccandi est magnæ sapientiæ, sicut e contrario quærere opportunitates peccandi magnæ stultitiæ est. — Nonum consilium, quod est rectitudinis intentionis, ac simplicitatis finis, signatur per berillum. Berillus enim est coloris pallidi et transparentis, et illi optimi sunt qui maculas interius non habent; sed bona opera nostra debent esse pallida, scilicet spiritualia et transparentia, ut videantur ab hominibus pro bono exemplo et Dei gloria; et hoc tunc solum est laudabile, quando intentio est pura intus in corde, ita quod nullæ sint maculæ intentionis sinistræ. Item, berillus, si sit rotundus et opponatur soli, ignem accendit in carbone mortuo; sic bonum opus, si sit bene rotundatum, id est ex omni parte debitis circumstantiis coæquatum, et non obliquatum vel distortum a fine debito, et si directe opponatur soli, ita ut tota intentio dirigatur ad lumen, tunc accendit carbones mortuos, id est opera nostra prius per peccata mortificata reviviscere facit; vel etiam, quia ejus ardor accendit proximos mortuos pro peccatis, qui ejus exemplo accenduntur ad pœnitentiam. Item, berillus valet contra squinantiam et glandes; sic rectitudo intentionis valet contra tumefactiones hypocrisis et vanæ gloriationis. Item, berillus valet contra pericula hostium, et reddit hominem invictum; sic, quia hostes nostri dæmones nituntur bona opera nostra vitiare per inanem gloriam, et superbiam spiritualem, semper enim, secundum *Augustinum*, bonis operibus insidiantur ut pereant; contra hoc berillus rectæ intentionis reddet hominem invictum. Item, berillus amorem inter conjuges reconciliat, si aliquando frigescit; et certe bona opera nostra, recta intentione simpliciter in Deum directa, reconciliant animam cum Deo sponso suo.

8 ITEM, COMPARATUR LYNCURIO DOCTRINA CONCIONATORIS, ACHATE HUMILITAS ET SARDIO FRATERNA CORREPTIO. — Decimum consilium, quod est conformitatis operum ad doctrinam, signatur per lyncurium. Lyncurius est lapis qui fit ex urina lyncis; nam, ut *Plinius* dicit, urina hujus animalis in lapidem durescit. Lynci comparatur doctor, vel prædicator, propter acumen visus intellectus, cujus doctrina prius debet esse in seipso digesta, per operationem sibi incorporata; et tunc quasi ex abundantia vitæ suæ stillare in pretiosum liquorem doctrinæ, ad profectum aliorum. Sed ipse prædicator debet prius, id quod purius est, sibi incorporasse; sicut postquam id quod purius est in urina, conversum est in substantiam aliti, tunc liquor urinalis egreditur. Unde, sicut malum signum est in natura, quando liquor urinalis indigestus et crudus emittitur; sic malum indicium est in moribus, quando id quod docetur, prius opere non impletur. Item, lyncurius confert constipatis, ventrem solvit; sic, cum aliqui pleni malis humoribus peccatorum, per confessionem eos egerere nequeunt, sæpe tales ex prædicatione exemplaris viri, cujus vita plus prædicat quam ipsius doctrina, remedium consequuntur. — Undecimum consilium, quod est vitationis sollicitudinis, signatur per lapidem achatem. Achates enim est nigri coloris, cum albis venis intermixtus. In nigro autem colore designatur humilitas, et despectus mundi, quæ sunt in istis, qui a sollicitudine temporalium sunt abstracti; nam ipsi mundum despiciunt, et a mundo despecti sunt. Sed in hac vita non potest esse omni modo abstractio ab omni sollicitudine, sed propter necessitates corporales, parva sollicitudo permittitur etiam perfectis; et hoc significatur per venas albas intermixtas. Item, achates venena fugat, sitim sedat, et visum fovet; sic vitatio sollicitudinis venena mundani contagii fugat, nam omnia ista mundana venenosa sunt, et vix absque contagio animæ tractari possunt; item, sollicitudo temporalium sitim provocat, quia multum attrahit, et avarus non satiatur, sicut qui numquam dicit sufficit; sed ab istis, scilicet veneno et siti, vitatio sollicitudinis per oppositum præservat; quæ etiam fo-

vet visum intellectualem, quia quantominus disgregatur ad temporalia, tanto fortificatur ad spiritualia. — Duodecimum consilium, quod est fraternæ correptionis, significatur per sardium. Sardius est coloris rubei, sed atri, sicut terra rubea; sic fraterna correptio debet esse rubea ex caritate, qua fieri debet, sed quia caritas ista semper est cum dolore et compassione, propter delictum fratris, ideo rubor ille est turbulentus. Item, sardius restringit fluxum sanguinis; sic correptio fraterna restringit fluxibilitatem peccandi, pro quanto per hujusmodi correptionem multi restringuntur a peccando. Item, sardius accendit animum ad gaudium, et acuit ingenium : sic correptio fraterna fratrem bonum et post facto facit gaudentem, acuit etiam ingenium, quia, secundum Apostolum ad Ephesios : *Omnia quæ arguuntur, a lumine manifestantur.*

ORATIO

Domine Jesu Christe, Rex meus, et Deus meus, qui me creasti et redemisti, et insuper ad me regendum non solum præcepta dedisti, sed et consilia addidisti, regnum, quæso, in me constitue, et me rege. Illa bonitas et caritas tua, quæ te coegit ad creandum et redimendum, ipsa cogat ad regendum. Quid enim prodesset quod composuit et refecit bonitas et caritas tua, si non me regat dextera tua ? Rege ergo me, Domine, et regna in me, ut, te rectore, te duce, valeam non solum quæ præcipis, sed et ea quæ consulis, lætus adimplere. Amen.

CAPUT XIII

DE DIFFICULTATE ET IMPOSSIBILITATE INTRANDI DIVITEM IN REGNUM CŒLORUM, ET DE PRÆMIO RELINQUENTIUM OMNIA ET SEQUENTIUM CHRISTUM.

Matthæi cap. XIX.

1 QUAM DIFFICILIS SIT DIVITI INGRESSUS REGNI CŒLORUM PER COMPARATIONEM CAMELI OSTENDITUR.—Videns autem Jesus juvenem, de quo superius, tristem factum ex paupertatis persuasione et abiisse, occasione hujus habentis divitias, ingreditur sermonem de avaro sub divitis nomine; et ut discipulos confirmet in assumpta perfectione, nec eis grave sit quod, relictis omnibus, secuti sunt Christum, ostendit quomodo divitiæ faciunt difficultatem ad perfectionem, et regnum consequendum Ideo eis *dixit : Amen dico vobis : Quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum,* quod scilicet est pauperum. Non dicit impossibile, sed difficile; quia difficile est divitias possidere, et non teneri nimis earum amore. Ut enim dicit *Augustinus* : « Bona terrena diliguntur arctius adepta, quam concupita; aliud est enim nolle incorporare quæ desunt, aliud jam incorporata divellere : illa enim velut extranea jam repudiantur, ista velut membra præscinduntur : » hæc *Augustinus.* Et, ut dicit *Chrysostomus*: « Appositio divitiarum majorem apponit flammam, et vehementior fit cupido. » Ubi ergo difficile ponitur, non impossibilitas prætenditur ; sed raritas demonstratur. Difficile enim divitiæ habitæ contemnuntur, et vix aliquis res seculi sine seculi vitiis assequitur. Hæ enim sunt spinæ et tribuli, qui suffocaverunt semen Dei. Quare

tutum est nec habere, nec amare divitias; quia, ut ait *Beda* : « Qui hic multiplicandis divitiis incumbunt, alterius vitæ gaudia quærere contemnunt.» Unde et *Hieronymus*: «Superflua est cura de rebus corruptibilibus, quæ cum angustia prodeunt, adeptæ parvo tempore subsistunt, subsistentes sollicitudinem ingerunt, recedentes dolorem faciunt, et, quod pejus est, ingressum regni frequenter impediunt. » Deinde quasi impossibile hoc ostendit, et quomodo divitiæ faciunt impossibilitatem ad consequendum perfectionem et regnum cœlorum, dicens : *Et iterum dico vobis* : *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem*, scilicet inordinatas divitias amantem, *intrare in regnum cœlorum*, scilicet portam angustam et arctam. Verbum hoc terribile divitibus, quorum nulla bona sunt in cœlo, sicut pauperum nulla bona in mundo. Unde *Ambrosius* : « Nam ideo nudi accedimus ad lavacrum, ut nudi ad cœli januam properemus. Quam autem incongruum et absurdum est, ut quem nudum mater genuit, nudum suscepit Ecclesia, dives intrare velit in cœlum ! » hæc *Ambrosius*. Ubi attende quod, quando quis vult habere divitias ; et non quidem in eis confidendo, vel finem et spem constituendo, sed tamen utendo eis afficitur, et cum amore, citra Deum eas possidet ; ita quod a perfecto amore Dei et libera sequela Christi aliqualiter impeditur : sic difficile regnum cœlorum ingreditur. Sed, quando quis confidit in divitiis, et in ipsis fidem et spem constituit, ut inde superbiat et lasciviat, retinens eas cupide et inordinate, cum amore supra Deum, nec ad egenos manus extendens : sic impossibile est eum intrare in regnum cœlorum. Unde quod dixit difficile, respectu divitis, primo modo; dicit impossibile, respectu divitis, secundo modo. Quomodo ergo plurimi divites regnum Dei intraverunt, nisi quia, Deo inspirante, pro nihilo divitias habuerunt? Numquid David in divitiis confidebat, qui de seipso canens, ait : *Ego vero egenus et pauper sum?* Alius quoque hortatur, dicens : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Unde *Augustinus*: « Divitem ergo hic appellat cupidum rerum temporalium, et de talibus superbientem ; his divitibus contrarii sunt pauperes spiritu, quorum est regnum cœlorum : » hæc *Augustinus*. Aliud est divitias habere, aliud amare. Multi habent, et non amant; multi non habent, et amant. Item, alii habent, et amant ; alii nec habere, nec amare se gaudent, qui ultimi tutiores sunt, et cum Paulo Apostolo dicere possunt : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* Unde quidam philosophus ait : Licet inter divitias esse pauperem ; nec major est ille, qui sic utitur fictilibus sicut argento, nec minor ille qui sic argento sicut fictilibus utitur. Vel, facilius hic minus significat positivo sui contrarii, id est minus difficile est. Potest enim Deus facere ut transeat camelus per foramen acus, nullo obstante : avarum vero, qui hic nomine divitis intelligitur, ponere in gloriam, etsi potest de potentia, non tamen de justitia, quæ reclamat. Oportet enim avarum amorem opum dimittere, si vult ad vitam intrare. Vel, camelus non potest intrare et transire per foramen acus, nisi dividatur per multas partes minutas ; quod facilius est, quam divitem in divitiis confidentem, et per amorem eis inhærentem, intrare in regnum cœlorum; quia illud est aliquo modo possibile, istud inpossibile. Vel, ut dicitur, quædam porta erat in Jerusalem, quæ dicebatur Acus, per cujus foramen non nisi deposito onere et flexis genibus poterat intrare camelus; sic et nec dives per viam arctam potest intrare in regnum cœlorum, nisi depositis divitiis, vel per abjectionem eas relinquendo, vel saltem per subjectionem eas non amando. Vel, per camelum, cujus unicum et singulare officium est onera portare, hi intelliguntur qui peccatorum pondere prægravantur. Facilius est ergo camelum, id est aliquem valde peccatorem, transire per foramen acus, id est per arctam et angustam viam, quæ ducit ad vitam, quam divitem cupidum intrare in

regnum cœlorum, quia ille facilius a peccatis, quam iste a divitiarum spe separari potest.

2 AVARITIÆ FUGAM SUADET DOMINUS. — Quod autem nomine divitiarum avarum significasset, hinc patet, quia *discipuli*, inopes et pauperes, *his auditis*; et jam hominibus compatientes, affectuque caritatis salutem illorum zelantes, quærunt admirando, *mirabantur* quippe *valde dicentes: Quis ergo poterit salvus esse*, cum pene omnes cupiant divites fieri? Intellexerunt etenim, secundum *Augustinum*, omnes qui divitias cupiunt vel amant, etiamsi non habeant, vel adispici nequeant, in divitum numero deputari; et sic multi sunt divites, et pauci pauperes. Plures enim rebus sunt pauperes, quam divites; et ita plures salvari possent, si de possessoribus opum dixisset. Hoc autem dicebant quia pauci sunt qui divitias non diligant, vel non appetant. *Aspiciens autem Jesus* illos oculo modesto et mansueto, clementia sua severitatem sententiæ temperat, et timidam eorum mentem mitigat, et eos consolans, *dixit illis* : *Apud homines*, quorum scilicet est per se cadere, non per se resurgere, *hoc impossibile est*, ut per se a suis cupiditatibus convertantur, et salventur, quia non possunt ad hoc attingere ex virtute propria, sed solum ex gratia divina : *apud Deum autem omnia possibilia sunt*, qui per gratiam potest affectum a divitiis separare, et hominem a cupiditate terrenorum ad caritatem cœlestium convertere. Unde non est hoc sic intelligendum, quod dives cum sua cupiditate et superbia in regnum Dei sit intraturus; sed possibile est Deo ut a cupiditate et superbia ad caritatem et humilitatem convertatur, et sic intret. Compositam Deus non facit, divisam facit. Ubi *Chrysostomus* : « Neque etiam hoc ideo dicitur ut resupinus jaceas, et sic ab impossibilibus abstineas; sed ut magnitudinem justitiæ considerans, insilias, Deum rogans. » Fugiamus ergo pessimam avaritiam, quæ nos terræ affigit, nosque intrare in regnum cœlorum et salvari non permittit. Unde ait idem *Chrysostomus* : « Quid igitur tota mente avidi divitiis inhiamus, quando quidem nos istæ in cœlum evehere non possunt, Rege cœlorum inclamante nobis atque dicente, quia difficile sit nos cum divitiis divinæ illius inhabitationis intrare vestibulum, si non impendimus omnia? Et quanam hoc, inquis, ratione possibile est? Si scilicet alium, id est cœlestis regni amorem, intra tuum pectus incluseris. Qui enim concupiscit illius regni gloriam, facile irridebit avaritiam. Qui semel Christi servus effectus est, non erit mammonæ famulus, cujus certe e religione fit dominus; itaque solvamus aliquando hos pessimos arctissimosque nodos. Si enim insensibiles materias non vincimus, quemadmodum incorporeas possumus superare Virtutes? Hæc igitur bene intelligentes, fugiamus morbum hunc omnino lethalem, et venenatissimos avaritiæ morsus curemus : » hæc *Chrysostomus*.

3 QUID SIT OMNIA RELINQUERE? — Et quia Dominus dixit juveni, quod omnia relinqueret, si perfectus esse vellet, *tunc Petrus* pro se et aliis Apostolis *respondens, dixit illi* : *Ecce nos reliquimus omnia*, et quia non sufficit tantum relinquere, jungit quod perfectum est, *et secuti sumus te*; sequi enim Christum est fidei dilectione et devotione ipsum imitari. Ille, inquit, dives neque omnia dimittere, neque sequi te voluit, cui etiam quid respondebis audivimus; de nobis autem quid dicis, qui et reliquimus omnia, et omnibus omnino postpositis, secuti sumus te? Fecimus igitur quod jussisti illi : *Quid ergo erit nobis?* Et quid dabis præmii? Adolescenti sua portio maneat, mundus; scire cupio quid sit nostra portio, Deus. Illa enim omnia reliquerat Petrus, de quibus dictum est : *Vanitas vanitatum et omnia vanitas*; illa autem omnia retinuerat, de quibus dictum est : *Deus est omnia in omnibus*. Licet Petrus non omnia, imo valde pauca habuerit, tamen omnia reliquit, quia nihil sibi retinuit; et voluntatem habendi quæ capax omnium volitorum est, dimisit. Nemo enim omnia habere potest,

velle autem potest, quia voluntas etiam impossibilium est. Licet ergo esset pauper in actu, tamen habebat multa in potentia; et quia per paupertatem voluntariam non solum relinquuntur possessa in actu, sed et possibilitas acquirendi et possidendi allia, et ista possibilitas aliquo modo se extendit ad omnia; ideo convenienter Petrus dixit, quod omnia reliquit, quia omnem cupiditatem dimisit. Non autem ad jactantiam, sed veridice et ad nostram instructionem loquitur Petrus, ut det fiduciam pauperibus, ne solos divites qui divitias possunt relinquere, æstiment ad perfectionis gratiam pervenire. Possunt nempe pervenire et pauperes, qui quæ habent, saltem animum et affectum habendi, relinquunt. Majus quidem est habendi voluntatem, quam ipsum habere derelinquere. Nam, ut dicit *Augustinus* : « Multis mortuus est mundus, ipsi tamen vicissim mundo mortui non sunt; bona enim hujus seculi diligunt, et tamen ipsa, quæ diligunt, minime consequuntur. » Item, dicit hoc Petrus, ut divitum superbiam reprimat, ne qui plures divitias reliquerunt, suam humilitatem deserant, et pauperes contemnant, ac ceteris perfectiores se dicant. Non enim qui plura reliquit; sed qui majoris dilectionis affectu relinquendi omnia, Christum consequitur, perfectior est dicendus. Unde putandum, quod Petrus magis confidens de animo et affectu suo, quam de quantitate ipsarum rerum relictarum, fiducialiter et confidenter ait : *Ecce nos reliquimus omnia*. Unde *Origenes* : « Etsi enim minima cum fratre reliquit, sed non minima sunt æstimata apud Deum considerantem; quoniam ex tanta plenitudine dilectionis illa minima reliquerunt, ut etiamsi multas habuissent possessiones, omnes sic reliquissent. » Item, dicit hoc Petrus, non tantum pro se, sed et pro omnibus, interrogans : *Quid ergo erit nobis?* Ut, audito præmio, omnes alliciat ad perfectionem et Christi sequelam. Unde *Bernardus* : « Dixit Simon Petrus ad Jesum : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te*. Hæc nempe sunt verba, quæ et contemptum mundi in universo mundo, et voluntariam persuasere hominibus paupertatem. Hæc sunt quæ monachis claustra replent, deserta anachoretis. Hæc, inquit, sunt verba quæ Ægyptum spoliant, et optima quæque ejus vasa diripiunt. Hic sermo vivus et efficax convertens animas, felici æmulatione sanctitatis et veritatis promissione fideli. Omnia sane dixerim, non tantum possessiones; sed etiam cupiditates, et eas maxime, plus enim mundi concupiscentia, quam substantia nocet. Et hæc fugiendarum causa divitiarum præcipua est, quod aut vix aut numquam sine amore valeant possideri. Limosa siquidem et glutinosa nimis, non modo exterior, verum etiam interior substantia nostra videtur; et facile cor humanum omnibus quæ frequentat adhæret. Age ergo, qui relinquere omnia disponis, te quoque inter relinquenda numerare memento, imo vero maxime et principaliter abnega temetipsum, si deliberas sequi eum, qui propter te exinanivit semetipsum. Pone gravissimam sarcinam, pone illa quinque non hominum plane juga sed boum, quæ tibi insipienter emisti; alioquin sequi Sponsum et venire ad nuptias spirituales, quinaria hac pressus, et oppressus corporis sensualitate non poteris : » hæc *Bernardus*.

4 Relinquentes omnia ad Christum sequendum cum eo judicabunt. — Et respondens Dominus tangit triplex præmium, quod consequuntur relinquentes omnia, et sequentes Christum, et per eamdem viam ambulantes secum. Primum est, quia cum Domino judicabunt. Unde *dixit illi : Amen*, id est fideliter, *dico vobis* quibuscumque fidelibus, *quod vos, qui*, dimissis omnibus terrenis, *secuti estis me*, imitatione vivendi, *in regeneratione*, id est in judicio, tempore regenerationis generis humani Duæ enim sunt regenerationes : prima animarum ex aqua et Spiritu in Baptismo; secunda corporum in generali resurrectione, quæ quidem resurrectio dicitur regeneratio vel secunda gene-

ratio, quia terminatur ad esse acceptum secundario; *cum sederit Filius hominis*, ad judicandum mundum, quia sicut in forma hominis judicatus fuit, ita in forma humana judicabit; *in sede majestatis suæ*, manifestam potentiam ostendendo, qui in primo adventu sedit in sede humilitatis, latendo et majestatem occultando; *sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* In duodecim Apostolis universitas significatur judicantium, scilicet perfectorum, qui propter Evangelium omnia sua dimiserunt, et secuti sunt Dominum; in duodecim tribubus universitas judicandorum, bonorum et malorum. Ubi *Gregorius :* « Felix paupertas voluntaria relinquentium omnia, et sequentium te, Domine Jesu! Felix plane quæ tam securos, imo gloriosos facit, in illo singulari fragore elementorum, in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine judiciorum! » hæc *Gregorius*. Et sciendum quod multiplex est judicium. Est enim judicium principalis auctoritatis, quo judicabit tota Trinitas. Est judicium promulgationis, quo judicabit Christus-homo, sententiam proferens. Est judicium assessoriæ dignitatis, quo judicabunt Sancti et perfecti in loco eminentiori sedentes, sicut assessores Judicis; judicabunt vero non dando vocem, sed assensum, non auctoritate, sed assessoria dignitate Quia enim communem statum justorum transcenderunt vivendo, servantes non solum præcepta quæ sunt necessitatis, sed etiam consilia quæ sunt supererogationis; ideo specialem honorem habebunt in judicio. Unde *Beda :* « Justa prorsus et digna retributio, ut qui pro Christi amore omnem mundi gloriam contempserunt, ei associentur in judicio, ut velut assessores Judici mundanæ conversationis assistant; et qui ab ejus amore nulla in hoc mundo poterant ratione divelli, illuc cum Christo perveniant usque ad fastigium judiciariæ potestatis : » hæc *Beda*. Est etiam judicium comparationis, quo minus mali judicabunt magis malos, ut : *Viri Ninivitæ surgent in judicio, cum generatione ista*, etc. Est autem et judicium approbationis, quo omnes electi, quorum exemplo ceteri damnabuntur, judicabunt, quia sententiam Judicis approbabunt et laudabunt. Est quoque judicium retributionis, quo judicabuntur omnes et boni et mali. Est et judicium dispositionis, quo judicati sunt infideles : *Qui* enim *non credit, jam judicatus est*. Qui ergo nunc vident scabella peccatorum superborum et sedes, tunc erunt judices et sedentes. Quod bene intuens Propheta, aiebat : *Quia illic sederunt sedes in judicio.* Tunc *erunt primi novissimi, et novissimi primi*; quia illi qui sunt hic *primi* in honorem alios judicantes injuste, tunc erunt *novissimi* et inferiores, ac judicio aliorum subjecti; et e contrario qui sunt hic *novissimi* et despecti, tunc erunt *primi* et Judicis assessores. *Et hæc est mutatio dexteræ Excelsi.* Unde sic ait *Bernardus* : « Judicent nunc et præjudicent superbiæ filii cum rege suo, Lucifero sedeant cum eo, qui sibi latera aquilonis elegit, exaltentur et eleventur sicut cedrus Libani, transibimus et ecce non erunt. Opprimant nunc quos possunt, blasphement, et congregent maledicta opprobriaque opprobantium Christo, *quoniam merces vestra copiosa est in cœlis :* » hæc *Bernardus*.

5 Item, centuplum accipient. — Secundum præmium est, quia centuplum recipient in hoc tempore. Unde dicit : *Et omnis qui reliquerit domum*, scilicet propriam, *vel fratres et sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios*, id est propinquos, *aut agros*, id est possessionem terrenam; ubi tangit abdicationis actum quantum ad tria, scilicet : quantum ad propriam dominationem, quæ intelligitur per domum; quantum ad carnalem cognationem, quæ intelligitur per consanguineos sive propinquos; quantum ad temporalem possessionem, quæ intelligitur per agros; et patet ordo, quia difficilius est relinquere propriam dominationem quam cognationem, et cognationem quam possessionem exteriorem; addit, *propter nomen meum*, id est propter me, et amorem meum, seu propter nomen

meum dilatandum, et propter Evangelium, doctrinam meam prædicandam vel observandam, non propter vanitatem mundi, sicut hypocritæ et philosophi, nec propter lucrum, ut ambitiosi sperantes promoveri, *centuplum accipiet*, in hoc tempore. Hoc centuplum spiritualium rerum est, videlicet virtutum et consolationum internarum, quas per experientiam cognoscimus magis quam per doctrinam. Cum enim anima gustat odorem paupertatis, castitatis virorem, patientiæ, ceterarumque virtutum saporem, et in eis delectatur, nonne centuplum tibi recepisse videtur? Et si ulterius ascendat, ut visitationem Sponsi recipiat, ejusque præsentia glorietur, nonne tunc recipit plus quam millecuplum omnium quæ pro eo dimiserat? Unde ait *Bernardus* : « Nemo sanæ mentis ampliorem esse in vitiis credat, quam in virtutibus delectationem. » Et iterum : « An non omnia possidet, cui omnia cooperantur in bonum? An non centuplum habet omnium, qui impletur Spiritu Sancto, qui Christum habet in pectore? Nisi quod longe plus quam centuplum est visitatio Paracliti Spiritus et præsentia Christi. » Et iterum : « Centuplum est adoptio filiorum, primitiæ Spiritus, deliciæ caritatis, gloria conscientiæ, quæ est regnum Dei, quod intra nos est : » hæc *Bernardus*. Vides quomodo verum est quod loquitur Veritas. Non fallit quin centuplum reddat in hoc seculo, et non tantum semel sed pluries et sæpius, animæ sibi devotæ; adeo ut sic afficiat eam, quod non solum id quod reliquit, sed et totum mundum arbitretur ut stercora, ut Sponsum lucrificari possit. Unde *Chrysostomus* : « Et nos itaque si gustaverimus sicut oportet fructus spirituales, de reliquo neque æstimabimus aliquid præsentia esse, veluti quadam optima ebrietate futurorum concupiscentiæ rapti. Gustemus itaque, ut a tumultu præsentium liberati æternis fruamur bonis. » Unde et *Hieronymus* : « Qui ergo propter fidem Christi, et prædicationem Evangelii omnes affectus carnis contempserint, atque divitias, et seculi vanitates; isti centuplum recipient. Sensus iste est : quia qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet, quæ comparatione et merito sui ita erunt quasi parvo numero centenarius numerus, comparetur. » Unde etiam *Augustinus* : « Hoc etiam quod hic dicitur : Centuplum accipiet, exponens quodammodo Apostolus ait : *Quasi nihil habentes et omnia possidentes*. Centum enim pro ip a universitate ponitur. » Unde et *Cyrillus* : « Si domum quis dimittat, recipiet mansiones supernas; si patrem, Patrem habebit cœlestem; si a germanis recesserit, in fratrem hunc recipiet Christus; cum dimiserit conjugem, inveniet divinam sapientiam, a qua procreabit spirituales fructus; pro matre autem, inveniet Jerusalem cœlestem, *quæ est mater nostra* : » hæc *Cyrillus*. Loco etiam paucorum amicorum, recipiet multa, secundum illud Actuum : *Erant illis omnia communia*. Unde in collatione abbatis *Abrahæ* : « Manifestum est enim eum, qui aliquid secularium, vel affectuum vel bonorum, Christo suadente, contempserit, a fratribus atque consortibus propositi sui, qui ei spirituali glutino colligantur, centuplo gratiorem etiam in hac vita recipere caritatem. Centuplum etiam fratrum parentumve recipiet quantitatem, quisquis patris unius vel matris, seu filiorum pro Christi nomine caritate contempta, in omnium qui Christo deserviunt, dilectionem sincerissimam transiit, pro uno scilicet tot incipiens habere patres fratresque, ferventiore atque præstantiore sibi affectione conjunctos. Multiplicata etiam domorum atque agrorum possessione, ditabitur quisquis, una domo pro Christi dilectione rejecta, innumera monasteriorum habitacula, tamquam propria possidebit, in quacumque orbis parte velut in suæ domus jure succedens : » hæc *Abraham*.

6 ET DEMUM VITAM ÆTERNAM POSSIDEBUNT. — Tertium præmium subjungit, cum dicit : *Et vitam æternam possidebit*, scilicet in futuro. Unde *Augustinus* : « Quia multum amant homines

vivere in hac terra, promissa est illis vita; et quia multum timent mori, promissa est illis æterna. Hoc sufficere visum est humanæ infirmitati, ut diceretur, habebis vitam æternam. Amemus vitam æternam, et ex eo noverimus quantum pro vita æterna laborare debemus, cum videamus homines amatores præsentis vitæ temporalis atque finiendæ, sic pro illa laborare, ut, quando venerit mortis metus, quidquid possunt faciunt, non ut auferant, sed ut differant mortem : » hæc *Augustinus*. Felix paupertas quæ recipit centuplum in præsenti, et vitam æternam in futuro, quod magna debet esse Christi pauperibus consolatio ! Unde *Bernardus :* « Centuplum, inquit, accipiet, et vitam æternam possidebit. Illud in via, hoc in patria. Illud consolatio præsentis laboris, hoc futuræ felicitatis consummatio est. Sic nimirum operariis hujus seculi solet cibus in opere, merces in fine dari. Sic militantibus et stipendia ministrantur pro necessitate temporis, et novissimum donativum majus erogatur pro quantitate laboris. Sic est filiis Israel donec terram promissionis intrarent, in deserto manna non defuit; et ab Ecclesia post quæsitum regni cœlestis adventum, quotidianus panis quotidie petitur in oratione, quam ipse Salvator instituit : » hæc *Bernardus*.

7 Quam utilis hujus retributionis consideratio. — Considera ergo bene hanc retributionem, et gaude, et gratias age Deo qui te ad talem adduxit negotiationem, ut hic de uno lucreris centuplum, et nihilominus postea vitam æternam. Et in hunc paradisum sæpe ingredere, quod consequi poteris ex studio orationis et humilitate. Quid igitur est insaniæ, quod homines simpla pro centuplis, et pro vita æterna cunctantur relinquere ? Cum itaque Sancti terrena omnia ut aurum et argentum abjecerint, cur eorum reliquias populo causa quæstus ostendendo, cogimus eos illa mendicare quæ hic spreverunt ? Unde, ubi nos latine habemus Sanctum, in Græco habemus Ἅγιος, quod sonat sine terra, quia Sancti non terrenis dediti sunt, nec in terra, sed in cœlis conversationem habebant. Et ideo ad pedes Apostolorum aurum et argentum ponebatur ex præcepto eorum, ut sic docerent esse contemnenda. Imitemur ergo discipulos Domini, relinquendo divitias ac gloriam, et omnia quæ sunt mundi, quia sic præcipue ipsi effecti sunt magni. Unde ait *Chrysostomus* : « Quid est quod magnos Apostolos ostendit ? Pecuniarum contemptus, et gloriæ despectio, ab omnibusque vitæ hujus negotiis ereptio. Quia, si non hæc habuissent, sed servi passionum essent, etsi decem mille mortuos suscitassent, non solum nulli profecissent, sed et seductores utique æstimati essent. Ita vita est quæ ubique fulget, et spiritus attrahit gratiam ; signa vero, si non vigilaverimus, obsunt multoties. Hæc igitur, quibus facti sunt Apostoli magni, zelemur ; et ab universis desistentes vitæ hujus negotiis, apponamus nosmetipsos Christo, ut Apostolorum consortes effici mereamur : » hæc *Chrysostomus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, da mihi, misero et indigno, quod propter te et amorem tuum, ac propter nomen tuum glorificandum, divitias, ac delicias, ac pompas, et omnia quæ mundi sunt, nec non et meipsum inter omnia valeam relinquere, omnibusque exclusis, tibi soli adhærere ; et pro modulo meo te sequi qualicumque imitatione vivendi, ut, te rectore, te duce, laqueos et insidias omnium inimicorum meorum visibilium et invisibilium merear evadere, ac præmia, quæ relinquentibus omnia et te sequentibus promisisti, misericorditer obtinere. Amen.

CAPUT XIV

DE DENARIO DIURNO.

Matthæi cap. XIX, et XX.

1 Quomodo primi erunt novissimi et vicissim. — Et quia non sufficit prædicta relinquere, si homo corpore deficiat, et non perseveret, ideo ne quis torpeat cum bene cœperit, infert Dominus et dicit : *Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.* Multi enim ascendunt et descendunt de statu in statum meliorem, et pejorem ; multi, prius fervidi, postea torpent ; multi, prius frigidi, subito inardescunt ; sunt enim multi qui opera perfectionis bene et frequenter præ multis inchoant, sed torpentes in progressu, a divino amore tepescunt, et in bonis operibus segnes fiunt, et ab eis deficiunt, vel in vitia funditus labuntur et cadunt ; et e converso, aliqui tarde vel tepide inchoantes, ita fervide et bene operantur, quod meritis præcedunt illos, qui eos præcedere videbantur. Et sic, qui primi fuerunt inchoando, fiunt novissimi, vel nulli in perseverando ; vel qui fuerunt in primo et excellenti statu, erunt in novissimo. Vide Judam de Apostolo in apostatam versum, et latronem in cruce confessorem factum. Vide simile de Judæis et Gentibus, quia Judæi primi fuerunt vocatione, et novissimi facti sunt conversione ; et Gentiles, e converso. Sic et novissimi per humilitatem fiunt primi per gloriam ; et primi per superbiam fiunt novissimi per abjectionem finalem. Multi enim in seculo despecti in futuro sunt glorificandi ; et multi apud homines gloriosi in fine sunt damnandi.

2 Parabola denarii diurni, in qua sex consideranda. — Deinde, hanc sententiam confirmat per similitudinem, proponens parabolam, in qua docet nos fugere otium, et invitat ad laborem. Quæ parabola specialiter pertinebat ad discipulos : quia continue laborare in agro Dominico præcipue pertinet ad prælatos. Ut autem facilius appareat, quid in parabola lateat, attendenda sunt sex. — Primo, quia homo paterfamilias est Deus Pater, qui homo dicitur, non proprietate substantiæ, sed pietatis affectu ; dicitur enim homo, quia est humanus, id est benignus, mansuetus et misericors circa homines ; et dicitur paterfamilias, per creationem et providentiam, qui ita gubernat omnia, sicut paterfamilias subditos in domo sua ; de cujus familia est omnis creatura. — Secundo, quia operarii sunt prædicatores et etiam omnes recte viventes ; sed multi hodie tantum verbarii, non operarii sunt, qui *dicunt, et non faciunt.* — Tertio, quia denarius est vita æterna operariis Domini promissa. — Quarto, quia vinea allegorice est, secundum *Gregorium*, Ecclesia ; moraliter, anima, secundum *Basilium* ; justitia generalis, secundum *Chrysostomum.* — Quinto, quia horæ sunt ætates mundi, vel ætates hominis. — Sexto, quia procurator vineæ est Christus secundum quod homo ; in quantum autem Deus, est paterfamilias cum Patre : quia unum cum Patre.

3 Prima egressio patrisfamilias et conventio denarii diurni. — Dicit ergo : *Simile est regnum cœlorum*, id est præsens Ecclesia vel justorum vita, *homini patrifamilias*, id est Deo universæ creaturæ, et fit hic comparatio non tam personæ ad personam, quam negotii ad negotium. Et est sensus : negotium quod fit in Ecclesia

præsenti, similari potest negotio quod ab homine patrefamilias quandoque fit, *qui exiit* per sui manifestationem, et suæ bonitatis diffusionem: ut enim dicit *Gregorius*, quando non cognoscitur, in secreto est; quando vero cognoscitur, de occulto procedit ad notitiam; eo ergo frequentius exiit, quo amplius notitiam dedit. *Exiit* ergo *primo mane*, id est in prima mundi ætate, scilicet ab Adam usque ad Noe, *conducere operarios*, id est justos ei servientes, nomen suum aliis manifestantes, *in vineam suam*, id est in Ecclesiam militantem, cujus palmites sunt justi a primo Abel usque ad ultimum electum. Vel, secundum *Chrysostomum*, conducere operarios in vineam suam, id est acquirere recte viventes in operibus justitiæ : et sic justitia est vinea, et palmites sunt virtutes. Vel, secundum *Basilium*, per vineam anima sive conscientia significatur, in qua laborandum est, ut amputemus palmites luxuriantes carnalis concupiscentiæ; projiciamus lapides superbiæ, et exstirpemus spinas avaritiæ. Per vineam etiam intelligere possumus pœnitentiam, in qua, per diversas horas, operarii conducuntur, dum alii in pueritia, alii in juventute, alii in senectute convertuntur. Ergo *paterfamilias*, per dominationem; *exiit*, per manifestationem; *conducere*, per multiplicem invitationem; *operarios*, non tantum locutores, quia melior est prædicatio facti, quam verbi ; *in vineam suam*, per bonorum meritorum multiplicationem. Sic Adam primo positus est in paradiso, sed quia non coluit, est ejectus; sic populus Judaicus, in speciali cultu divino positus, est ejectus; sic et nos positi sumus, et si neglexerimus, similiter projiciemur. Ruina præcedentium admonitio debet esse sequentium. *Conventione autem facta, cum operariis, ex denario diurno*; ista conventio vitæ æternæ pro labore promissio est, quæ quidem vita æterna dicitur denarius.—Primo, ratione nominis, denarius enim a decem dicitur, ex eo quod olim decem nummos usuales valebat; in quo significatur pretium pro usu et observantia Decalogi promissum; et ideo illa vita denarius dicitur, quia pro Decalogi observatione datur. — Secundo, ratione figuræ, quia in denario est figura sphærica et rotunda, ubi non est invenire principium et finem; in quo significatur vitæ æternitas, et plena æternitatis possessio. — Tertio, ratione imaginis, in denario enim imago regis est scripta; in quo animæ ad Deum notatur conformitas plena, imago enim Dei in Beatos imprimitur per assimilationem ad Deum, et transformationem in ipsum.—Quarto, ratione scripturæ ; in quo notatur plena scientia et cognitio veritatis, quæ ibi erit in Beatis. Et vocatur iste denarius diurnus, tum quia tota vita hominis, tota etiam vita præsens reputatur quasi una dies, in qua numquam a bono opere est desistendum; tum quia non nisi operanti in die gratiæ, et non in nocte culpæ redditur; tum quia in die gloriæ primo dabitur. *Et misit eos in vineam suam*, quasi ab initio misit ad vocandum homines ad fidem Redemptoris, et invitavit ad vivendum juste, et bene operandum.

4 Aliæ patrisfamilias egressiones, usque ad horam undecimam. — *Et egressus*, per majorem manifestationem *circa horam tertiam*, scilicet a tempore Noe usque ad Abraham, *vidit* per miserationem *alios stantes in foro otiosos, et dixit illis : Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis*; sic etiam istis ad vineam invitatis mercedem promittens. Secundum *Chrysostomum*, per forum mundus accipitur, in quo calumniæ, injuriæ, contentiones, diversorum negotiorum difficultates semper tumultuosæ, et omnia venalia sunt. In isto foro, animæ hominum venales exponuntur. Mercatores duo sunt : Deus et diabolus. Quidam sic cæci sunt, ut vendant propriam animam diabolo pro vili pretio, quia pro modica præsentis vitæ delectatione, ut gulosi et luxuriosi; quidam pro honoribus et gloria mundi, ut superbi et vane gloriosi; quidam pro divitiis et bonis temporalibus, ut raptores et avari. Talem mercatorem fugiamus et vendamus animas nostras Christo,

qui nos emit sanguine suo pretioso. Otiositas est debiti operis defectus. Unde, secundum eumdem *Chrysostomum*, peccatores mortui sunt, non otiosi. Qui ergo diabolo servit, mortuus est; qui opus Dei non operatur, otiosus est. Qui aliena tollit, mortuus est; qui sua non dat, otiosus est. Coluisti misericordiæ vitam, si de tuis des; jejunii, si quod manducaturus fueras dederis impotenti; si jejunas, et si nemini das, otiosus es; et sic de aliis. *Illi autem abierunt*, scilicet in vineam patrisfamilias. *Iterum autem exiit*, per ampliorem manifestationem *circa sextam*, scilicet ab Abraham usque ad Moysen, *et* circa *nonam horam*, scilicet a Moyse usque ad Christum; *et fecit similiter* invitando, et mercedem promittendo. *Circa undecimam vero*, id est in ultimis temporibus, scilicet a tempore Christi usque ad finem mundi, *exiit* per clariorem manifestationem, cum Christus apparuit : *et invenit alios stantes*, non proficientes, non se humiliantes, scilicet Gentiles, *et dicit illis : Quid hic* in loco tam periculoso, tam transitorio, tam fœtido *statis*, cum potius ire deberitis, quia vita brevis, via longa, virtus debilis, *tota die*, cum habeatis temporis opportunitatem, mercedis securitatem et immensitatem, *otiosi*, vobis nihil proficientes, proximis non subvenientes, hostibus non resistentes, et in posterum non providentes, cum *multam malitiam docuit otiositas?* Quasi dicat Dominus otiosis : Cur tanto tempore pro salute vestra negligitis laborare? *Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit*, id est nullus Propheta, nullus doctor ad nos instruendum venit. *Dicit illis* : *Ite et vos*, scilicet Gentiles, *in vineam meam*, mente credendo, ore confitendo, opere laborando : quia, secundum *Chrysostomum*, qui non operatur in hoc seculo, non manducat in futuro; imo dies iste est dies operationum, dies qui sequitur est dies feriarum. Et interponitur hic conjunctio copulativa, scilicet *et*, quia Gentiles Judæis adjuncti sunt, ut una Ecclesia ex ambobus fieret.

5 Moraliter horæ diei sunt diversæ hominis ætates. — Ista parabola principaliter et communiter exponitur, secundum diversas mundi ætates, ut jam visum est supra. Moraliter autem, potest exponi de vocatis ad gratiam, secundum diversas ætates hominum, et sic : in mane seu in prima hora, intelligitur pueritia; in tertia, adolescentia; in sexta, juventus, seu virilis ætas; in nona, senectus; in undecima, senium, seu decrepita ætas. In quibus, qui in bonis operibus laborare negligit, tota die id est tota vita, otiosus stat. Ergo quolibet tempore, qualibet ætate, vocat Deus homines ad gratiam et gloriam, quia semper aliqui ad vitam bonam perducuntur, et a Domino præmiantur; si enim vera, numquam sera erit pœnitentia. Nota hic verbum cujusdam hominis sibiipsi opponentis et dicentis . Jam es in hora nona, quid igitur otiaris? Nunc es in undecima, quid igitur stas? Quam aliam exspectas? Sed ne in undecima homo denegabitur servitute tua. Secundum *Isidorum*, sex sunt ætates hominis : prima ætas est infantia, et protenditur in septem annos; secunda est pueritia, tendens usque ad quartum decimum annum; tertia est adolescentia, quæ protenditur usque ad vicesimum octavum annum; quarta est juventus, finiens in quinquagesimo anno; quinta, seniorís, id est gravitas, quæ est declinatio juventutis in senectutem, nondum senectus, sed jam non juventus, quæ ætas a quinquagesimo anno incipiens in septuagesimo terminatur; sexta est senectus, quæ nullo annorum tempore determinato finitur, sed post illas quinque ætates, quantumcumque vitæ est, senectuti deputatur; senium autem est pars ultima senectutis, sic dicta quod sit terminus sextæ ætatis. Septima vero est in quiete animarum, usque ad diem judicii; et tunc in resurrectione erit octava ætas.

6 Mercedis retributio operariis sero facta. — *Cum sero autem factum esset*, id est, cum, finito opere, finis mundi, vel vitæ hujus advenit, ubi, secundum *Chrysostomum*, considera quod non mane, imo sero reddit mercedem, quia solum remunerat

perseverantem operarium et fidelem, *dicit Dominus vineæ*, id est Deus Pater qui Dominus est, *procuratori suo*, scilicet Christo, *Pater* enim *omnia dedit in manu ejus : .... Voca operarios*, et non otiosos, ante tribunal, *et redde illis mercedem*, scilicet æternam; voca, inquam, eos de labore ad requiem, de mœrore ad jucunditatem, de bello ad pacem, *incipiens a novissimis usque ad primos*. Denarius datur primo novissimis; quia, secundum *Augustinum*, licet detur omnibus simul, illi tamen qui post unam horam, vel paucas ipsum recipiunt, dicuntur prius recipere quam illi qui post multas horas exspectaverant, et postea receperunt. Et, secundum *Chrysostomum*, justitia fuit omnibus reddere; sed novissimis primo, hoc non fuit justitiæ contrarium, sed misericordiæ ostensivum; dum tamen aliis reddatur. Unde, secundum eumdem, ut ostendat Deus inæstimabilem misericordiam suam, primum novissimis reddit mercedem, postea primis ; nimia enim misericordia ordinem non aspexit. Domini ergo misericordia, quæ in suis donis plus aspicit cor, et præfert operi, et tempori, supplet in nobis damna ipsius operis et temporis. Unde *Bernardus* : « Exaggera quantum vis merita, et extolle sudores : *Melior est misericordia Domini super vitas* ; ex ea sane operis et temporis damna mihi resarcio. » Et sic ex præcepto patrisfamilias acceperunt novissimi, et similiter primi singulos denarios, id est singula præmia juxta conventionem, scilicet æternitatem, seu vitam æternam. Secundum *Augustinum*, iste unus denarius, qui omnibus datur, est una vita æterna, quæ ab omnibus percipietur, quæ æqualis erit omnibus ; nulli longior, nulli brevior, quia in eo non vivit unus alio minus, seu prolixius; meritorum tamen diversitate fulgebunt, alii majus, alii minus. Hic ergo denarius unus est in se, multiplex propter differentiam accipientium : quia ibi erunt multæ diversitates meritorum.

7 Murmuratio operariorum qui primi vocati fuerant. — *Et accipientes* primi denarium *murmurabant adversus patremfamilias, dicentes : Hi novissimi*, scilicet Gentiles, vel martyres, vel in bonis ferventes, *una hora fecerunt*, quia modico tempore labores sustinuerunt, devotio enim voluntatis temporis spatium breviavit, cum merito Passionis Christi ; *et pares illos nobis fecisti*, scilicet in præmio, *qui portavimus pondus diei et æstus*. Pondus diei significat opus justitiæ ; æstus vero, calorem tentationum, quas conflant malignitas dæmonum, cupiditas temporalium, delectationes motuum carnalium. Portavimus ergo pondus, quia justitiam servavimus, et non succubuimus. Potest dici, quod ista murmuratio erit admiratio de tanta Dei bonitate in Sanctorum remuneratione. Ubi notandum quod duplex est murmur, scilicet : conquestionis, et admirationis. Nunc vero Sancti non murmurant tamquam de aliorum gloria conquerentes, sed quia vident quod Deus tam copiose remunerat tarde venientes, quam sibi longo tempore servientes. Quasi murmurare dicuntur, Dei super hoc liberalitatem et misericordiam admirantes, quia illi novissimi, quasi pro nihilo et sine labore, vitam æternam videntur acquirere. Unde et Petrus murmurare potuit, quod latro citius ipso ad regnum pervenit. Ubi sciendum, quod ista retributio justa est, quantum ad præcedentes, quia datur eis pretium conventum ; et misericordia quantum ad sequentes, quia pro modico labore æqualem prioribus accipiunt mercedem. Non igitur injuste agitur cum primis; sed misericorditer dispensatur cum ultimis. Munerat enim primos per justitiam, extremos secundum sui bonitatem. Et æquale accipiunt præmium ; ut ostendatur, secundum Apostolum, quod non ex operibus salvati sumus. Itaque non quotitatem nec quantitatem operum vel laborum, sed potius cor et caritatem attendit Dominus in remunerando; quia non considerat quantum, vel quamdiu, operatus fueris, sed ex quanto. Hinc etiam colligitur quod sera pœnitentia, si fuerit vera, nec tollit gratiam, nec diminuit.

Et licet postremi æqualiter remunerentur cum primis, non tamen stulte differas converti, vel bene operari, usque ad undecimam horam et ultimum temporis; ne tunc nimis oneratus peccatis, habens cor impœnitens, exonerari non possis, vel si pœnitens ad multam pro peccatis satisfactionem tenearis. Si tamen usque ad undecimam distulisti bene vivere; nec tunc desidiæ, sed magis quam prius exercitationi animæ intende. Unde *Tullius* : « Senibus labores corporis minuendi, exercitationes animæ augendæ videntur; et ita nihil magis cavendum est senectuti, quam ne languori desidiæque succumbat. » Moraliter, isti murmurantes figuram tenent quorumdam claustralium, qui eo quod diutius fuerunt in claustro murmurant, si eis præponantur juniores, vel parificentur. Unde docentur hic seniores claustrales non debere murmurare, si videant aliquos juniores eis æquari, vel etiam in officiis præferri, et plus honorari. Item, datur hic documentum quod religiosi non debent facere comparationes sui ad alios, quasi ipsi plus serviant Deo quam seculares; quia sæpe videmus quod quidam secularium æquantur meritis quorumdam religiosorum, vel etiam, eos excedunt per meritum.

8 Responsio patrisfamilias et conclusio parabolæ. — *At ille respondens uni eorum dixit*, quod autem uni dixit, omnibus dixit; vel uni, quia una et æqualis erat omnibus occasio murmurandi : *Amice, non facio tibi injuriam,* quia injuria non habet locum ubi est mera gratia; et ideo si facit et dat gratiam uni, non facit injuriam alteri. *Nonne ex denario,* et pro mercede, *convenisti mecum* a principio? *Tolle quod tuum est,* quasi diceret : Paratus sum tibi reddere mercedem tuam; *et vade,* id est : *intra in gaudium Domini tui .... An non licet mihi quod volo facere?* Quasi diceret : Sic, quia voluntas Dei nullo modo distorta esse potest, unde signanter dicit : *Quod volo*. Quia enim Deus vult, ideo licitum; nos quia licitum, ideo volumus. Et ut non solum licita, sed etiam benignitate plena ostendatur voluntas divina, addit : *An oculus tuus,* id est consideratio tua, *nequam est* et inæqualis, *quia ego bonus sum*, scilicet ex natura bonitatis meæ abundanter communicans? Unde dicit : nequam, non propter culpam, sed propter considerationis inæqualitatem; quia illa admiratio procedit ex comparatione divinæ justitiæ magis quam ejus misericordiæ infinitæ. Ubi *Gregorius* : « Stulta est quæstio hominis, contra Dei bonitatem. Conquerendum quidem esset, si non daret quod deberet; non si dat quod debet. » Unde et *Chrysostomus* : « De ejus dato nemo juste murmurat, qui amplius dat quam homo desiderat. » Ultimo concludens parabolam, dicit : *Sic*, scilicet, ut ostensum est, *erunt novissimi primi, et primi novissimi;* ut nulla sit differentia, temporis causa. Sæpe enim illi, qui ad pœnitentiam tarde veniunt, citius remunerantur quam illi, qui tempestive veniunt, quia citius de corpore exeunt; vel, sæpe illi qui tarde ad pœnitentiam veniunt, tempore præcedunt alios in fervore, sicut in itinere consuevit, ut qui tardius exierunt, velocitate moram compensent; vel, illi qui sunt novissimi in oculis suis sunt primi in oculis Dei; vel, illi qui novissimi judicio hominum sunt, sæpe sunt primi judicio Dei, quia Deus non considerat exteriora hominis, sed interiora cordis. Quamvis autem audieris in parabola omnes accepisse singulos denarios; non tamen putes omnes ad fidem vocatos vitam æternam accepturos.

9 Pauci salvandi. — Unde additur sententia valde metuenda : *Multi enim* de primis, de tertiis, sextis, nonis, et novissimis *sunt vocati,* scilicet ad fidem et meritum; sed de his omnibus *pauci vero* sunt *electi,* ad beatitudinis præmium et regnum. Multi sunt de Ecclesia militante, qui non erunt in Ecclesia triumphante. In quo paucos ostendit esse eos qui salvantur, ad comparationem eorum qui per singulas horas vocantur, quia, secundum *Gregorium*, ad fidem plures veniunt, plures Ecclesiæ parietes implent; sed ad cœleste regnum pauci

ıtur. Hoc figuratur de filiis uorum multi ad terram pro- ; fuerunt vocati; sed pauci ıdum fuerunt electi. Et simi- Gedeone, qui plures ad bel- vocavit, sed paucos elegit nm duxit; quia *lata porta, et via est, quæ ducit ad perdi- t multi sunt qui intrant per ım angusta porta, et arcta via ducit ad vitam, et pauci sunt niunt eam!* Dupliciter autem s Deus : in præsenti ad la- in futuro ad requiem. Unde est ut quicumque futuram ationem desiderat, præsen- refugiat laborem ; quia illi, Deo fideliter suscipiunt labo- citer pervenient ad remune- :, quando audient Dominum ı: *Venite ad me omnes qui la- onerati estis, et ego reficiam* ınto majorem remuneratio- ipient, quanto majorem la- istinent, quia, teste Aposto- *quisque propriam mercedem,* n laborem suum, *accipiet.* go, quia vocati sumus, novi- um vero electi, adhuc igno- Et ideo tanto sollicitiores emus in bono opere, quanto biles nos esse scimus de vo- Unde *Gregorius* : « Duo ergo e sollicite pensare debemus : est, ut de se quisque minime .t, quia etsi jam ad fidem ıit, utrum perenni regno di- nescit; secundum vero est, uisque proximum, quem ja- asse in vitiis conspicit, de- ıon audeat, quia divinæ mi- æ divitias ignorat. Quid enim ;, aspicimus; sed quid cras sit unusquisque, nescimus. ue, et qui post nos venire per agilitatem boni operis cedit; et vix eum cras se- quem hodie præire videba- Inde et *Chrysostomus* : « Hæc . posita est, ut qui tarde con- r non desperent. sed avidio- t; quoniam in hac vita non ra pœnitentia, quin si corde perfecto fiat, possit tanto fervore procedere, ut mereatur multis prioribus non sic ferventibus in præmio anteferri : » hæc *Chrysostomus.* Nullus ergo desperationi, nullus locus restat excusationi, siquidem in omni ætate et in omni hora peccator suscipitur : *Peccator* enim *quacumque hora conversus fuerit et ingemuerit, vita vivet, et non morietur.* Et, quia incerta est in omnibus ætatibus, cuilibet hora vocationis suæ, paratus unusquisque debet esse in bona operatione, ut sicut incertus est exitus, sic certus sit in bono opere animus; ne forte si quando potest, non vult bonum operari, tunc incipiat velle quando non erit posse. Debemus ergo omni die sic vivere, tamquam illa die morituri simus; ut sic residuum temporis nostri possimus exspectare securi. Unde ait *Seneca* : « Sic ordinandus est dies omnis, tamquam cogat agonem atque expleat vitam. Ille beatissimus et securus sui possessor est, qui crastinum sine sollicitudine exspectat. Inter cetera mala, hoc habet stultitia proprium, quod semper incipit vivere. Quid est turpius, quam senex vivere incipiens? Considera quam pulchra res sit consummare vitam ante mortem, deinde exspectare secure reliquam sui temporis partem. Nullus enim vitam in crastinum spectat. Non enim vivunt, sed victuri omnia differunt : » hæc *Seneca.* Multum quippe juvat ad vincendam delectationem peccati, recordatio mortis et finis nostri. Unde Sapiens : *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Unde et *Gregorius* : « Nil tantum ad domandum desideriorum carnalium appetitum valet, quantum ut unusquisque mortem penset. » Unde etiam *Bernardus* : « Saluberrimum est remedium redeundi ad Dominum, habere præ oculis mortem. » Multum etiam juvat nos desides et pigros, Jesum et studiosos aspicere, si volumus non desides fieri et pigritari, sed fervere potius et proficere; inde enim exempla et bona multa poterimus reportare.

ORATIO

Domine Jesu Christe, summe paterfamilias, tu me primo mane in vineam tuam conduxisti, dum me a juventute mea ad fidem et tuum servitium misericorditer vocasti, et ad laborandum pro denario vitæ æternæ mecum convenisti; sed ego, miser, tota die vitæ meæ otiosus steti, et negligenter vivendo debitum meum non feci. Domine, quia bonus es et misericors, fac me saltem in undecima hora resipiscere, et dignos fructus pœnitentiæ facere, ut apud te mercedem quantulamcumque merear invenire. Amen.

CAPUT XV

DE VILLICO INIQUITATIS.

Lucæ cap. XVI.

1 Villicus quis dicitur, et de triplici villa nobis commissa. — Deinde ponit Dominus parabolam, secundum rem gestam, de villico iniquitatis, diffamato apud dominum suum ex dissipatione bonorum suorum; quia ea inutiliter in illicitis consumpserat et superfluis, non timens offendere dominum suum. Quæ parabola, sicut et prædicta, specialiter pertinebat ad discipulos; quia officium villicationis, et periculum reddendæ rationis maxime pertinet ad prælatos. Est enim villicus proprie gubernator et custos villæ; sed hic accipitur pro œconomo, id est curatore et dispensatore, qui scilicet universam substantiam domus dispensat. Œconomus enim tam pecuniæ, quam frugum et omnium, quæ dominus possidet dispensatorem designat. Hic timens amoveri ab officio, et egere, clam fecit misericordiam cum debitoribus domini sui, ut cum amoveretur, reciperent eum in domos suas, memores sui beneficii. *Et* ideo dicebat ad *discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum;* et infra in fine applicat parabolam ad propositum suum, dicens: *Et ego vobis dico,* etc Similiter enim homo quidam, id est ipse Deus pro nobis humanatus, dives, quia *gloria et divitiæ in domo ejus,* habebat villicum, id est dispensatorem, cui tradidit bona ad dispensandum. Hujus ergo Domini, id est Christi, triplex est villicus, scilicet: in spiritualibus, prælatus; in temporalibus princeps terrenus; in utrisque, quilibet Christianus. Quilibet enim homo est villicus Dei, cui triplex villa commissa est gubernanda, qui fructus cujuslibet villæ prudenter debet dispensare. Prima villa est mundus iste, cujus fructus sunt bona temporalia, quæ quilibet custodire debet, ne mali rapiant, et ut sibi commissa servis Domini sui distribuat. Secunda villa est corpus proprium, quod est custodiendum, ne quando ingrediatur mors ad animam per portas sensuum; bona etiam ipsius corporis, ut sanitas et fortitudo, etc., ad Dei servitium et honorem sunt dispensanda. Tertia villa est anima, quæ a pravis cogitationibus est custodienda, cujus omnes virtutes debent distribui ad cognitionem et honorem et amorem Dei.

2 Tria verba Christi rationem pretentis valde, et sæpe pensanda. — *Et hic,* scilicet triplex prædictus villicus, *diffamatus est apud illum,* scilicet Deum, quia nihil latet eum, *quasi dissipasset bona ipsius,* male eis utendo, scilicet res temporales in illicitis et superfluis expendendo,

corpus suum voluptatibus dando, animam immundis cogitationibus implendo. Et bene dicit : *Ipsius*, quia bona nostra, Dei sunt auctoritate; sed nostra sunt, utilitate. Fit autem hic diffamatio vel accusatio remorsu conscientiarum, vel evidentia operum, vel per Angelos qui nobis ministrant, et omnia opera nostra Deo renuntiant. *Et vocavit illum*, scilicet inspirationibus interioribus, prædicationibus exterioribus, evidentibus beneficiis, multiplicibus flagellis, et incutiendo timorem æternæ damnationis; *et ait illi*, eum ante mortem corripiendo, et monendo : *Quid hoc audio de te*, bonorum dispensatore? *Redde rationem villicationis tuæ*, et, dum vivis, cogita qualiter debes operari; oportet enim reddere rationem, aut in vita, aut post mortem; *jam enim* ultra, id est a tempore mortis tuæ *non poteris villicare*, nec quidquam boni agere. Tunc enim non poterit quis Deo satisfacere de rebus per eleemosynas, nec de corpore per jejunia, nec de anima per orationes. Tria verba dicit hic Christus peccatori, magnæ angustiæ et anxietatis, quæ si continue insonarent auribus nostris, nullo modo peccaremus. — Primum est rigidæ reprehensionis , cum dicitur : *Quid hoc audio de te*, sic ditato gratiarum muneribus, sic prævento benedictionibus, dissipatore rerum mearum tibi commissarum? *Quid hoc audio?* clamorem de terra resonantem tam horribilia scelera, tam antiqua vitia; qui tanta bona dissipasti, qui temporalia male expendisti, corpus inquinasti, et animam peccatis inveterasti. — Secundum verbum est anxii timoris, cum subditur : *Redde rationem villicationis tuæ*. O verbum strictum ! O verbum anxium! O verbum durum discussionis districtæ tunc faciendæ, quando exigetur a nobis ratio de occultis cordium cogitationibus, de otiosis sermonibus, et de nostris operibus! Tunc aperti erunt libri cœlestes, tunc apertus erit liber conscientiæ, in quo leget memoria quidquid homo cogitavit, dixit, et fecit; tunc examinabuntur omnia, et tunc discutietur de tota vita nostra. — Tertium verbum est amari doloris, cum additur : *Jam non poteris villicare*. In futura enim vita tollitur omnis villicatio hominum; ita ut ulterius nec bene, nec male possint operari. Magnus igitur est dolor animæ, quando proximante hora mortis, audit sibi dici, quod ulterius non possit villicare. Puto quod totum mundum daret, ut sibi concederetur spatium unius horæ, quo pœniteret, et aliquid boni ageret; sed non datur, quia tempus illud est reddendæ rationis, non exercendæ villicationis. Audiamus ergo hæc verba tria severi Judicis, et ante judicium placemus eum, ut non pereamus in æternum.

3 Anxietas villici fodere nescientis et mendicare erubescentis. — Villicus autem timens de vocatione in morte vel in judicio, et reddenda ratione, *ait intra se*, in sua cogitatione; intra se loquitur, qui nullum amicum invenit, cum quo consiliari possit : *Quid faciam, quia Dominus aufert a me villicationem?* id est omnium villarum prædictarum custodiam, scilicet, tam rerum quam corporis et animæ ; et hoc erit in morte. Sæpe etenim contingit, quod tales timore mortis ducuntur ad pœnitentiam, et cogitandum de vita futura. Sic semper cogitare debet peccator secundum Job : *Quid faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus? Et cum quæsierit, quid respondebo illi?* Non ait, quid dicam ; sed, *quid faciam*, quia apud districtum Judicem non excusant verba suasoria, sed facta meritoria. *Fodere*, per pœnitentiam, *non valeo*, id est proprio labore et pœnitentia non possum de peccatis satisfacere, et ad vitam beatam venire; *mendicare*, per orationem, *erubesco*, quia verecundum debet esse hujus mundi divitibus petere suffragia spiritualia, et non rependere in temporalibus. In alia autem vita, anima non potest operari opera quibus adjuvetur ad gloriam. Unde *Chrysostomus* : « Vita præsens habet exercitium mandatorum, futura vero solatium. Si nihil operatus es hic, frustra in futuro speras. » Item, nec bona ipsa

potest ab aliis mendicando impetrare, quia non dabitur ei. Hujus signum sunt virgines fatuæ, quæ petentes oleum a prudentibus sunt expulsæ; sed nec dives epulo mendicans guttam aquæ meruit recipere. *Scio quid faciam*, quia scilicet antequam tollar per sententiam mortis a villicatione, debita relaxabo debitoribus domini mei, et distribuam eis de facultatibus ipsius ; *ut cum amotus fuero a villicatione*, scilicet per mortem, *recipiant me in domos suas*, id est per eorum merita et suffragia recipiar in vita beata, ne cogar fodere, aut mendicare frustra ; et in domos pluraliter, propter diversitatem præmiorum : quia ibi *mansiones multæ sunt*. In has domos nullus potest ingredi, nisi per ostium misericordiæ, vel spiritualis, vel corporalis ; in cujus signum Salomon in ingressu sancti sanctorum, fecit duo ostiola de lignis olivarum ; per oleum enim misericordia designatur. Nota, quod mansiones cœlestes sunt pauperum, quia illis datæ sunt ; pauperum enim spiritu est regnum cœlorum. Unde si divites illud habere volunt, oportet ut a pauperibus emant; divites enim habent domos in terra, pauperes in cœlo; libenter ergo divites recipiant pauperes in domos suas in terra, ut a pauperibus recipiantur in cœlo. Unde *Augustinus* : « Præbe terram, et accipe cœlum. »

4 Fructus triplicis villæ nobis commissæ. — Ubi considerandum est, quod, ut supra dictum est, tres villæ commissæ sunt homini, scilicet : mundus, corpus et anima, quorum fructus debet dispensare ad honorem Dei. Corpus namque suum debet distribuere jejuniis, vigiliis et ceteris laboribus pro Deo assumptis ; et tunc sanitas, fortitudo et pulchritudo, quæ sunt bona corporis, optime erunt dispensata. Si vero corporis labores sustinere non possit, dicens cum villico : *Fodere non valeo*, saltem bona animæ, quæ sunt amor, cognitio et memoria, ita distribuat orando, meditando de Lege Domini, et cunctos etiam inimicos amando, ut orationibus sibi recompensetur, quod laboribus efficere non potuit. Et si rursus orare erubescit, utpote quia nescit, dicens quemadmodum et hic villicus dicebat : *Mendicare erubesco*, qui enim orat, mendicat, quia suffragium petit, tunc certe non restat, nisi ut provideat sibi taliter de bonis terræ villæ Domini, scilicet de bonis temporalibus eleemosynas largiendo, quod talis dispensatio omnem defectum excuset corporis et animæ. Jejunium enim, quod distribuit bona corporis, et oratio, quæ distribuit bona animæ, atque eleemosyna, quæ distribuit bona mundi, sunt opera quibus habetur vita æterna.

5 Quo sensu laudatur prudentia villici et filiorum hujus seculi. — Convocatis itaque singulis, seorsim his ab illis, debitoribus domini sui, quia religiosi et pauperes quantumcumque justi, sunt debitores Dei, fecit circa eos misericordiam de bonis temporalibus sibi traditis ad dispensandum, dans ipsis oleum et triticum subventionis. Ad hoc ergo tendit ista parabola, ut sicut dedit de bonis domini oleum et triticum; sic et nos demus pauperibus de bonis a Deo nobis traditis, oleum compassionis interioris, et triticum subventionis exterioris, quia bonorum nobis datorum, non domini, sed tantum dispensatores sumus. In hoc autem quod plus dedit de oleo, quam de tritico, significatur quod plus debemus compati affectu, quam possumus subvenire effectu. *Et laudavit dominus* villici, non Dominus omnium, *villicum iniquitatis*, id est villicum iniquum ; *quia prudenter fecisset*, non quod adversus eum fraudulenter, sed pro se prudenter, secundum prudentiam hujus seculi, non tamen bene vel meritorie egisset. Non enim laudavit eum de fraude quam fecit, sed de prudentia et ingenio, quo sibi in futurum prospexit ; est namque prudentia quædam sibi in posterum providentia. Sic divites hujus mundi non sunt laudabiles de deceptione in illicitis actibus ; sed de hoc quod prudenter se convertunt ad distribuendum bona in piis operibus, ut per hoc provideant sibi in futurum,

quia, secundum *Ambrosium*, sola misericordia est comes defunctorum. Cui etiam prudentissime non solum dominus villici, sed etiam Dominus omnium applaudere videtur, subjungens ad quid hanc similitudinem dederit : *Quia*, inquit, *filii hujus seculi*, et tenebrarum, id est homines temporalibus intenti, et amatores mundi, *prudentiores sunt filiis lucis, in generatione sua* carnali, id est in secularibus, ad quæ videntur geniti. Quasi dicat : Magis astuti et fervidi sunt in carnalibus et temporalibus negotiis agendis, quam filii lucis et vitæ æternæ, id est homines spiritualibus deputati, et amatores cœlestium, sint in spiritualibus negotiis exercendis. Prudentiores sunt illi in malo, quam isti in bono. Vix enim inveniuntur aliqui, qui tantam prudentiam et curam habent in acquirendis bonis æternis et permanentibus, quantam calliditatem et sollicitudinem isti habent in acquirendis bonis temporalibus et fugitivis. Pro his enim die noctuque vigilant, angustiantur, laborant, et modis omnibus tales divitias coacervare non cessant. Sicut bubo et cattus clarius vident de nocte quam homo, non ad legendum litteras, sed ad capiendum mures; sic filii seculi acutius vident quam filii lucis, non ad sciendum Legem Dei, sed ad acquirendum bona mundi. Audiant hæc filii lucis, et a filiis tenebrarum, scilicet hujus seculi, vinci erubescant. Ideo enim hæc scripta sunt, ut audiendo prudentiores fiant, non autem ut iniquitatis villicum imitando, fraudem vel injustitiam in aliquo agant. Ubi *Beda* : « Audiant sapientes hujus seculi, ut stultam sapientiam deserere, et sapientem Dei stultitiam discere queant, quanti eorum sapientiam divina æquitas æstimæverit, quos non vere prudentes, sed in generatione sua prudentes esse commemorat. Juxta hoc quod alibi dicitur : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes!* Nec non et amatores vitæ æternæ filios lucis appellando, non aliud eos qui sapientes sunt ut mala faciant, bene autem facere nescierunt, quam filios esse tenebrarum arguit; filii autem lucis, et filii hujus seculi vocantur, quo modo filii regni et filii perditionis, cujus enim quisque agit opera, ejus cognominatur et filius : » hæc *Beda*. « Sed, heu ! ut ait *Hieronymus*, nos ferventissimi sumus in terrenis, sed frigidissimi in cœlestibus; summam in rebus parvis exhibemus alacritatem, sed ad majora tepescimus; res celerem habituræ finem a nobis quæruntur, sed res sine fine, scilicet cœlestes divitias, immortales honores, pigra quadam dissimulatione negligimus : » hæc *Hieronymus*.

6 De triplici sapientia, et signis ad dignoscendos filios seculi, filiosque lucis. — Ubi notandum, quod triplex est sapientia. Prima nociva : et ista est carnalis, quam habent: avari, in acquirendo divitias; superbi, in acquirendo honores; luxuriosi, in acquirendo delicias. Unde Jacobus : *Non est ista sapientia desursum descendens*; *sed terrena* quoad avaros, *animalis* quoad luxuriosos, *et diabolica* quoad superbos. Quantum autem ad istam sapientiam, verum est *quia filii hujus seculi sunt prudentiores filiis lucis*; hanc enim filii lucis aspernantur et fugiunt. — Secunda sapientia est superflua, quæ est de impertinentibus ad salutem. Ista sapientia est mundana et secularis, sive sit philosophica atque physica, sive scientia legum et decretalium, quæ pro tanto dicuntur superfluæ, quia sine illis potest salus esse. Quantum etiam ad istam sapientiam, *filii hujus seculi* sæpe *prudentiores sunt filiis lucis*; quia viri spirituales parum curant de talibus scientiis. — Tertia sapientia est necessaria, quæ est de expedientibus ad salutem ; et ista est sapientia divina, quæ consistit in vera Dei et boni cognitione. Quantum autem ad istam sapientiam, filii lucis sunt prudentiores quam filii hujus seculi; imo in rebus divinis, filii seculi, videntur esse stulti, filii autem lucis sunt valde sapientes et providi. — Qui autem sunt filii seculi, non apparet manifeste; sed tamen potest de hoc aliqua conjectura haberi. Una

est, quia communiter filius habet inclinationem et artificium patris; et ideo quando persona tota est mundana. et ad negotia mundi inclinata, signum est quod pertinet ad filios seculi. Secunda conjectura est quia filius assumit arma patris; sic persona quæ in seipsa assumit arma mundi, quæ sunt superbia, avaritia, gula, luxuria, hæc videtur pertinere ad generationem mundi. — Filii autem lucis similiter cognoscuntur duplici conjectura. Prima est, quando persona cum omni devotione sustinet visitationem Dei, qua visitatur per flagella, vel alio quocumque modo, et quando non permittit aliquid in corde suo, quod est contrarium Deo, signum est, quod est filius Dei. Secunda conjectura est, quia communiter pulli avium comedunt libenter cibum, quo consueverunt uti parentes eorum, et in ipso potissime delectantur; sic quando homo libenter degustat cœlestia, quæ fuerunt cibus Christi, et ei sapiunt talia, et continue conatur qualiter impleat voluntatem divinam, iste est proprie filius Dei.

7 Divitiæ cur mammona iniquitatis dicantur? — Deinde quasi a minore, infert Dominus concludendo propositum: *Et ego dico vobis* : *Facite vobis*, id est ad vestram utilitatem, *amicos de mammona iniquitatis*, scilicet de temporalibus divitiis, sed non eo modo quo fecit villicus iniquitatis. non defraudando aliena, sed largiendo vestra; *ut cum defeceritis* meritis propriis et præsenti vita, *recipiant vos in æterna tabernacula*, id est per sua merita et suffragia impetrent apud Deum, vos finaliter recipi in vita beata. Ad hæc tabernacula Propheta suspirans, ait : *Quam dilecta tabernacula tua !* Quasi diceret Dominus : Si, sibi in futurum etiam cum dolo et fraudulenter providens laudatur, multo magis laudandi eritis, si sine dolo et legitime vobis provideritis. Ubi *Gregorius*: « Si nos eorum, scilicet pauperum amicitiis, æterna tabernacula acquirimus, dantes pensare debemus, quia patronis potius offerimus munera quam egenis bona largimur. » Mammona, mammonæ, lingua Syra, divitiæ dicuntur; et Mammon, Mammonis, Satanas, qui opibus seducit, appellatur. Et est advertendum, quod non dicuntur hic divitiæ iniquitatis, quia inique et de malo acquisitæ ; de illis enim non præcepit Dominus fieri eleemosynam, cum numquam bonus usus justificet male acquisita ; et ideo talia sunt restituenda, non in eleemosynis danda. Potest tamen de divitiis iniquo affectu vel actu male acquisitis fieri eleemosyna, ut de acquisitis per meretricium, vel lenocinium, vel diebus festivis laborando, vel hujuscemodi. Si vero divitiæ non de malo sunt acquisitæ, nihilominus dicuntur mammona iniquitatis, pluribus de causis. — Primo, quia non sunt veræ divitiæ, nec servant quod promittunt; sed falsæ, quia fallunt et decipiunt: promittunt enim securitatem, et dant timorem; satietatem, et dant esuriem; stabilitatem, et dant subitam dejectionem. — Secundo, quia iniqui in eis confidunt, ac fidem et spem in eis constituunt. — Tertio, quia iniquus Mammon præest eis, qui tentat homines cupiditate, ut serviant avaritiæ, *quod est idolorum servitus*, et sæpe faciunt homines iniquos, ut semper desiderent amplius. — Quarto, quia sunt multarum iniquitatum materia : propter divitias enim multa committuntur iniqua, et expenduntur in multis illicitis et superfluis. — Quinto, quia ut plurimum acquiruntur inique, in pluribus enim prædecessoribus necesse est aliquem reperiri, qui injuste usurpaverit aliena, unde vulgata communi dicitur sententia : Omnis dives aut iniquus est, aut heros iniqui. — Sexto, dicuntur *mammona iniquitatis*, id est inæqualitatis, quia inequaliter possidentur : nam unus habet ad superabundantiam, alius ad sufficientiam, alius ad necessitatem extremam, alius ad totalem penuriam. — Septimo, quia inique retinentur ; quod enim ultra necessaria vitæ retinetur, nec proximi necessitatibus erogatur, pecunia est iniquitatis, id est contra æquitatem ; in ea enim non servamus æquitatem quam proximo debemus,

n sicut nos diligere jubemur.
PRÆCEPTUM MERITUMQUE ELEEMOSY-
— Pauperes ergo recipient nos
ıas domos cœlestes, si nos eos
perimus in nostras domos terre-
. Unde ait *Augustinus* : « Omnia
. sua dedit Deus duobus homini-
: divitibus terrena, pauperibus
stia. Sed Deus volens utrumque
ıre, constituit ut hic divites in
hereditate recipiant pauperes;
auperes in sua hereditate eos
ıcent, et uterque per alium col-
tur. » Et si non omnes pauperes
unt nos recipere in domos cœ-
s; tamen quia largimur his, re-
mur ab Angelis et Sanctis, quia
endo pauperibus Angelorum no-
eterorumque Sanctorum gratiam
ıaramus; et quamvis bonum sit
re pauperes bonos, et aliis præ-
in datione eleemosynarum, ta-
qui dat indigenti peccatori, non
peccator, sed quia homo est,
peccatorem nutrit, sed justum,
iam culpam non diligit, sed natu-
Qui autem eleemosynam acce-
ıs est, attendat bene si indigeat;
uin non accipiat, ne rapinam
nittat. Unde inquit *Hieronymus* :
ınache, si eges et accipis, das
s quam accipias; si autem non
et accipis, rapis. » Porro non
et monachus, si habeat quod
æ sufficit. Et hanc sufficientiam
tolus certa diffinitione descri-
Habentes, inquit, *alimenta et*
us tegamur, *his contenti sumus.*
: In collatione abbatis *Abrahæ* :
ıveris autem te ex hoc non levi
detrimento, quia cum sis sani
ıris, ac robusti, stipe sustenta-
iena, quæ juste solis est debili-
attributa. » Misericordiæ ergo
bus insistamus, quia multa bo-
in vita, et in morte, nobis inde
aramus, Unde ait *Hieronymus* :
ı memini me legisse male mor-
, qui libenter exercuit opera
tis; habet enim multos interces-
, et impossibile est multorum
s non exaudiri. » Unde et *Leo*
: « Quidquid in cibos paupe-
in curationes debilium, in pre-
ıptivorum, et in quælibet opera

pietatis impenditur, non minuitur, sed augetur. Nec umquam apud Deum perire poterit, quod fidelis benegnitas erogaverit, dum quod cuique tribuit, id sibi ad præmium recondit : *Beati* enim *misericordes*, *qnoniam ipsorum miserebitur Deus.* Nec delictorum memoria erit, ubi testimonium pietatis affuerit : » hæc *Leo* Papa. Religiosus vero, et qui non habet unde possit eleemosynam dare materialem, nihilominus ex corde potest facere eleemosynam Deo valde gratam, videlicet ad hoc voluntatem habendo, seu etiam illatas sibi injurias proximo indulgendo, vel adversitati alienæ ex toto corde compatiendo.

9 NON SUMUS HIC DOMINI, SED VILLICI; SIMUS ERGO SEMPER AD RATIONEM REDDENDAM PARATI. — Igitur, o monache, o clerice, o laice, dum vivis, cogita qualiter debeas operari, ut scias, et habeas quid in illo judicio possis respondere, ubi audies : *Redde rationem villicationis tuæ.* Villici enim sumus, non vere domini, rerum temporalium et spiritualium nobis ad necessarios usus proximorum commissarum. Et si eas proximis non distribuimus, alia retinemus. Unde *Chrysostomus* : « Opinio quædam erronea aggenerata mortalibus auget crimina, minuit bona. Et vero est opinari, quod ea quæcumque possidemus in usu vitæ, possidemus, ut domini. Et ideo etiam opportune ea apprehendimus, tamquam bona præcipua. Sed contrarium est. Non enim ut domini, in vita præsenti, collocati sumus in propria domo, sed tamquam hospites et advenæ; quo nolumus ducimur, et quo non putamus, et qui nunc locuples est, in brevi fit mendicus. Ergo quicumque sis, noveris te esse dispensatorem alienorum; et transitorii usus et brevis tibi jura concessa sunt. Abjecto ergo ab anima domini fastu, sumas humilitatem et modestiam, quæ decet villico : » hæc *Chrysostomus.* Attende et aliud quod tibi dicetur : *Jam enim non poteris villicare* et operari. Unde idem *Chrysostomus* : « Quotidie talia per effectus nobis exclamat Deus, ostendens nobis ferventem

in meridie sospitatem, priusquam advesperascet exanimem, et alium inter prandia expirantem ; et diversimode ab hac villicatione discedimus. Sed fidelis dispensator, qui de propria dispensatione confidit, desiderat cum Paulo dicente : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo*; is autem cujus sunt vota terrena, anxiatur in exitu : » hæc *Chrysostomus*. Cogita etiam, quod tunc fodere non valebis, et mendicare erit confusionis. Unde *Beda :* « Ablata quippe villicatione fodere non valemus, quia, finita hac vita, in qua tantum licet operari, nequaquam ultra bonæ conversationis fructum ligone devotæ compunctionis licet inquirere. Mendicare confusionis est, illo scilicet pessimo genere mendicandi, quo virgines illæ fatuæ mendicasse feruntur, et de quo Salomon ait : *Propter frigus piger arare noluit*; *mendicabit ergo æstate, et non dabitur ei :* » hæc *Beda*. Ut autem idem dicit *Beda* : « Si hi qui præbent eleemosynam de iniquo mammona, faciunt sibi amicos, a quibus in æterna tabernacula recipiantur ; quanto magis hi, qui spirituales largiuntur epulas, qui dant conservis cibaria in tempore suo, certissime debent spe summæ retributionis erigi ! » hæc Beda.

10 QUI IN MODICO NON EST FIDELIS, NON DEBET IN PRÆLATURAM ELIGI. — Postquam ergo Dominus præmisit de dispensatione pecuniæ corporalis, subdit de dispensatione pecuniæ spiritualis, sic dicens : *Qui fidelis est in minimo*, et in dispensatione minorum, scilicet temporalium ; *et in majori*, id est in dispensatione majorum, scilicet spiritualium, *fidelis est. Et qui in modico*, scilicet in carnalibus, *iniquus est*, ut non bene pro necessitate proximorum expendat ; *et in majori*, scilicet in spiritualibus, *iniquus est*, ut non pro utilitate communi dividat. Quasi diceret : Qui bona temporalia, quæ sunt minima, bene dispensavit in eleemosynis et in aliis piis usibus, dignus est ut sibi committatur dispensatio spiritualium, quæ sunt majora, quia fidelitas dispensationis primæ est argumentum fidelitatis secundæ ; et, qui modica, scilicet bona temporalia non bene dispensavit, sed in illicitis consumpsit, vel male retinuit, indignus est, ut sibi committatur dispensatio majorum, scilicet spiritualium, quia infidelitas prima est argumentum secundæ. Hic habes argumentum, quod avarus non est bonus prædicator, vel prælatus. Unde subdit : *Si ergo in iniquo mammona*, scilicet in bonis temporalibus et divitiis, *fideles non fuistis* dispensando, quæ sunt magis bona secundum apparentiam, quam secundum veritatem; *quod verum est*, scilicet bona spiritualia, quæ sunt vera bona, *quis credet vobis*, id est tradet vobis ad dispensandum ? Quasi dicat : Nullus sapiens. Unde habes exemplum de quodam Episcopo, qui quatuor caseos tradidit ad custodiendum nepoti suo, et quia male custodivit, ideo curam animarum tradere sibi noluit. *Et si in alieno fideles non fuistis*, sicut in temporalibus, quæ sunt aliena a nobis, quia sunt extra nos ; *quod vestrum est*, scilicet bona spiritualia, quæ sunt habentibus intrinseca, *quis dabit vobis* ad dispensandum? Quasi dicat : Nullus sapiens hoc faceret. Qui enim fidelis non est in dispensatione bonorum fortunæ, et divitiarum corporalium, quæ respectu spiritualium falsæ divitiæ sunt, et a nobis alienæ, quia extra naturam nostram sitæ : *Nihil enim intulimus in hunc mundum*, et nihil hinc auferimus, possuntque nobis auferri etiam nolentibus; dispensationem bonorum gratiæ et divitiarum spiritualium, quæ veræ divitiæ sunt, et nostra, quia proprie homini deputata, ad ea enim habenda nati sumus, nec possunt nobis auferri nolentibus, nullus ei credere vel dare debet, quia in eis etiam infidelis esset. Unde *Ambrosius*: « Alienæ a nobis divitiæ sunt, quia præter naturam sunt. Neque enim nobiscum nascuntur, neque nobiscum transeunt. Non ergo vere nostra sunt, quæ non possumus auferre nobiscum. Sola virtus est comes defunctorum, sola nos sequitur misericordia. » Et, ut dicit *Augustinus* : « Potest homo invitus amittere bona temporalia ; numquam autem, nisi volens, perdit

æterna. » Secundum *Bedam*, in minimo est fidelis, qui habet viscera pietatis, et opera misericordiæ, dando eleemosynas, et diligendo proximos; in majori est fidelis, qui omnino adhæret Creatori, et unus spiritus cum eo desiderat fieri. Sed, *qui fratrem non diligit quem videt*, nec egeni miseretur, *quomodo diliget Deum quem non videt*; et quomodo seipsum Deo tribuet? Valde ergo considerandum est, in electione prælatorum et præpositorum quales in modico fuerunt, et quid pietatis misericordiæ habuerint; quoniam qui in modico fideles non sunt, in magnis quoque fideles non erunt. Unde præcepit Apostolus Timotheo et Tito, ut in eligendo Episcopo semper præconsiderent, si fidelis fuerit, et non avarus in dispensatione rei familiaris; sæpe enim avarus in erogatione pecuniæ corporalis, avarus est in erogatione talenti spiritualis, ut nil vere faciat, nisi pro pecunia, vel pro personis, et juxta acceptionem personarum. Comitatur etenim eum sæpe avaritia et cupiditas usque ad spiritualia. Et ideo, tales si promoventur in Ecclesia, non ex Dei ordinatione, sed magis ex permissione quadam divina. Demus igitur aliena, ut suscipiamus nostra; præbeamus parva, ut recipiamus magna; seminemus in benedictione, ut metamus benedictionem; sed *qui parce seminat, parce et metet*. Si bene dispensamus bona minora, scilicet fortunæ et naturæ; merebimur promoveri ad bona majora, scilicet gratiæ et gloriæ.

ORATIO

Domine Jesu Christe, animam meam fac virtutum villam, ne villicus tuus, ratio mea, dissipet bona tua mihi credita; quia post mortem nescio quid meritorii faciam. Remitte mihi centum cados olei quos tibi debeo per contemplationem; et centum coros tritici, quos tibi debeo per operationem; et amici tui pauperes, qui te diligunt, et tibi conformantur, fiant mei apud te intercessores, advocati, et patroni, ut cum defecero propriis meritis, et ab hac vita, recipiar meritis eorum et suffragiis in domos suas, scilicet in æterna et dilecta tabernacula. Amen.

CAPUT XVI

DE DIVITE EPULONE ET LAZARO MENDICO AD JANUAM EJUS JACENTE.

Lucæ cap. XVI.

1 PROMISSIONES LEGIS ET EVANGELII. — ***Pharisæi autem, qui erant avari, audiebant hæc omnia*** dicta per Dominum Jesum, de contemptu mundi et contra avaritiam disputantem, ac homines ab appetitu divitiarum retrahentem, et ad faciendum eleemosynas inducentem : ***Et deridebant illum***, quasi irrationabiliter loqueretur, et contraria Legi Prophetisque præciperet, ubi multi ditissimi Deo placuisse leguntur, et observatoribus Legis bona temporalia promittuntur; non attendentes, quia in Lege carnalibus minora, propter regnum æternum, et in Evangelio spiritualibus majora, propter regnum cœlorum jure præcipiuntur; et quod ideo inter Legem et Evangelium, sicut promissionum, ita et præceptorum debet esse distantiam. Ibi namque dictum est : *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis*; hic vero : ***Beati pauperes spiritu****, quoniam ipsorum est*

regnum cœlorum. Item, Lex non promittebat temporalia, tamquam principale præmium, et ideo ubicumque in sacra Scriptura pro actibus virtutum promittuntur bona temporalia, sub illis intelliguntur bona spiritualia et æterna, tamquam principaliter promissa. Nec temporalia sic promittebantur ad malum usum, sicut Pharisæi ista ad defensionem suæ avaritiæ male inducebant, sed ad bonum; quia illi qui bene utuntur divitiis, non serviunt eis, nec dæmoni per eas tentanti, sed magis e converso divitiæ serviunt ipsis, quia sunt eis juvamenta virtutis; et tales fuerunt Noe, Abraham, et alii divites qui Deo servierunt, et placuerunt in eis. Unde occurrit eis Dominus confutans et redarguens eos de vana gloria, et de avaritia, *et ait illis* : *Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus,* avaritiam vestram prædicto modo false colorando, et opera vestra ut ab hominibus videamini faciendo : *Deus autem*, cui *omnia nuda et aperta sunt,..... novit corda vestra*, et iniquitatem ibi latentem, *quia quod hominibus*, et in reputatione hominum, qui vident in facie, *altum est*, id est apparens justitia, et non existens in re, *abominatio est apud Deum*, et in reputatione Dei qui videt in corde; quia simulata sanctitas, duplex est iniquitas : est enim et simulatio, et iniquitas. Audiant hoc hypocritæ et ambitiosi, quia quanto magis apparent, et se exaltant apud homines, tanto magis abominabiles sunt apud Deum. Igitur, quia Deus videt corda, et per consequens videt etiam facta, quantumcumque secreta, studendum est cuilibet, etiam cum solus fuerit, ut et cogitando et operando mala declinet et bona faciat. Si enim Deum præsentem, et omnia videntem, et vindicantem semper cogitaremus, aut vix aut numquam peccaremus. Unde *Boetius* : « Aversamini vitia, colite virtutes, ad rectas spes animum sublevate, humiles preces in excelsa porrigite, magna vobis est necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis Judicis cuncta cernentis : » hæc *Boetius*.

2 Cur divitis epulonis nomen tacetur? — Quia ergo Pharisæi coram hominibus se justificabant, et justos se esse ostendebant, peccatores quasi infirmos contemnendo, et eleemosynarum remedia negligendo, quam juste hæc avaritia et avara altitudo damnanda sit, in sequenti Dominus docet exemplo, quod maxime inducitur ad provocandum homines ad opera misericordiæ, ex divite propter defectum pietatis et misericordiæ damnato; et non dicitur hic quod sit parabola vel similitudo, quia est rei gestæ narratio. Unde, secundum quosdam, dives iste Nabal erat, quem David occidere volebat, quia victualia sibi et suis negaverat. Dicit ergo: *Homo quidam*, ubi notandum quod homo potius sonat hic in vitium, quam in naturam, ut dicatur homo ab humo, id est humo adhærens per amorem terrenorum. Secundum *Gregorium*, non exprimitur nomen ejus, quia non erat a Deo per approbationem cognitus, secundum quod dicit Salvator reprobatis: *Numquam novi vos*. Unde quasi ignotus apud Deum, nomine non designatur, neque nominatur a Deo, quia nomen quæsierat a mundo. *Homo* ergo *quidam erat dives* non tam a possessione divitiarum, quam ab amore earum: ecce superfluitas in sensu, et concupiscentia oculorum; *qui induebatur purpura*, rubea desuper, propter inanem gloriam, *et bysso* alba desubtus ad carnem, propter mollitiem: ecce excessus in vestitu et superbia vitæ; *et epulabatur quotidie splendide*, serviendo gulæ magis quam naturæ: ecce excessus in victu et concupiscentia carnis, secundum quod vestimenta, ita et epulæ. Ad mollitiem et luxuriam cultu regio dissolvebat carnem exterius, ac cibis et potibus refovebat eam interius.

3 Cur autem pauperis nomen exprimatur? et de ipsius penuria. — *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus*; diviti adjungitur pauper, quia alter alteri confert, sed differenter, quia dives confert temporaliter pauperi, et pauper spiritualiter diviti. Unde ait *Chrysostomus*: « Dum dives

sustentat pauperem, ipse sustentatur a paupere. » Exprimitur autem hic nomen pauperis, quia a Deo per approbationem erat cognitus, sicut et Moysi oli n dicit : *Novi te ex nomine.* Unde et pauperibus humilibus dicitur: *Gaudete* et exsultate, *quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Lazarus pauper et humilis nominatur, dives vero nec nomine dignus habetur. Nomina bonorum scripta sunt in libro Dei, et nomina malorum in libro diaboli. In quo pensandum est, quantum interest inter publicam legem mundi, et benignam Legem Dei. Nam divites sunt mundo celebres per nomina sua, sed pauperes latent, nec nomen in mundo habent. Mos est dicendi : Quando de urbe profecti sumus, obviavit nobis talis Comes, vel Dominus ; e contra de paupere dicitur : Nobiscum unus pauper agebat iter. Sed in Evangelio est mos contrarius, quia pauperis nomen exprimitur, divitis vero nomen tacetur ; superbos divites per judicium reprobationis Deus nescit, humiles pauperes per judicium approbationis noscit. Cominus aspicit hos, et eminus arcet illos. Divitibus sunt nomina in culmine mundi, sed pauperibus sunt nomina in aula Dei. *Qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus*, ut ex vicinitate magis appareret duritia divitis, exeundo et revertendo cum videntis, et patientia pauperis ex visione divitis Ubi *Chrysostomus* : « Infelicissime hominum, mortem corporis tui vides jacere ante januam, et non misereris ! Si Dei præcepta non consideras, saltem miserere conditionis tuæ, et time ne et ipse talis efficiaris. » *Cupiens saturari de micis*, non dicit de pretiosis, *quæ cadebant de mensa divitis* ; quodammodo dicens ad divitem : Sufficiunt mihi micæ mensæ tuæ, quas abjiciendo projicis inde. Præbe igitur de superfluo eleemosynam, fac de non damno lucrum ; in quo nimia duritia apparet, eo quod perire permittebat unde pauper sublevari poterat. *Et nemo illi dabat*, quia tali domino talis familia ; et ideo conformabantur ei in mentis duritia. Cum ergo ante januam Lazarus jaceret : ex visione pauperis diviti non misercnti, cumulus damnationis infertur ; et rursus ex visione divitis tentatus quotidie pauper probatur. Quem ad majorem ipsius probationem paupertas simul et ægritudo, et visa divitis copia, et nulla sibi adhibita consolatio affiiciunt. Ubi idem *Chrysostomus* : « Ægrotatio habet aliquod solatium, si opes habet ; si autem ad infirmitatis magnitudinem accedat et paupertas, duplex est infirmitas. Quanta ergo in isto pœna est, in quo inter tanta vulnera non meminit dolores plagarum, sed famis ? » *Sed et canes veniebant et lingebant ulcera ejus* ; unde talis pietas in lingendo ulcera pauperis arguit duritiam divitis, quia magis curiales erant canes pauperi, quam eorum dominus. Et nec a se canes removere poterat, nec visitator erat, qui removeret. Qui etiamsi mordendo punxissent, non esset qui illos amovisset.

4 Mors pauperis et divitis. — ***Factum est autem, ut moreretur mendicus***, in *patientia*, quæ *opus perfectum habet* probatus, *et portaretur*, secundum animam, *ab Angelis in sinum Abrahæ*, de mendico dives factus, id est ad requiem, et limbum sanctorum Patrum, ubi descendebant animæ justorum morientium, antequam generale impedimentum gloriæ per Passionem Christi esset amotum ; qui sinus, secundum *Augustinum*, ideo Abrahæ dictus est, non quod ipsius tantum sit, sed quod ipse multarum gentium pater sit, quibus ad imitandum positus est. Ubi *Chrysostomus* : « Non suffecerat ad portandum Angelus unus pauperem, sed propterea plures veniunt ut chorum lætitiæ faciant. Gaudet unusquisque Angelorum tantum onus tangere ; libenter talibus oneribus prægravantur, ut ducant homines ad regna cœlorum. » ***Mortuus est autem et dives***, quia divitiæ non possunt a morte salvare ; *et sepultus est in inferno*, scilicet damnatorum, id est in profunditate pœnarum infernalium, de divite mendicus factus. Dives iste tamquam diaboli parochianus ad cœmeterium infernale, a dæmonibus est deductus,

et ibi est sepultus. Ibi sepelientur parochiani diaboli sine thure et sine aqua benedicta, ad modum asini. Unde in Jeremia de quolibet reprobo dicitur : *Sepultura asini sepelietur.* Sepultura asini est talis : quia excoriatur, et pellis a domino possidetur, carnes a canibus lacerantur, et ossa pluviis et grandinibus derelinquuntur; sic quando aliquis moritur iniquus, parentes possident substantiam terrenam, vermes lacerant carnem suam, supplicia infernalia lacerant ejus animam, quæ naturam ossis habebit, quia consumi numquam poterit. Et notandum, quod pluribus modis cognoscitur aliquis, cujus parochianus sit, scilicet : si ab eo baptismum suscipiat, si ei primitias atque decimas reddat, si ejus missas et horas audiat. Qui ergo aqua concupiscentiæ baptizatur, in qua character diaboli imprimitur, de quo in Apocalypsi dicitur; qui initia operum et consummationem, tamquam primitias et decimas diabolo reddit, vel bona temporalia in illicitis consumit ; qui lascivis cantilenis et erroneis carminibus, seu verbis detractoriis et malis intendendo, tamquam horas diaboli audit, diaboli parochianum se ostendit, et in ejus cœmeterio sepelietur in morte, sicut etiam dives iste est sepultus. Sed, qui baptizatur aqua pœnitentiæ, ubi imprimitur character Christi, scilicet *Thau*, de quo dicitur in Ezechiele ; qui initium et consummationem bonorum operum Christo reddit ; qui ejus sermones et verba libenter audit, deportabitur ab Angelis in requiem Christi, cujus parochianum se ostendit. Merito autem pauper portabatur ab Angelis, et angelica ei deputabantur officia, cui tam crudeliter denegata sunt humanitatis obsequia ; et merito dives sepultus est in inferno, ut sustineat cruciatum nolendo, qui in præsenti vita crucem portare noluit pœnitendo.

5 Sinus Abrahæ quid sit, et ubi ? — *Elevans autem oculos suos* spirituales, non corporales, quia ibi erat anima ejus, non corpus, *cum esset in tormentis* multiplicibus, quia ejus oculi aperti erant per pœnam, qui ante clausi fuerant per culpam, *vidit Abraham a longe*; quia multum etiam ante apertionem januæ cœlestis distabat status electorum a statu reproborum, in tantum quod impossibilis erat transitus ab uno in alium ; *et Lazarum in sinu ejus*, ad cumulum suæ pœnæ, quem in prosperitate positus dedignabatur videre. Sinus Abrahæ, de quo hic dicitur, ante Passionem erat in limbo inferni, sed modo est in cœlo ; sicut enim translatus est Abraham de limbo, sic et sinus ipsius cum eo. Erat namque in superiori margine inferni locus aliquantulum habens lucem pro spe futuræ claritatis, sine omni pœna materiali, in quo erant animæ electorum, usque ad descensum Christi ad infernos, scilicet ad eumdem locum, qui locus propter sui tranquillitatem *sinus* est dictus, sicut et sinus maris dicitur locus quietus a ventis et tempestatibus; et dicebatur *Abrahæ*, quia ipse fuit prima via credendi, et primus publice prædicavit fidem unius Dei. Hunc locum appellavit Job tenebras respectu visionis divinæ, vel pro tædio exspectandi Salvatorem, dicens : *In tenebris stravi lectulum meum.* Secundum *Bedam*, sinus Abrahæ est requies beatorum pauperum, quorum est regnum cœlorum, quo post hanc vitam recipiuntur. Et, secundum *Augustinum*, sepultura inferni pœnarum profunditas est ; quæ superbos et immisericordes post vitam hanc vorat. Qui in præsenti volunt tenere locum primum, in futuro retrudentur in locum novissimum. Ubi *Chrysostomus* : « Sicut autem pauperi, dum viveret, graviorem pœnam reddebat jacere ante januam divitis, et aliena bona prospicere ; sic diviti mortuo, augebat exercitium accubitus in gehenna, prospectus delectationis Lazari, ne sola tormentorum natura, sed et collatione honoris illius intolerabilius sentiret supplicium. Aliorum divitiæ, eorum qui in paupertate sunt, tormenta sunt : » hæc *Chrysostomus.*

6 Cur dives epulo speciatim de linguæ cruciatu queratur ? — *Et ipse clamans* præ dolore, *dixit* : *Pater Abraham, miserere mei.* Hunc sero et

nihilo patrem vocat, quem in ·ibus misericordiæ imitari noluit, etit misereri sui, qui nec suimet ɜrtus est, nec Lazari; *et mitte Laum, ut intingat extremum digiti in aquam, et refrigeret linguam m, quia crucior in hac flamma.* irum petit mitti sibi æstuanti, cui micas panis noluit mittere esuti. Vocat autem extremum digiti modicum suffragium meritorum; uttam aquæ, modicum quid reerantis misericordiæ. Unde notann quod lingua et digitus metapho‑ dicuntur in animabus separatis, les erant animæ Lazari et divitis; t enim in Deo, qui *spiritus est*, ıus dicitur virtus ejus auxiliativa, er linguam divitis, virtus conce‑ mentis expressiva. Unde non in ι, sed imaginaria lingua punitur, ı per imaginationem in memoriam ɜata linguæ revocat. Et similiter ra alia, de quibus hic dicitur, ıtaliter fieri intelliguntur. Quamanimæ corpora non habeant, taı in membris pati dicuntur; quia tæ a corporibus tales affectus in ıentiunt pro peccatis, ac si in core paterentur in membris. In linergo cruciari dicitur, id est in na, quæ pro peccato linguæ ams torquebatur, quia per eam plus ɜaverat, secundum duo officia nae, in quibus lingua deservit, scit: gustum et loquelam, in quibus lones frequenter offendunt. Per ɿuam quidem in officio gustus pecit, quia epulabatur quotidie splene; et similiter in officio loquelæ, a inter epulas splendidas magis reıtur lingua ad loquendum inepta. ideo expedit valde in mensa soɜtatem et silentium observare. le *Basilius*: « Quantum possumus icias mundi, et ciborum epulann fugiamus; ne quando cruciati flamma, quæramus guttam aquæ, ıullum refrigerium consequamur. »

ᴵ ENUMERATIO VITIORUM HUJUS DIVI‑. — Plenus nihilominus, ut visum, iste dives fuit vitiis: in eo enim t avaritia, quia dives erat, non a divitias habebat, sed quia avare inebat, et illicite expendebat. Item, in eo fuit vana gloria, quam habuit in utendo veste pretiosa. Hoc autem quam grande sit peccatum patet ex historia Romanorum, ubi legitur quod ille qui primus apud eos purpura indutus fuit, a fulmine percussus interiit. Non debet homo de vestibus gloriari, imo magis dolere, respiciendo ad peccatum suum; nam ante peccatum veste non indigebat, quia decore innocentiæ indutus erat; sed, perdita innocentia, advenit Dei ira, et tunc vestis sibi facta ad cooperiendum miseriam peccati et defectuum nostrorum. Unde in Genesi: *Fecit quoque Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas*, scilicet extra paradisum post lapsum et peccatum. In signum hujus, aliqui religiosi non utuntur nisi pellibus, in memoriam transgressionis primorum parentum, et in signum mortalitatis, quia pelles sunt de animalibus mortuis. Quatuor autem modis potest esse reprehensio circa vestes: primo, quando sunt nimis pretiosæ; secundo, quando sunt curiosæ; tertio, quando non sunt statui personæ convenientes; quarto, denique, quando quis habet diversa vestium mutatoria, ita quod a tineis demoliuntur, dum Christus in pauperibus nudus relinquitur. Item, fuit in eo peccatum gulæ, quia epulabatur quotidie splendide. Facit autem gulosus injuriam naturæ; nulli enim animali tam magnum corpus habenti, dedit natura tam parvum os et collum, sicut homini, ut per hoc ad cibi et potus parcitatem et temperantiam nos moneret. Erat et sine misericordia, quia ulcerosi pauperis noluit misereri; et ideo frustra misericordiam petiit, qui misericordiam non fecit; et ideo etiam tamquam a Deo non cognitus caret nomine, qui Deum cognoscere noluit in paupere. Non enim reprehenditur ex eo quod dives erat, sed quod divitias avare retinebat, et nihil pauperi dare volebat, ac eas in vestibus curiosis et epulis delicatis male expendebat, nimisque divitias amabat, et circa eas cor suum posuerat; nec reprehenditur ex eo quod aliena abstulit, sed quod sua non dedit; nec dicitur, quia quempiam op‑

pressit, sed quia in acceptis rebus se extulit. Unde *Chrysostomus :* « Non autem quod dives erat torquebatur, sed quia misertus non fuit. Non accusatur, quia res alienas tulerit, non quia adulter fuerit, non quia aliquod malum fecerit; sola in illo condemnatur superbia : » hæc *Chrysostomus.*

8 FUTURA DAMNATIO EORUM QUI ALIENA DIRIPIUNT. — Unde et *Gregorius :* « Hinc colligendum est qua pœna mulctandus sit, qui aliena diripit, si inferni damnatione percutitur, qui propria non largitur : » hæc *Gregorius.* Pensent ergo non solum seculares, sed et religiosi, qui temporalia illicite sibi attrahunt, vel detinent, qua pœna puniendi sunt, si damnatur qui propria non dedit. Qui enim aliena, seu illicite acquisita, et reddenda detinent, contra Dei mandata peccant, sine quibus nemo potest ad vitam ingredi, vel salvari. Et tamen multi credunt, sed stulte, quod, reatu tantæ injuriæ non obstante, animæ eorum requiescant in pace. Nam quia conscientia sæpe formatur secundum id ad quod homo afficitur; ideo multi pecunias et temporalia nimis diligentes, de illicite acquisitis conscientiam non faciunt, sicque Dei præcepta contemnendo, et per consequens mortaliter peccando, Deum graviter offendunt, et omnia sua in bonis exercitia perdere non metuunt. Et maxime hoc attendant domini terrarum et potentes, qui parum timent terras aliorum sibi attrahere, et minus potentes vi vel dolo opprimere; nec ad Deum cuncta cernentem curant respicere. Si arbores solum in altum et non in latum crescerent, nec se dilatarent, una aliam non impediret; sed quia crescunt in latum et se dilatant, una impedit aliam; ita quod una quandoque absciuditur, propter aliam sibi vicinam. Sic reges et potentes qui habent et quærunt dominium, si solum crescerent in altum versus cœlum, et erigerent se ad Deum, unus non impediret alium; et quia dilatant se plus debito ad terrena, propter hoc unus alium impedit, et alia sibi attrahit, ac ea sæpe heredibus suis relinquit. Sed, non gaudeant de hoc vel glorientur, quia veniet tempus quo ipsi, tamquam parochiani diaboli, cum divite in inferno *sepultura asini sepelientur ;* et alii per eos injuste oppressi ad requiem cum Lazaro suscipientur.

9 EXHORTATIO AD MISERICORDIAM LARGIENDAM ET PAUPERTATEM TOLERANDAM. — Audiant hoc terreni et miseri, quos pulvis terræ nunc excæcavit, quia vexatio tunc intellectum eis dabit. Unde ait *Augustinus :* « Audiant ista divites, qui nolunt esse misericordes. Audiant ibi irrogaris sibi supplicia, qui hic nolunt erogare subsidia. Audiant pauperem refrigerantem, audiant divitem pœnis gravioribus æstuantem. Pensentur ergo pro divitiis, pœnæ ; refrigerium, pro paupertate ; pro purpura et bysso, flamma; refectio, pro nuditate, ut salva sit æquitas stateræ, et non mentiatur modus illius mensuræ : *In qua,* inquit, *mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Ideo negatur misericordia diviti, quia ipse, dum viveret, noluit misereri; ideo rogans dives, non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudivit in terris. » Ut autem dicit idem *Augustinus:* « Regnum cœlorum, Veritate testante, didicimus non divitum, sed pauperum esse; si igitur regnum est pauperum, restat ut infernus regnum sit divitum. Quisquis igitur vis regnare cum Christo, elige paupertatem cum ipso, ut requiescas cum Lazaro mendico. Nemo enim potest gaudere cum seculo, et regnare cum Domino. Qui igitur vult epulari cum divite, præparat se inter epulas vermibus gehennæ, in qua pro gaudio momentaneo ardebit perpetuo, cum capite suo diabolo. Infelix commercium, pro tam brevi gaudio, cœlesti privari a regno ! Felix paupertas, per quam cœlestis acquiritur hereditas ! Felix commercium, pro perituris æterna suscipere, et quod ineffabile bonum est, sine fine cum Christo regnare ! Et e contra ineffabilis miseria, perpetua pati supplicia ! » hæc *Augustinus.* Unde et *Chrysostomus :* « Instruimur autem quam sit utile in divitiis non confidere. Ecce dives indiget pau-

, qui quandoque esuriebat. Muur res, et notificatur omnibus quis esset dives, et quis vere esset ɔer. Sicut enim in theatris, cum sperascit et adstantes recedunt, intes et amictum induentes, qui s et prætores visi fuerant, omnivultibus videntur ut sunt ; sic niente morte, et soluto specta-, universis larvis egestatis et dirum depositis, ex solis operibus licantur, qui jam vere sint diviqui vere pauperes, qui gloriosi, ue inglorii : » hæc *Chrysosto-*. Videtur etiam esse de statu inum, sicut est de ludo schacco-. In illo enim ludo sunt reges et tes, senes et juvenes, magni et i, et cetera hujuscemodi, quorum so ludo continua fit de loco in n mutatio, et quasi quædam a ad invicem oppugnatio ; sed leto cursu ludi et temporis, omrojiciuntur in saccum; et majora que, et magis gravia cadunt in ndum. Sic diversarum conditiohomines in diversis locis pour, et frequenter de loco in lomutantur, ac sæpe mutuo se imant, et sibi invicem adversansed completo cursu eorum, mitr in terræ saccum, et majores onere peccatorum magis graves endunt cum divite epulone in inabyssum.

Bona et mala vitæ præsentis. *t dixit illi*, scilicet diviti, *Abra-* : *Fili*, scilicet genere, non imine, et vocat eum filium ut dolor augeatur de perdita hereditate, *ulare*, sed melius esset prævi-:, *quia recepisti bona in vita tua*, it illa quæ vera et sola putaveras bona, scilicet temporalia; quæ : dantur quibusdam in signum æ reprobationis; et hoc sibi di-' ad augmentum suæ pœnæ et icitatis, ut cogitet statum præe felicitatis, quia, ut dicit *Boe-* in omni adversitate fortunæ, inissimum est genus infortunii e felicem. *Et Lazarus similiter*, scilicet transitoria, recepit in sua; non mala secundum æstionem suam, sed divitis, qui et inopiam, et famem, et ægritudinem existimabat mala Et horum recordatio malorum fuit Lazaro consolationis augmentum. Unde *Boetius* :

> *Dulcior est apum mage labor,*
> *Si malus ora prius sapor edat.*

Forte dives iste aliquid boni habuit, quod felicitas transeuntis vitæ remuneravit; et Lazarus aliquid mali, quod ignis inopiæ purgavit. Et ideo, secundum *Gregorium*, si honorem vel divitias, seu aliquid aliud exterioris boni vel prosperitatis in hoc mundo accipimus, pertimescere debemus, ne nobis pro quorumdam nostrorum actuum bonorum recompensatione Dominus dederit, et a retributione boni intimi repellat; et si pauperes forte reprehensibiles conspicimus, despicere non debemus, quia fortasse eos caminus paupertatis purgat. Habent justi bona mundana; sed in recompensationem meritorum suorum non recipiunt, quia ad æterna sanctis desideriis æstuantes, quæ adsunt minima bona reputant. Injusti vero omne gaudium suum felicitatem transitoriam putantes, exteriora sola summa bona æstimant. Unde *Chrysostomus* : « Dixit etiam : *Recepisti bona in vita tua*, quasi debita. Ac si diceret : Si quid boni fecisti, unde præmium deberetur, omnia recepisti in illo mundo : epulans, ditatus, oblectatus successibus prosperis. Hic autem, si quid mali commisit, universa recepit : paupertate, fame, et extremis oppressus miseriis; et uterque vestrum huc nudus accessit, hic quidem de peccatis, propter quod et consolationem sortitur, tu vero a justitia, propter quod et immitigabilem perfers pœnam: » hæc *Chrysostomus*.

11 Bona et mala vitæ æternæ. — Unde sequitur : *Nunc autem hic consolatur*, scilicet æterna consolatione, pro modica tribulatione, et propter meritum patientiæ; *tu vero cruciaris*, scilicet æterno cruciatu, pro temporali delectatione, et propter defectum misericordiæ Ut enim dicit *Gregorius*: « Justum est, ut in se dolorem inveniat, qui relicto vero gaudio, in se et in mundo gaudia vana quærebat. »

Unde *Bernardus* : « Quantos, inquit, videtis et ipsi Lazaros esurientes, nudos, ægrotos; et plus de jumentis vestris, plus de eorum phaleris quam de istorum miseriis cogitatis? Sed ad tremendum Abrabæ judicium veniamus. Non enim Abrahæ, sed Domini sententia est : *Memento*, inquit, *fili, quod recepisti bona in via tua, et Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Hæccine cruciatuum causa tota est, quod in hoc seculo bona recepit? Ipsa plane. Neque enim ad hoc nos paradiso voluptatis animadversio divina ejecisse videtur, ut alterum sibi hic paradisum adinventio humana pararet; sed ut in cinere et cilicio miseriam suæ subversionis deploraret. Ceterum, si sic cruciandi sunt, qui in vita sua bona receperunt, et habentibus consolationem præsentem *væ* repositum est sempiternum, quisnam eorum poterit esse finis, si secundum multitudinem consolationum suarum, dolores apprehenderint animas miserorum? Consequens enim videtur ut bona omnia, et omnem seculi hujus recipientibus consolationem; nihilominus universum væ et universi maneant cruciatus. At vero et illud atque ex eadem Abrahæ sententia conjiciendum videtur, eos qui contrario ducti spiritu vitæ, præsentia omnia bona respuunt, et eligunt mala; omnia bona Domini et omnem habituros consolationem. » Et iterum : « Si de pœnarum diminutione solatium præbere voluero, crudelis ero, et non misericors. Quantum enim subtraham de pœna, tantum de corona furabor. Tantum minus erit de fructu, quantum de semine subtraxero. Renuat ergo consolari anima nostra hujuscemodi consolatione; sed memor sit Dei, et consoletur in eo. Apud ipsum namque ipsa quoque tribulatio magna quædam consolatio poterit inveniri : » hæc *Bernardus*. Sic ergo hujus vitæ felicitas divitem infelicem fecit, quia, ut dicit *Augustinus*, nihil est infelicius infelicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, et mala voluntas velut hostis interior roboratur. Unde *Seneca*: « Brevem tibi formulam dabo qua te metiaris, qua te perfectum esse jam sentias. Tunc habebis tuum bonum, cum intelliges infelicissimos esse felices. » Et iterum : « Nihil est infelicius et dementius eo cui nihil umquam evenit adversi; non licuit illi se experiri. » Et iterum : « Te judico miserum, quia non fuisti miser; transisti sine adversario viam, nemo scit quid tu potueris, nec tu quidem ipse : » hæc *Seneca*. Infelicitas vero hujus vitæ Lazarum purgavit, atque felicem fecit. Pluribus quippe modis purgamur in ista vita. Quibusdam enim est purgatio cruciatus corporis, quos eis mali inferunt; aliquibus afflictiones carnis, quas sibi ipsi per jejunia, vigilias et alios labores ingerunt; quibusdam vero carorum vel rerum amissio; aliquibus dolores, vel ægritudo; quibusdam victus, vel vestitus egestas; aliquibus ipsius mortis acerbitas.

12 Animæ separatæ status. — Deinde subjungitur : *Et in his omnibus*, id est inter hæc omnia quæ petis, unum est quod impedit, scilicet, *quod inter nos et vos chaos magnum firmatum est*, id est distantia magna meritorum et statuum firmata est, rigore divinæ justitiæ, ut impossibilis sit transitus ab uno statu in alium; ideo subditur, *ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*, quia animæ separatæ sunt extra statum meriti et demeriti. Unde *Chrysostomus*: « Videre possumus, transire non possumus; et nos videmus quod perdidistis; et sicuti nostra gaudia accumulant vestra tormenta, ita et vestra tormenta accumulant nostra gaudia : » hæc *Chrysostomus*. Quod damnati vellent venire ad locum electorum, si esset possibile, non est dubium, sed quod electi vellent ire ad locum damnatorum, non videtur; unde est dicendum, quod non vellent ire illuc ad manendum, vellent tamen illuc venire, si esset possibile, ad propinquos suos liberandum. Istud tamen velle intelligitur secundum voluntatem naturalis compassionis, non autem secundum voluntatem deliberativam, in qua conformantur simpliciter di-

ıstitiæ, et dispositioni divinæ ıtis. Noli ergo divitem imitari : in superbia vitæ, quia, ut dicit *ius*, illic eos a sorte humiıdex separat, qui se hic in super-:nibus exaltant; neque in con-ɔntia carnis, quia, ut dicit idem *ius*, non possunt qui hic volu-ıs suæ carnis serviunt, illic in grege numerari ; neque in ıiscentia oculorum, quia, ut *Gregorius* testatur, regnum cœpercipere nequeunt, qui hic .esiderio terram quærunt. De 'aritia etiam *Chrysostomus* hoc cit : « Ubicumque abieris, philet avaros punitos videbis, et uidem audient : *Chaos est inet vos*; tunc autem : *Ite, ma- in ignem æternum, qui paradiabolo, et angelis ejus*, et ubi-actos eos aliquis videbit, et m locum habentes, quam in ıam Quæ itaque rectæ fidei no- utilitas ad salutem, hæc cum mus? Illic est stridor dentium, bræ exteriores, et ignis para-.c autem sunt inimicitiæ, ac-nes, detractiones, pericula, solnes, insidiæ, et ab omnibus ıberi, etiam ab his qui videntur . Philargium denique universi contristant, et improperium m est avaritia. Si enim pecuspicere non sustinet, quomodo bit umquam concupiscentiam, riæ insaniam, et furorem et » hæc *Chrysostomus*.

'IMOR DIVITIS CIRCA SUOS PAREN-

Postquam ergo, ut dicit *Gre-* ardenti diviti de se spes tolliıs animus ad propinquos, quos :rat, recurrit. Unde sequitur : : *Rogo ergo te, pater, ut mittas* ilicet Lazarum, *in domum pa-i. Habeo enim quinque fratres, :tur illis, ne et ipsi veniant in 'ocum tormentorum*. Non dixit ritate ductus, quam ante morın habuit, nec postea acquisid timore servili, ne in ipsorum tio ejus pœna augeretur, quia eis occasio peccandi, tum ralivitiarum, quas eis dimiserat ısum, tum exemplo malæ vitæ, quod eis dederat ad sequendum. Unde *Gregorius* : « Qua in re notandum est ardenti diviti quanta supplicia cumulantur. Ad pœnam namque suam augendam ei cognitio servatur et memoria. Cognovit enim Lazarum, quem despexit; et fratrum suorum meminit, quos reliquit. Ut enim peccatores in supplicio amplius puniantur : et eorum vident gloriam quos contempserunt, et de illorum pœna torquentur quos inutiliter amaverunt. » Petenti autem diviti, ut Lazarus mitteretur ab Abraham, protinus respondetur : *Et ait illi Abraham* : *Habent Moysen*, qui docuit moralia et agenda, *et Prophetas*, qui docuerunt mystica et credenda, et ista sufficiunt ad salutem ; ideo sequitur : *Audiant illos*. Et ex hoc patet, quod iste dives et fratres ejus erant de gente Judæorum, quia Gentiles non habebant doctrinam Moysis et Prophetarum ; ut enim dicit *Chrysostomus*, Dominus vocat hic Moysen et Prophetas, scripta Mosaica et prophetica. Sed, ut dicit *Gregorius*, qui Dei verba despexerat, hæc audire non posse suos sequaces æstimabat ; unde sequitur : *At ille dixit* : *Non, pater Abraham* ; *sed, si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent*. In quo implicat quod extra pœnitentiam erant, et per consequens in via veniendi ad inferni tormenta. Quasi diceret : Plus credent mortuo quam Scripturæ, moti ex nuntio sic mirabiliter eis apparente. Sed mox diviti sententia veraci respondetur : *Ait autem illi: Si Moysen*, qui fuit tantæ auctoritatis, *et Prophetas*, qui fuerunt tantæ sanctitatis, *non audiunt*, auditu interiori, *neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei*. Hoc enim patuit per effectum, quia Lazaro fratri Mariæ et Marthæ resurgenti, et Christo testimonium perhibenti, non crediderunt, sed magis eum occidere voluerunt ; similiter nec Christo resurgenti crediderunt, sed magis falso suaserunt ipsum non resurrexisse, et corpus a discipulis suis furatum fuisse. Unde *Gregorius* : « Quia, si verba Legis despiciunt, Redemptoris præcepta qui ex mortuis resurrexit, quanto difficili-

ora sunt, tanto hæc difficilius implebunt. » Ubi et *Chrysostomus* : « Considera quod quisque mortuus servus est; quæcumque vero dicunt Scripturæ, dicit Dominus. Unde, et si resurgat mortuus, et si cœlitus descenderet Angelus, omnibus magis sunt dignæ fide Scripturæ Sacræ ; nam Angelorum Dominus, vivorum et mortuorum Judex, eas instituit : » hæc *Chrysostomus*.

14 TOLERARE DOCEMUR QUÆ TEMPORALITER MOLESTANT, REFRENARE AUTEM QUÆ TEMPORALITER DELECTANT. — Hæc ergo præmissa considerantes, toleremus quæ temporaliter molestant, et refrenemus nos ab his quæ temporaliter delectant. Ut etiam dicit *Hieronymus*, miseriæ deliciis, et deliciæ miseriis commutantur; et in nostro arbitrio est vel divitem sequi, vel Lazarum. Unde et *Chrysostomus* : « Si quando ægrotamus, si pauperes sumus, si frigore conficimur, si hospitium non habemus; lætemur et gaudeamus, Lazarum cogitemus, accipiamus mala in vita nostra ; divitis nos tormenta terreant, et Lazari pauperis exempla provocent. Deprecemur Dominum, ut latronem et istum Lazarum pauperem imitemur. Si persecutio venerit, imitemur latronem; si pax fuerit, imitemur Lazarum : nam egestas propter Christum bene tolerata facit martyrium. » Et iterum : « Sed dices, non est aliquis, qui hic et illic venia perfruatur ; hoc quidem difficile est, et de numero impossibilium. Nam si paupertas non urgeat, urget tamen ambitio ; si ægritudo non stimulet, ira inflammat; si tentationes non impetant, emergunt sæpe cogitationes iniquæ. Non est autem parvus labor iracundiam refrenare, compescere illicita desideria, ostentationes sedare, despectionem remittere, vitam asperam ducere : talia vero non agentem impossibile est salvari : » hæc *Chrysostomus*. Si ergo temporales miseriæ terrent, aut deliciæ delectant, æternæ tibi in mentem veniant, et oculis tuis occurrant, ut sic facilius temporales miserias perferre, et æternas evadere, ac temporales delicias fugere, et

æternas consequi merearis. Und
Gregorius : « Si bonum diligitur,
in bonis melioribus, id est cœ
bus, delectetur; si malum meti
mala animæ æterna proponantu
dum illic esse conspicit, et an
quod diligat, et amplius quod p
mescat, hic omnino non adhæ
Unde et *Augustinus* : « In præ
vita, deliciæ temporales dulces
et temporales tribulationes ar
sunt. Quis non bibat tribulationi
culum, metuens ignem gehenna
Et quis non contemnat dulced
seculi, inhians bonis vitæ ætern
Et iterum : « Si forte tentant fl
concupiscentiæ, intucaris quod
misit Deus, et dulcedo promiss
faciet te contemptorem dulced
seculi. Pro eo quod promisit I
contemnis temporalem felicitat
promisit requiem, patere molesti
minatur ignem, contemne temp
les dolores : » hæc *Augustinus*.
etiam et *Chrysostomus* : « Mala
nalia ideo a Deo creata sunt, no
timeantur, sed ut per eorum timo
mala spiritualia magis timean
bona carnalia ideo creata sunt
per hujusmodi bona carnalia, i
ligantur spiritualia et magis dili
tur : » hæc *Chrysostomus*. Ut a
temporales felicitates et volup
melius contemnas, cogita, cariss
et vide quid beatitudinis, sive in
sive in re felicitates præteritæ et
luptates in te effecerint ; et sic ju
de futuris. Pro his enim omnibus,
nisi tormentum remanebit et lu
Unde in Apocalypsi : *Quantum gl
ficavit se et in deliciis fuit, tan
date illi tormentum et luctum*. Re
cm ergo Lazari pauperis et pœ
divitis considerantes, pauperes
despiciamus, nec inimico oculo a
ciamus, sed ut patronos et advoc
in die judicii ipsos honoremus et
rum indigentiis pro viribus succu
mus ; imo Dominatorem omnium
dum circumeuntem, et januas ex
nuis transmutantem, et semper
exitus stantem, et manus extend
tem, despici vel honorari in eis
tissime sciamus. Ipse enim dic
Quamdiu fecistis uni ex his fratri

meis minimis, mihi fecistis. [illegible] *Gregorius* : « Fratres [illegible] Lazari, et pœnam divitis [illegible] tes, solerter agite, culpam [illegible] rum intercessores [illegible] advocatos vobis in diem [illegible] peres procurate. Cum [illegible] hoc mundo abjectos aspicitis, etiamsi, qua reprehensibilia [illegible] videantur, nolite despicere. [illegible] tasse quos morum infirmitas [illegible] rat, medicina paupertatis curat. [illegible] rum, si qua sunt talia quæ [illegible] *jure reprehendi, panem* [illegible] et verbum : *panem* [illegible] nis, cum verbo correptionis : [illegible] vobis alimenta percipiat [illegible] quærebat ; dum exterius [illegible] rius satiatur eloquio. Pauper [illegible] cum reprehensibilis cernitur, [illegible] ri debet, et despici non [illegible] ro reprehensionis nihil habet, venerari summopere. Et iterum : « Necesse est, ut, cum [illegible] consortes exteriora non habere [illegible] spicimus, quam multa [illegible] interiora bona pensemus. [illegible] sese super inopes cogitatio [illegible] non elevet, cum solerter [illegible] nos tanto uberius, quanto [illegible] digentes sumus. Negantur electis [illegible]

[illegible]

ORATI[illegible]

Domine Jesu Christe, cum sim [illegible] rum ulceribus, mendicus ante januam [illegible] saturari de micis exemplorum. [illegible] rum, qui induuntur purpura [illegible] culis virtutum ; veniant canes [illegible] meorum, ut moriens mundo, [illegible] cœlestium. Audiam Moysen et Prophetas. [illegible] num, ut ex mortuis operibus resurgens, [illegible] Amen.

CAPUT XVII

DE RESUSCITATIONE LAZARI.

Joannis cap. XI.

1 Morbus Lazari Christo nuntiatur. — Cum autem esset Jesus cum discipulis [illegible]

Joannes [illegible]

tigit Lazarum fratrem Mariæ et Marthæ infirmari in Bethania, quæ inde per dietam, vel circa, distabat. *Sorores* ergo *ejus* curationem fratris sui desiderantes, ***miserunt*** nuntium *ad eum* Jesum scilicet, ut ipsas a dolore, et illum a languore liberaret, *dicentes* : *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Nihil amplius mandant ei ; sufficit enim amanti insinuare necessitatem amici, absque alicujus petitionis additamento speciali. Qui enim proximum in necessitate deserit, nec ei succurrit, amicus ejus non est, nec eum diligit. Unde *Augustinus* : « Non dixerunt : Veni et sana; nec ausæ sunt dicere : Ibi jube, et hic fiet; sed tantummodo : *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Quasi dicerent : Sufficit ut noveris ; non enim amas, et deseris. » Unde et *Chrysostomus* : « Per hoc enim ad miserendum volunt attrahere Christum. » Ideo autem non iverunt ad Christum, sed mittunt, quia confidebant de Christo vehementer, et quia a luctu detinebantur ; et etiam, secundum *Theophilum*, quia mulieres erant, quas non decet de facili domum exire. Magnam autem spem Christo habebant ; diligebat enim Christus Martham actuosam et Mariam contemplativam, quæ tristes erant, et Lazarum qui in figura pœnitentium languebat, quique ei officium humanitatis sæpe exhibuerat. Hoc autem addit Evangelista, ad ostendendum quare non oportuit quod Martha et Maria irent personaliter ad Christum; quia Christus erat familiaris Lazaro, et ejus sororibus, et ibi frequenter veniebat ad hospitandum. Unde *Augustinus* : « Ille languens, istæ tristes, omnes dilecti. Habebant ergo spem, quoniam diligebantur ab eo, qui erat dolentium consolator, languentium sanator. » Spiritualiter Lazarus, qui interpretatur *a Deo adjutus*, pœnitentiæ significat vitam ; in die enim salutis, hoc est in die pœnitentiæ, quando verus sol illuxit, auxiliatur Deus et adjuvat. Martha autem ***provocans*** interpretatur, quæ signat vitam activam, in qua tam virtutis delectatione, quam exempli boni ostentatione, semper homo ad meliora provocatur. **Maria** vero interpretatur ***illuminatrix***, et signat vitam contemplativam, qua homo illuminatur, secundum illud Apocalypsis : ***Mulier amicta sole***, ***et luna sub pedibus ejus***; luminare noctis hujus vitæ, quod splendorem hujus mundi signat, sub pedibus projicit. Hæc tria sunt quæ Dominus libenter visitat, scilicet : pœnitentes, activos et contemplativos : pœnitentes, in gratia compunctionis ; activos, in profectu virtutis ; et contemplativos, in puritate veritatis. Hic nota, quod illi qui Christo plus sunt dilecti, quandoque plus infirmantur et graviora mala sustinent, quam alii. Sicut enim medicus timens de morbo periculoso, ut de acuta, inducit tertianam ut acuta evitetur; sic Christus inducit infirmitates corporales, ut morbus animæ periculosus declinetur, quia sumus proni ad peccandum et ad malum faciendum. Unde *Hugo* : « Præsciens Dominus quosdam *multa posse* peccare, flagellat eos ne *peccent;* quoniam utilius est eis frangi languoribus ad salutem, quam remanere incolumes ad damnationem : » hæc *Hugo.* Sed attendant hi qui infirmantur, vel tribulantur ut se corrigant, quia ille qui jacit sagittam vel lapidem post signum, quanto jacit frequentius, tanto propinquius, ita quod in fine quandoque signum tangit; sic post nos, qui in mundo sicut sagittæ signum sumus, mors vel Deus jacit frequenter per infirmitates et tribulationes, sed quanto frequentius jacit post nos, tanto directius et periculosius, nisi corrigamur.

2 Quo sensu Christus discipulis dixerit : Lazarus amicus noster dormit? — *Audiens autem Jesus* per nuntios sororum Lazari eum infirmari, ***dixit eis*** : ***Infirmitas hæc non est ad mortem,*** id est ad detinendum eum in morte; *sed pro gloria Dei*, scilicet ***ut glorificetur Filius Dei per eam***, in ostensione virtutis suæ, et per resuscitationem Lazari declaretur in Christo veritas deitatis : et hic erat finis infirmitatis. ***Et mansit*** adhuc ***duobus diebus*** trans Jordanem ***in eodem loco*** ubi erat, exspectando mortem Laza-

ri, qui in eodem die mortuus fuerat, quo Dominus nuntium recepit. Distulit sanare, ut posset resuscitare. Ad majorem enim miraculi certitudinem et evidentiam exspectavit, ut illius quatriduum compleretur, ac mirabilius et gloriosius suscitaretur. Unde *Chrysostomus* : « Mansit duobus diebus, ut scilicet exspiraret et sepeliretur, ut nullus posset dicere quoniam nondum defunctum eum suscitavit, sed stupor fuit et non mors. » *Deinde post hæc*, inter alia *dixit discipulis suis* : *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum.* Mortem ejus vocat dormitionem et somnum, quia cito erat surrecturus. Unde, secundum *Augustinum*, Domino, qui poterat suscitare dormiebat; aliis mortuus erat, quia tam facile, imo facilius est Christo suscitare mortuum de sepulchro quam alteri dormientem de lecto. Ubi sciendum, quod somnus accipitur multis modis : quandoque pro somno naturæ, unde in Job : *Securus dormies* ; quandoque pro somno mortis, unde Apostolus : *Nolumus vos ignorare de dormientibus* ; quandoque pro negligentia, unde in Psalmo : *Ecce non dormitabit neque dormiet*, etc ; quandoque pro somno culpæ, unde Apostolus : *Exsurge qui dormis* ; quandoque pro quiete contemplationis, unde in Canticis : *Ego dormio, et cor meum vigilat*; quandoque tandem pro quiete futuræ gloriæ, unde in Psalmo : *In pace in idipsum, dormiam et requiescam.* Mors vero dicitur somnus, propter spem resurrectionis; et ideo mors consuevit appellari dormitio, ab eo tempore quo Christus mortuus est et resurrexit. *Discipuli* autem *ejus* intelligentes de dormitione somni, et timentes reverti in Judæam, ubi volebant eum lapidare, *dixerunt : Domine, si dormit, salvus erit.* Dormitio enim infirmi signum est salutis. Unde *Chrysostomus*: « Discipuli autem impedire voluerunt Domini adventum in Judæam, ubi Pharisæi quærebant eum interficere; ideo dixerunt : *Domine, si dormit, salvus erit.* Solet enim esse somnus ægrotantium salutis indicium. Quasi dicerent : Si dormit, non igitur utile est quod tu vadas ad excitandum eum. Stultum enim erat ire per tot stadia, ut Lazarum a somno excitaret. » hæc *Chrysostomus.*

3 Aperte eis mortem Lazari nuntians pergit Bethaniam. — *Tunc ergo Jesus dixit eis manifeste* : *Lazarus mortuus est, et gaudeo*, scilicet non de morte ejus absolute, sed *propter vos*, id est propter ædificationem atque utilitatem vestram, *quoniam non eram ibi, ut credatis* scilicet amplius et fortius quam prius ; et ex miraculo mox futuro sumentes experimentum divinitatis meæ, in illius resurrectione in fide magis roboremini, cujus mortem etiam ego absens vobis annuntio et revelo. Vide mirabilem bonitatem, ac dilectionem et solertiam Domini circa discipulos, qui indigebant adhuc majori robore et virtute. Unde *Augustinus* : « *Gaudeo*, inquit, *propter vos* ; nam cum illic non exstiterim, confert ad majoritatem fidei vestræ, quoniam si adstitissem, ægrotantem curassem, quod esset modicum signum ad meæ virtutis indicium. Quia vero, me absente, supervenit mors, potius in fide mea corroborabimini, cum videbitis me posse et defunctum putrescentem resuscitare. » Et, secundum *Chrysostomum*, dicit hoc, ut jam inciperent admirari, quia Dominus poterat dicere mortuum, quod nec viderat, nec audierat, ut cognoscentes eum nihil latere, magis in eum crederent. Perrexerunt ergo Dominus et discipuli ejus, et venerunt prope Bethaniam. *Erat autem Bethania juxta Jerosolimam, quasi stadiis quindecim*, de quibus octo faciunt unum milliare ; nec statim intravit, ostendens se ad miracula facienda non ingerere, et ut probaretur devotio feminarum sanctarum sibi occurrentium, scilicet Marthæ et Magdalenæ.

4 Martha et Maria Domino occurrunt. -- Ubi, dum adhuc esset extra castellum, Martha audivit quia Jesus venit; ipsa enim curam domus habebat, et ideo primo nuntiatur ei adventus Christi per aliquem qui eum prævenerat; dimittensque sororem suam et Judæos, qui de Jerusa-

lem et aliis vicinis locis ad consolandum eas venerant, quia nobiles dominæ erant, sola ivit, et Christo reverenter et devote occurrit. Unde ait *Theophilus* : « Primo itaque non pandit sorori, volens astantes hoc latere, quibus notum foro adventum Christi nolebat. » Unde et *Chrysostomus* : « Non autem assumit sororem, dum Christo obviam vadit; vult enim singulariter Christo loqui, et quod factum est ei annuntiare. Cum vero eam in bonam spem duxit, tunc abiit et vocavit Mariam : « hæc *Chrysostomus*. ***Dixit ergo Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hic***, localiter præsens, ***frater meus non fuisset mortuus***, cum mors locum habere non debeat, ubi est vita. Et post dialogum de resurrectione cum Domino habitum : ***Abiit , et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens : Magister adest, et vocat te***. Ubi *Augustinus* : « Avertendum quod suppressam vocem silentium vocavit. Ideo autem occulte sororem vocat, quia si scivissent Judæi Christum advenire, recessissent, et non fuissent testes miraculi : » hæc *Augustinus*. Illa vero, Maria scilicet, ***ut audivit, surgit*** a quiete contemplationis ***cito*** per desiderium cordis, ***et venit*** ex magna devotione ***ad eum*** extra castellum, in locum, ubi ei Martha occurrerat. ***Judæi ergo***, Jerosolymitæ, et alii, ***qui erant cum ea, in domo et consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam***, credentes quia iret ad monumentum, ut ibi ploraret, et nescientes quod illic Jesus esset. Divina autem providentia factum est ut eam sequerentur, quia, secundum *Augustinum*, hæc occasio fecit ut plures ibi essent, quando Lazarus suscitatus est, ut tam grande miraculum quatriduani mortui resurgentis testes plurimos inveniret. ***Maria ergo, cum venisset ubi erat Jesus, videns eum cecidit***, ex devotione, ***ad pedes ejus***, apud quos misericordiam et peccatorum veniam se noverat alias consecutam; ***et dixit ei***, sicut et Martha dixerat : ***Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus***. Ex hoc autem quod Maria sic festinavit ad eum, patet, secundum *Augustinum*, quod non illam prævenisset Martha, si ei notus fuisset adventus Jesus. Per hoc etiam quod Martha et Maria obviaverunt Domino, non exspectantes adventum ipsius, datur intelligi, quod cum volumus Deo reconciliari, debemus ei occurrere per pœnitentiam, antequam ad nos veniat per vindictam; quia nos peccatores sumus et meruimus percussionem et pœnam. Cessat autem, ut dicit *Ambrosius*, divina vindicta, si confessio præcurrat humana; et cum volumus Christo frui, eum venientem anticipemus, non exspectantes quod ipse nobis condescendat, sed nos potius ad eum festinemus.

5 Fremitus, turbatio et lacrymæ Christi. — ***Jesus ergo, ut vidit eam plorantem***, scilicet Mariam, ***et Judæos, qui venerant cum ea plorantes*** de morte amici, ***infremuit spiritu et turbavit seipsum***, humanum demonstrans affectum in luctu amicorum. Fremebat, extra sonum lugentis emittens; turbabatur intus , miseriam conditionis humanæ considerans. Turbavit se, quem alius turbare non potuit. Nos turbamur ex necessitate, ipse autem ex voluntate. Sic omnes defectus hujuscemodi suscepit, quia voluit. Unde *Augustinus* : « Turbatus est Christus, quia voluit ; esurivit, quia voluit ; in illius potestate erat sic vel sic affici, vel non affici. » Et nota quod fremitus consurgit ex indignatione ad objectum. Iste ergo fremitus Christi procedebat ex indignatione ejus contra diabolum, per cujus suggestionem mors intravit in mundum, quem erat cito debellaturus. Turbatio autem illa procedebat ex compassione Lazari et sororum ejus, quia ut verus homo ex quadam naturali affectione flebat cum flentibus, ut nos instrueret quod aliorum miseriis compati debemus. Istæ tamen passiones et consimiles non erant in Christo vitiosæ, sed magis virtuosæ, quia non erant prævenientes judicium rationis, sed magis sequentes et per ipsum excitatæ. Iste vero fremitus et hæc turbatio nos docet, quid nos quoque in tali re

agere debeamus, quando vel pro nobisipsis, vel pro aliis in peccatis turpiter degentibus Deum oramus. Est autem fremitus, impetus iræ contra vitia prorumpens; turbatio autem, quædam tristis cum gemitu cordis commotio. Et quia fides de Christo, Christus est : in corde fremit Christus, et turbatur in homine, quando peccator computat quæ bona accepit, quæ mala reddidit, et de peccatis se increpat, et reprehendit. *Et dixit* eis Jesus : *Ubi posuistis eum?* Interrogat, nec ignorat ; in quo mystice innuit se hujusmodi peccatorem nescire, cujusmodi per Lazarum significatur. Unde ait *Glossa :* « Qui absens scivit mortuum, scivit ubi esset sepultus. Sed sic dicens, signat se quasi nescire perditum hominem. » Unde in Scriptura: *Non novi vos*; et : *Adam ubi es?... Dicunt ei : Domine, veni et vide* : venit Dominus per compassionem, et vidit oculis misericordiæ, quia, ut ait *Augustinus*, videt Dominus, quando miseretur. *Et* affectum suum lacrymis demonstrans, *Jesus lacrymatus est*, humanitus ex pietate; mystice vero docens hominem propter peccatum fletibus indigere, et significans eos qui peccati morte sopiuntur, ut reviviscere queant, plangendos esse. Unde ait *Alcuinus* : « Quia fons pietatis erat, flebat pro parte humanitatis, quem resuscitare poterat per potentiam divinitatis.» Unde et *Augustinus* : « Quare autem flevit Christus, nisi quia homines flere docuit? Lacrymemus igitur et nos, pro nobis, et omnibus illis, quos in fœtore vitiorum jacere sentimus; si forte nostris lacrymis nos et eos Dominus resuscitare dignetur. » Ut autem ait idem *Augustinus* : « Legitur Christum super Lazarum flevisse, in orationibus pernoctasse, ex itinere fatigatum fuisse; numquam autem risisse, aut prosperatum fuisse. » Unde et *Chrysostomus* : « Flentem quidem illum frequenter invenies; numquam vero ridentem, sed nec leviter saltem subridentem, vel gaudentem. » Et nota quod Dominus non flevit Lazarum mortuum; sed ad hujus vitæ miserias et ærumnas resuscitandum. Unde nec pro nostra, nec pro aliorum morte tristari debemus. Quomodo enim ab eo præmiis honorabimur, ad quem venimus inviti? Nam, secundum Apostolum : *Caronam justitiæ reddet Dominus his, qui diligunt adventum ejus*. Et quid tantopere vitam desideremus, in qua quanto magis quis fuerit, tanto majori sarcina peccatorum oneratus erit? Vel certe, Dominus mortem flevit, quam homo peccando incurrit, ac miserias et ærumnas humano generi pro culpa indictas. Si enim peccatum non processisset, sine dubio mors secuta non fuisset; secuta est ergo mors etiam corporis, quam præcessit mors animæ.

6 Dominus orans ad monumentum Lazari quid nos doceat ? — *Jesus ergo rursum fremens in semetipso*, etiam indignatus contra malitiam Judæorum, de factis suis inique murmurantium, *venit* motus misericordia et compulsus compassione, *ad monumentum ; erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei*. Et dicitur monumentum, quasi monens mentem, scilicet illius qui aspicit, ut pro anima sepulti oret, ac de morte propria præcogitet, et ad eamdem se disponat. Rursum fremuit, ut det intelligere eos qui a peccatis debent resurgere, in continuo luctu persistere, secundum illud Psalmistæ: *Tota die contristatus ingrediebar*. Sæpe ergo se ploret peccator, sæpe fremat Christus et turbetur in homine, si vult reviviscere. Et jussit Jesus tolli lapidem superpositum, ut omnes viderent mortuum fœtidum et corruptum ; sed contendebat *Martha*, quæ *dicit ei* : *Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim*. Timebat, remoto lapide, potius fœtorem excitari, quam fratrem resuscitari. Quasi diceret : Licet aliquando resuscitati sint mortui recenter et post paululum, tamen quod jam quatriduanus ex fœtore resolutus resuscitetur, numquam est sic auditum. Et hoc videtur processisse ex admiratione Marthæ et ejus ignorantia, quia ejusdem virtutis est resuscitare recenter mortuum, et quatriduanum. Vide mirabilem amorem

istarum sororum erga Dominum Jesum; nolebant enim quod etiam fœtor nares ejus tangeret ad modicum. Deinde, sublato lapide, *Jesus, elevatis sursum*, in cœlum scilicet, *oculis*, Patri pro exauditione sua gratias egit, ad fidei ædificationem, ut circumstantes hoc audientes, et virtutem Dei in eo videntes, crederent eum esse Filium Dei. Unde *Hilarius* : « Non prece eguit; nobis oravit, ne Filius ignoraretur. Cum enim sibi non proficeret deprecationis sermo, ad profectum tamen nostræ fidei loquebatur. Non inops ergo auxilii, sed nos sumus inopes doctrinæ. » Ideo etiam oravit, ut in necessitatibus ad orationis suffragium esse recurrendum nos doceret. Et notandum, quod orare Patrem, et exaudiri, convenit Christo ratione humanitatis, in qua est minor Patre; non autem ratione divinitatis, in qua est ei æqualis. Oraturus vero gratias pro exauditione egit, quia jam se auditum cognovit. Unde *Origenes* : « Erat enim oraturus pro resurrectione Lazari, sed præveniens illius orationem, qui solus bonus Pater est, exaudivit dicenda. Pro impletione ergo orationis, subdit gratiarum actiones, ideo *dixit* : *Pater, gratias tibi ago, quoniam exaudisti me* : » hæc *Origenes*. Per hoc quod Jesus oculos elevat in cœlum, ostendit nobis formam orandi, quæ est per elevationem mentis in Deum. Unde instruimur, ut in oratione levemus sursum ad Deum oculos mentis nostræ, erigendo et removendo illos a præsentibus rebus, memoria, cogitatione atque intentione. Oculos etiam ad Deum levamus, quando non confidentes de meritis nostris, de sola misericordia Dei speramus. Per hoc autem quod in principio orationis gratias agit, datur nobis exemplum ut cum orare volumus, antequam futura petamus, pro receptis beneficiis Deo gratias referamus. Deus enim ex gratiarum actione de præteritis, facilius provocatur ad præstanda beneficia sequentia.

7 LAZARUS VIVUS EXIT A MONUMENTO. — Deinde, *hæc cum dixisset, voce magna*, potius virtute, quam clamoris intentione, *clamavit* : *Lazare, veni foras*, scilicet quantum ad corpus de sepulcro, et quantum ad animam de inferno; et sic Lazarum vocis suæ virtute suscitavit. Ubi, secundum *Origenem*, est considerandum, quod mora tollendi lapidem adjacentem ex sorore defuncti causata est, et ideo tamdiu resuscitatio fratris dilata est, quamdiu Christum per verba detinuit; sed statim, cum Christi mandatum obedientia exsequitur, frater resuscitatur, ut per hoc discamus nihil interponere inter jussa Christi et exsecutionem ipsorum, si cupimus quod statim sequatur salutis effectus, secundum illud Psalmistæ : *In auditu auris obedivit mihi*. Et nota, quod vox Christi magna dicitur, propter virtutis magnitudinem; nam tanta virtus ejus fuit quod suscitavit Lazarum a morte, quemadmodum suscitatur dormiens a somno vel a sopore. Vox etiam ista magna repræsentativa est illius vocis magnæ, quæ erit in communi resurrectione, per quam omnes de monumentis resuscitabuntur. Tanta enim erat virtus hujus vocis *Christi*, ut absque temporis dilatione vitam conferret, sicut erit in resurrectione communi, quando *in ictu oculi*, mortui audientes sonum tubæ resurgent. Clamavit, inquam : *Lazare veni foras*, quem, secundum *Augustinum*, ideo ex proprio nomine vocat, quia tanta erat virtus vocis ejus, quod pariter omnes mortui cogerentur exire, nisi per expressionem nominis virtutem suam ad unum determinasset. *Et statim* non solum suscitatus est Lazarus, *qui fuerat mortuus*, sed *prodiit* et exivit, licet esset *ligatus pedes et manus institis*, id est faciis, quibus antiqui mortuos involvebant; *et facies illius sudario erat ligata*, ne scilicet horrorem faceret. In quo virtus divina et miraculi certitudo declaratur, ideo enim ligatum et coopertum resurgere jussit, ut miraculum magis approbaretur. Unde Dominus discipulis præcepit, ut eum qui foris ligatus apparebat solverent; dixit enim illis : *Solvite eum et sinite abire*; ut per opera vitæ ostenderetur vere suscitatus et non phantastice.

8 **Mystice, mors animæ per mortem Lazari signata.** — Hic est notandum quod mors animæ est animæ a Deo derelictio damnosa, quod fit per peccatum mortale, quo Deus repellitur ab anima. Unde, secundum *Augustinum*, mors animæ fit, cum deserit eam Deus; sicut corporis, cum id deserit anima. Quatuor autem progressibus mors animæ perficitur, et sic quatriduanus mortuus dici meretur : prima est quasi titillatio delectationis in corde; secunda, consensio; tertia, factum; quarta, consuetudo. Sed Deus ab hac morte animam ad vitam resuscitat per gratiam, qua anima Deo reconciliatur. Quia sicut corpus vivit ex conjunctione animæ; sic anima dicitur vivere ex unione Dei, per gratiam sanctificantem. Et hæc vivificatio significatur in resuscitatione Lazari de sepulcro.

9 **Decem quæ debent concurrere in peccatoris resuscitatione, per circumstantias suscitationis Lazari signata.** — In resuscitatione enim Lazari plura facta sunt, quæ mystice ad resuscitationem peccatoris concurrere debent. Nam eo ordine quotidie peccator resuscitatur, quo Lazarus resuscitatus dicitur; et talis fit quotidie processus in resuscitatione animæ a morte peccati, qualis fuit in resuscitatione Lazari de fœtore sepulchri. — Primum ergo quod requiritur ad resuscitationem peccatoris, est notitia divina actualis, qua Deus respicit peccatorem, in aliquo tempore certo; et hæc significatur per hoc quod sorores Lazari miserunt nuntium ad Jesum, sibi de infirmitate Lazari notificando. — Secundum est auxilium, quod Deus porrigit homini, ut liberum arbitrium moveatur in Deum, et sic anima, per peccatum a Deo aversa, convertat se ad ipsum : *Non* enim *est volentis* velle, *neque currentis* currere, *sed miserentis Dei* hæc donare, et ideo requiritur auxilium divinum, ut nos melius ad gratiam disponamus; et hæc porrectio divini auxilii signatur per hoc quod Jesus ad Lazarum ire dignatus est. — Tertium est motus liberi arbitrii nostri, quia, secundum *Augustinum*, licet Deus creavit te sine te, non tamen justificabit te sine te; et ideo ex parte nostri requiritur motus liberi arbitrii, qui duplex est : unus, quod movetur super peccatum, ut scilicet peccatum ei displiceat; alius, quo movetur in Deum per fidem et spem, quo Deum sibi reconciliari desideret. Et hi duo motus notantur per occursum duarum sororum, scilicet Marthæ et Mariæ, ita quod primus motus intelligatur per Martham, quæ prior occurrit; secundus, per Mariam, quæ venit vocata per Martham : sic enim hic, ex primo motu provocatur secundus. — Quartum est cognitio peccati, in quam Deus quærendo reducit hominem, ut homo se cognoscere studeat, quem Deus quærendo quasi nescire se significat; et hoc signatur per hoc quod interrogavit, ubi eum posuerunt. — Quintum est gratia contritionis, quæ sequitur motionem liberi arbitrii, et cognitionem peccati; et hæc significatur per lacrymationem Christi, quæ quidem lacrymæ processerunt ex fonte divinæ misericordiæ, et his lacrymis quotidie peccator perfunditur, cum sibi hæc gratia infunditur. Christus enim non est lacrymatus pro morte Lazari corporali; sed pro morte peccatoris spirituali, qui in Lazaro repræsentabatur. Caveat ergo peccator ne lacrymas Christi contemnendo gratiam sibi evacuet, sed potius cum Christo flente, peccata sua defleat et sic effectum lacrymarum Christi suscipiat. — Sextum est propositum cavendi peccata in futurum, et hoc notatur in eo quod præcepit amoveri lapidem. Tunc enim lapis sepulcro tollitur, cum durities propositi peccandi, et moles malæ consuetudinis de corde amovetur. Et cum lapis deponitur, tunc fœditas cadaveris detegitur, unde dixit Martha : *Domine, jam fœtet*; sic duritia cordis amota, videtur vilitas peccati, ex quo sequitur peccati abominatio, et concipitur propositum ulterius non peccandi. — Septimum est gratiæ infusio, qua justificatur impius; et hoc notatur cum *voce magna clamavit* dicens : *Lazare, veni foras.* Clamor magnus signat multitudinem divinæ virtutis, quæ

exigitur in justificatione impii, quia, secundum *Augustinum*, major est justificatio impii, quam creatio cœli et terræ. Voce enim magna clamavit, quia difficile surgit quem moles malæ consuetudinis opprimit; sed tamen post magnam vocem surgit, id est per magnam Dei gratiam vivificatur et justificatur, dum pœnitet. Datur etiam per hoc intelligi, quod Christus vocat peccatorem foras exire de conversatione peccati, et de occultatione ejus, per confessionem faciendam sacerdoti. — Octavum ergo est peccatorum confessio, quam Deus administrat voce clamando, id est magna gratia vocando; et hoc notatur in eo, quod Lazarus prodiit de sepulchro; prodire enim est de occulto per confessionem venire. Sed adhuc peccator non est totaliter solutus, antequam superveniat absolutio sacerdotis; quod significatur per hoc quod *prodiit ligatus pedes et manus institis*. — Nonum ergo est sacramentalis absolutio; quæ significatur per hoc quod Christus dixit discipulis: *Solvite eum*. Potuisset quidem immediate simplici verbo ipsummet solvere, sicut fecit ipsum de monumento prodire; sed voluit suos discipulos in hoc cooperatores habere, quia vult hoc ministerium sacerdotibus communicare. Suscitat Jesus, quia per semetipsum vivificat interius; solvunt discipuli, quia ministerio sacerdotum absolvuntur vivificati: Christus enim, dum per se intus vivificat, ministris potestatem solvendi tribuit. Mortuus ergo procedens adhuc ligatus est confitens adhuc reus; ut autem absolvantur peccata ejus, ministris mandatur ut illum solvant. Sicut ergo Dominus Lazarum suscitavit, priusquam a discipulis solveretur; sic in contritione peccatum dimittit, et peccatorem vivificat, priusquam a sacerdote absolvatur, cui tamen postea se ostendere tenetur. — Decimum et ultimum est satisfactio; quæ signatur in hoc quod Jesus subdidit: *Et sinite eum abire*. Non dicit: Facite eum ad sepulchrum redire. Sic sacerdos debet principaliter pro satisfactione injungere homini quod de sepulchro et profundo peccatorum et malæ consuetudinis longe abeat, et nullatenus recidivet, et amplius non peccet. Dixit enim: *Sinite* eum *abire*, non stare, vel jacere sine exercitio spirituali; quia in Dei via stare, retrocedere est, sed debet ambulare juxta illud Psalmi: *Ibunt de virtute in virtutem*.

10 In sensu morali Lazarus est typus graviter tentatorum. — Item mystice, per Lazarum languentem, significari etiam potest gravem tentationem patiens; et per ejus sorores, personæ pro ejus alleviatione devote Christum precantes, quæ non semper exaudiuntur; sed talis patiens aliquando per actum peccati mortalis mori permittitur, ab eo qui est tantæ bonitatis et potentiæ, quod scit et potest bona de malis elicere. In hoc autem quod Dominus vadit ad eum suscitandum, ostenditur ejus clementia: in quantum homines in peccatis existentes et quasi mortuos, ac per se ad Deum accedere non valentes, misericorditer præveniendo attrahit; et peccatorem non solum mortuum per culpam, sed etiam aliquando fœtentem per infamiam, et sepultum sub lapide per obstinationem, sic reducit ad vitam gratiæ, quod non solum tollitur obstinatio et mors culpæ, sed etiam fœtor infamiæ, et reducitur suavis odor bonæ famæ. Nulla enim desperationi datur occasio, cum Lazarus jam fœtens, et quatriduanus resurrexit a mortuis et monumento. Locus autem infirmi erat Bethania, quæ interpretatur *domus obedientiæ*, per quod datur intelligi, quod si infirmus sit Deo obediens, potest ab eo de facili curari. Et, secundum *Anselmum*, in Bethania, quod domus obedientiæ interpretatur, Dominus Lazarum suscitavit, ut ostenderet omnes, qui bonæ voluntatis studio huic mundo morientes, in sinu obedientiæ requiescunt, in vitam æternam a Deo resuscitandos. Ista autem Bethania erat Marthæ et Mariæ, per quas duplex vita, scilicet: activa et contemplativa significatur; ut sic per hoc intelligi detur, quod per obedientiam homo perfectus in vita activa et contemplativa redditur. Dicitur autem de

Lazaro quod postea numquam risit; et numquam in gestu signa jocosa ostendit; pro eo quod vitæ hujus ærumnis, quas moriens evaserat, redditus fuit. Magis enim quam ante factus amator vitæ illius, pœnitebat eum vitæ istius. Unde *Augustinus* : « O si possemus excitare homines, et cum ipsis pariter excitari, ut tales essemus amatores vitæ permanentis quales sunt homines amatores vitæ fugientis! »

11 Tempus quo patratum est hoc miraculum et ipsius effectus. — Creditur autem hoc factum, ea die qua in Ecclesia solet legi, scilicet feria sexta ante dominicam de Passione Domini. Monumentum vero Lazari demonstrat ecclesia ibidem in honorem beatæ Mariæ Magdalenæ constructa, et grande monasterium magna olivarum silva circumdatum, ubi erat abbatia sancti Lazari, cum abbatissa et monialibus Ordinis sancti Benedicti. ***Multi ergo ex Judæis qui viderant*** mirabilia, ***quæ fecerat Jesus, crediderunt in eum.*** Nec mirum, quia illud signum fuit divinæ virtutis manifeste ostensivum, et tale miraculum non est a seculo auditum, scilicet quod mortuus quatriduanus in monumento resuscitaretur ad vitam. Unde, secundum ***Augustinum***, hoc excedit omne miraculum, quod Jesus circa Lazarum fecit, quem ab ipso inferni inquilino, destructa lege tartarea, redire ad superos jussit. ***Quidam autem ex ipsis*** Judæis ***abierunt*** eadem die ***ad Pharisæos, et dixerunt*** nuntiaveruntque ***eis quæ fecit Jesus***; et celebris erat ser, mo de eo apud multos. Alii bono, alii malo zelo moti nuntiaverunt, quia sicut ex signis visis boni convertuntur et proficiunt, ita frequenter mali obdurantur et deficiunt. Boni quidem nuntiaverunt eis, ut mitigarent eos circa Jesum, et provocando ut crederent; mali vero, ut concitarent eos contra Jesum, et prodendo ut sævirent. Per bonos illi signantur, qui bona in aliis sicut in se amant, et omnia in bonum interpretantur; per malos autem, illi qui videntes servorum Dei opera, odiis insequuntur et infamare conantur.

ORATIO

Benignissime Jesu, qui quatriduanum Lazarum jam fœtentem a sepulchro resuscitasti, et a vinculis solvere, ac libere abire fecisti, moveantur, obsecro, viscera misericordiæ tuæ super me miserum, peccati delectatione, consensu et perpetratione mortuum, mole malæ consuetudinis oppressum et sepultum, jamque quatriduanum et fœtidum; et me a sepulchro vitiorum resuscita, ut per confessionem foras veniam. Resuscitatum a vinculis peccatorum et mortis solve; solutum ab omni servitute, liberum, in libertatem gloriæ filiorum Dei ire concede. Amen.

CAPUT XVIII

DE CONSPIRATIONE PONTIFICUM ET PHARISÆORUM CONTRA JESUM.

Joannis cap. XI.

1 Concilium a Pharisæis contra Jesum collectum. — Prædicto itaque miraculo de resuscitatione Lazari publicato, ***Pontifices***, qui erant majoris auctoritatis et magis litterati, ***et Pharisæi***, qui videbantur præ aliis religiosi, ex quibus factum eorum gravius erat, moti sunt ad tractandum publice de morte Christi, ex ira et invidia, quam de fama et gloria ejus habe-

bant; et ad hoc faciendum *collegerunt concilium*, sabbato mox sequenti, adversus Jesum, timentes si dimitterent eum sic viventem et signa talia facientem, per ipsum amittere et locum et gentem, eo quod omnis turba post eum iret, eique crederet; et ipsa sacra eorum vana et abolenda esse doceret. *Dicebant* enim : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum*. Concilium a conciliando est dictum, quia conciliati et congregati erant in unum malum consensum. Et hoc erat primum concilium, quod habuerunt contra Jesum. Prius quidem quærebant eum interficere, nunc autem sententiam firmaverunt, et quærentes concilium, aperte de morte ejus tractaverunt. Videbant enim Christum a populo tamquam regem honorari, et quia mandatum Romanorum erat, ut nullus nisi per eos deberet rex nominari : *Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari*; ideo timebant quod si Christum tamquam regem haberent, Romani ipsos rebelles reputarent : *Et venient Romani contra nos, et tollent nostrum locum* scilicet civitatem, *et gentem*. Vel timebant etiam, ne si Christi doctrina procederet, templum et universa religio, ac reverentia ejus vilipenderetur, et Judæis nullius momenti fierent; et ideo Romani civitatem eis auferrent, eosque in servitute dispergerent. Vel certe timebant, ne si omnes in Christum crederent, nemo remaneret qui adversus Romanos civitatem templumque defenderet; quoniam contra ipsum templum, et contra suas paternas leges doctrinam Christi esse sentiebant. Pontifices et Pharisæi sibi consulebant, nec tamen credere volebant. Plus etenim perditi homines cogitabant quomodo alteri, scilicet Christo, nocerent ut perderent, quam quomodo sibi consulerent ne perirent. Timebant et consulebant : *Sed trepidaverunt timore, ubi non erat timor*. Si enim Christo credidissent, si eum non occidissent, nec locum, nec gentem amisissent; sed quia Christum occidere non timuerunt, et locum, et gentem perdiderunt. Nam et Romani post Domini Passionem et glorificationem, tulerunt eis locum et gentem : expugnando, occidendo, et transferendo. Temporalia perdere timuerunt, et æterna non cogitaverunt, et sic utraque amiserunt. Quæ ut fugituri egerunt, hæc ipsa, quia egerunt, non effugerunt. Quid vobis profuit, o insani Judæi, quod tantum scelus commisistis? Numquid, quia Christo Domino, ut decuit, servire noluistis, ideo domino caruistis? Dum enim illi serviunt reges, quibus vos servitis, facti estis mali servi bonorum servorum Christi. Per quos conterit contumaciam vestram, per ipsos dissipat consilia vestra, per ipsos retribuit scelera vestra in capita vestra. Ipse autem Dominus, quem interemistis, non vos servos, sed liberos esse cupiebat; quando dicebat : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis*. Vos autem Dominum Deum Regem et ipsam veram libertatem non solum repudiastis, verumetiam negare cupientes clamastis : *Non habemus regem, nisi Cæsarem*. Considera quot sunt hodie homines, etiam religiosum habitum gestantes, qui Judæos imitando temporalia perdere metuunt, et æterna non attendunt; sic quod utraque non immerito amittunt. Sunt enim plerique etiam religiosi, qui temporalia quandoque minus juste et oblique acquirentes, vel sic acquisita possidentes, ea dimittere trepidant, et pro his æterna amittere non formidant. Et quia nunc, cum Judæis tenebras diligunt interiores, scilicet culpæ, ideo tunc cum eis in tenebras mittentur exteriores, scilicet gehennæ. Religiosus ergo cupidus, vel vanus, est lamentabilis, quia miserabilior est quodammodo omnibus creaturis, scilicet carens Deo et mundo.

2 Caiphæ prophetia. — Tunc *Caiphas, cum esset* Pontifex *anni illius*, quid eis faciendum erat decrevit, et propter auctoritatem officii locutus est, et *dixit eis* : ...*Quia vobis expedit ut unus homo*, etiamsi bonus et justus esset, *pro populo moriatur* et populi conservatione, *et non tota gens pereat*, si ille in vita maneat; quia bonum commune magis est eligendum, quam

particulare. Hic patet manifeste quod passio invidiæ et livoris contra Jesum, et passio timoris perdendi gentem et locum subvertebat in eis rationis judicium, quia in nullo casu licitum est interficere innocentem et justum; per hoc enim non procuratur, sed magis destruitur commune bonum. Propter quod judicio Dei illud malum, quod credebant per mortem Christi evadere, scilicet destructionem loci et gentis, hoc per mortem Christi incurrerunt, quia in pœnam hujus peccati Romani locum et gentem destruxerunt, quod per Titum et Vespasianum, anno quadragesimo secundo post Passionem Christi, factum est. Prophetizavit autem Caiphas utilem humano generi mortem Christi, licet nesciens. Quamvis enim esset intentio Caiphæ dare solummodo consilium de morte Christi, pro temporalis periculi evasione, circa populum Judæorum, tamen verbum suum sic sonabat, quod Salvator Christus erat moriturus pro gente et populo; et quod sic protulit, fuit prophetia quodammodo de futuro, quod Christus erat moriturus pro salute spirituali, non solum Judæorum, sed etiam omnium Gentium, qui credituri erant in ipsum, et per fidem congregandi. Unde *Theophilus :* « Hoc ipse quidem prava dixit intentione; sed tamen Spiritus Sancti gratia ore ejus usa est ad futuri præsagium : » hæc *Theophilus.* Non tamen sequitur, quod quicumque prophetat sit Propheta, nam quandoque alicui conceditur actus alicujus rei, cum tamen conditio ei non conceditur. Unde *Origenes :* « Non quicumque prophetat Propheta est; sicut non quicumque jus prosequitur justus est, scilicet qui facit aliquod opus propter humanam gloriam : » hæc *Origenes.*

3 Triplici de ratione expedivit Christum mori. — Expediens autem et necessarium fuit Christum pro nobis pati et mori, ratione triplici : primo, ad ostendendum circa non judicium divinæ dignationis et pietatis; secundo, ad exsolvendum pretium nostræ redemptionis, quod fuit pretiosus immaculati Jesu Christi sanguis; tertio, ad præbendum exemplum nostræ imitationis, ut sequamur vestigia ejus. Insuper et alia ratione triplici expediebat Christum mori. — Primo, quia homo mortuus erat, et ideo expediebat ut Christus mortem nostram destrueret, et hominem vivificaret. Erat autem homo mortuus quadruplici morte, scilicet : naturæ, culpæ, gehennæ et ex privatione visionis divinæ; primam destruxit, per suam gloriosam resurrectionem; secundam, per sui sanguinis effusionem; tertiam, per inferni exspoliationem; quartam, per suæ visionis restitutionem. — Secundo, quia homo erat perditus; ideo expediebat ut Christus ad nos veniret, ac mortem subiret, et sic hominem perditum inveniret. — Tertio, quia homo erat a Deo divisus et dispersus; ideo expediebat *ut* Christus *filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum*, et sic eos ad Deum revocaret. Caiphas ergo prophetizavit quidem, id est verba prophetiæ protulit. nec tamen erat Propheta, quia inspirationem propheticam non accepit, et donum prophetiæ non habuit, sicut et Balaam. Unde, secundum *Augustinum*, docemur etiam homines malos prophetiæ spiritu futura prædicere, quod tamen Evangelista divino tribuit sacramento, id est virtuti ipsius sacramenti, scilicet summi sacerdotii. Caiphas enim *hoc a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex*, id est summus sacerdos *anni illius*, et ministerium habens in manibus, non meritis suis *prophetizavit* et Spiritu Dei locutus est; quia, ipso ignorante, dictum propheticum protulit, non ratione meriti sui, sed dignitate officii; et forte unctio pontificalis contulit ei quemdam sensum prophetandi. Unde *Chrysostomus :* « Vide autem quanta Spiritus Sancti virtus est; a mente enim mala valuit verba proferre prophetiæ. Vide etiam quanta est pontificalis virtus potestatis; Pontifex enim effectus Caiphas, etsi indignus existens, prophetavit, nesciens quid diceret. Ore enim solum usa est gratia; contaminatum cor non contigit : » hæc *Chrysostomus.* Ob quam auctoritatem solum credimus malum prælatum exaudiri, et forte, quia præco

Ecclesiæ est, et in ejus voce dicit : *Oremus;* cum multæ auctoritates faciant in contrarium, ut illa : Qui suis premitur, aliena non diluit, et hujusmodi. Dicitur autem Caiphas fuisse Pontifex anni illius, quia, licet Deus constituerit summum sacerdotem unum, cui mortuo unus succederet, per ambitionem tamen postea evenit ut plures essent, et per annos singulos suis vicibus ministrarent.

4 Cur, habito hoc pravo concilio, fugerit Dominus? — *Ab illo ergo die*, quasi utili accepto consilio, *cogitaverunt* magis diffinite quam prius, *ut eum* Christum, quam citius possent, *interficerent*, dicentes : ut inventus duceretur in Jerusalem; licet enim ante habuissent instinctum et voluntatem interficiendi ipsum, tamen ex consilio Caiphæ diffinierunt firmo proposito hoc, quam citius possent, adimplere. O pravum concilium! O pessimi duces populi! O consiliarii nequissimi! Quid agitis, miseri? Quid vos furor exagitat tantus? Quæ ordinatio est ista ? Quod propositum? Quæ causa accusationis Domini nostri Jesu Christi? Nonne ipse in medio vestrum est, quem tamen nescitis; et intelligit omnia verba vestra, et scrutatur corda et renes? Sed, sic fieri oportet ut deliberastis, quia tradidit eum Pater suus in manibus vestris. Quia ergo Jesus jam destinatus erat morti, ideo ab ipso sabbato, quo concilium collegerunt, inchoamus memoriam Dominicæ Passionis in divino officio, maxime in hymnis; et subticemus *Gloria Patri* in introitu missæ et responsoriis; et quasi post horam ejusdem concilii publicum luctum incipiens Ecclesia, et suo compatiens Domino, sicut membra capiti, ex tunc quasi lugendo recitat : Vexillum regis, mysterium crucis, clavos et lanceam perforati corporis, et his similia usque ad diem Passionis, nondum tamen plene, quia nondum traditus erat Dominus in lanistrarum manus; unde dominicam et hebdomadam illam, de Passione Domini appellamus. Divulgatum autem fuit istud concilium de occisione Christi habitum. Sed sapiens Dominus *Jesus* volens dare locum iræ, et etiam quia nondum erant omnia completa, necdum venerat hora ejus qua tradendus erat et crucifigendus, post concilium cautius se observans, *jam non in palam ambulabat apud Judæos*, neque ad aliquam eorum civitatem populosam *abiit, sed in regionem juxta desertum*, ubi pauci de Judæis erant, et non frequentia insidiantium, *in civitatem quæ dicitur Ephrem*, quæ erat parva et parum populosa, ac magis secreta; *et ibi morabatur cum discipulis suis*, usque ad tempus suæ Passionis propinquum. Sed stetit ibi paucis diebus cum discipulis, se occultans ad tempus. Ubi ait *Chrysostomus :* « Ipsi autem quando omnes lætabantur, et festum celebrabant, tunc occultantur et in periculis sunt, sed tamen permanebant cum eo, secundum illud : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* » Et sic fugit Dominus ante faciem nequissimorum servorum; et hoc non fecit propter potentiæ defectum, sed ut aliis daret vivendi exemplum. Unde *Augustinus :* « Non quia potentia ejus defecerat, in qua, si vellet, palam cum Judæis conversaretur, et nihil ei facerent; sed exemplum discipulis demonstrabat, in quo appareret non esse peccatum, si fideles ejus oculis persequentium se subtraherent, et furorem sceleratorum latendo potius evitarent, quam se ostendendo magis accenderent. » Secundum *Origenem*, honestum et laudabile est, imminente jam periculo et agone, confitendi Jesum, non evitare confessionem, nec recusare subire mortem gratia veritatis. Sed nullus debet tradere occasionem tantæ tentationi; et hoc propter duas rationes : primo, quia valde præsumptuosum est periculis se ingerere, propter inexperientiam propriæ virtutis, quæ et quandoque fragilis invenitur, et propter futuri eventus incertitudinem; secundo, ne nos ingerentes persecutoribus occasionem præstemus eis, ut magis impii et noxii fiant, et nos de eorum delicto demus responsum, et luamus pœnas.

5 Multi Judæi Jerosolymam venientes ad festum Paschæ de Christi ab-

SENTIA SCISCITANTUR. — *Proximum autem erat Pascha Judæorum*; hoc subditur, ad ostendendum quod Christus parvo tempore in civitate Ephrem se occultavit, quia ante Pascha in Jerusalem venit. *Et ascenderunt multi Jerosolymam, de regione ante Pascha, ut sanctificarent* et mundarent *seipsos* orationibus et sacrificiis ante festum, ad digne comedendum agnum paschalem, quem nullus comedere debebat, nisi mundus. Præceperat enim Dominus per Moysen, ut undique de tota Judæa convenirent, ante Pascha, in Jerusalem; et ibi, secundum Legem, ante esum agni paschalis se mundarent, ut sic purificati, solemnitati et esui agni mundi interessent. Unde *Theophilus*: «Ascenderunt autem ante Pascha, ut purgarentur; quoniam quicumque peccaverant Pascha non celebrabant, nisi prius expiarentur balneationibus et jejuniis, ac rasura, quin etiam quasdam deputatas oblationes offerendo:» hæc *Theophilus*. Ubi informantur qui debent communicare, quia confessione, oratione, atque jejunio ante debent purificari. Si enim hoc fiebat de agno figurali, quanto magis se debet homo sanctificare bonis operibus, ad digne recipiendum verum Agnum, id est immaculatum corpus Christi? Sed heu! Judæi, obliti suæ sanctificationis, tractabant de nece veri Agni, et ipsum Agnum ad immolandum quærebant in ipso loco orationis, festo sanguinem innocentem miscere cogitantes. Unde *Chrysostomus*: «Hi venerant in exterioribus se mundare, et in interioribus per homicidium et sanguinem se coinquinare. Insidiabantur ei, et tempus festi tempus faciebant occisionis:» hæc *Chrysostomus*. *Quærebant ergo Jesum, et colloquebantur ad invicem, in templo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum?* Quia enim mirabantur quod in tanta congregatione, ad docendum non venerat, ideo quærebant non quidem bene et ad honorandum, sed male et ad occidendum. Sed est notandum; quod quando est dies festus, et agitur sancte, semper Dominus est in die festo, secundum illud: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et ideo nos congregati in domo Dei, quæramus Jesum, mutuo nos consolando et exorando, ut ad diem festum nostrum veniat, et nos sua præsentia sanctificet; quando vero non recte agitur festum, tunc non venit Jesus, secundum illud Isaiæ prophetæ: *Festivitates vestras non feram.* Et subdit Evangelista, quasi respondens quæstioni eorum: *Dederant enim pontifices et Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit* Jesus, *indicet* potestati publicæ, *ut apprehendant eum*, scilicet ministri potestatis ad occidendum; propter hoc enim ab eis, sicut ab ingratis et obstinatis recesserat, usque ad tempus quod suæ Passioni dispositum erat. Sed, ut ait *Augustinus*, nos qui scimus ubi Christus est, quia ad dexteram Dei Patris, indicemus Judæis, ut sic utinam apprehendant eum per fidem.

6 PIA AUCTORIS CONSIDERATIO. — Conspice igitur prædictos nefarios in suo concilio pessimo æstuantes, et Dominum Jesum ac discipulos tamquam pauperes, et imbecilles recedentes. Quid tunc putas Magdalanam dixisse? Sed et qualis animi Mater Domini Jesu erat, cum sic eum recedere videret, et audiret causam quare, quia scilicet eum occidere volebant? Potes hic meditari Dominam et sorores ejus tunc cum Magdalena remansisse, et Dominum Jesum eas omnes de cita sua conversione tunc consolatum fuisse. Considera nunc quomodo Dominus suos adversarios, quos solo nutu perdere poterat tamquam imbecilles, recedendo declinabat, nec se saltem verbis excusando defendebat; ac ejus mansuetudinem et humilitatem imitando omnem depone amaritudinem et furorem, quia sic et corporis et animæ habebis requiem.

ORATIO

Domine Jesu Christe, magni consilii Angele, qui concilium malignantium contra te fieri permisisti, nec illis resistere per potentiam, sed magis cedere per patientiam voluisti, ne derelinquas me in errante judicio, aut noxio consilio mei arbritii vel hominum, neque in potestate aut tentatione dæmonum; sed tu ipse clementer me intus et foris dispone et rege, ac dirige in viam salutis æternæ. Da mihi, Domine, ut quidquid contra me diabolicæ aut humanæ moliuntur adversitates, redigantur ad nihilum, ut illæsus et de omni periculo ereptus, lætus tibi referam gratiarum actiones. Amen.

CAPUT XIX

DE DECEM LEPROSIS A DOMINO CURATIS.

Lucæ cap. XVII.

1 CHRISTUS SUO EXEMPLO QUATUOR VIRTUTES CARDINALES NOS DOCET. — *Factum est autem, dum complerentur* et appropinquarent *dies assumptionis ejus* Domini Jesu, id est a mundo ad Patrem, per Passionem et mortem, non divertit, sed *firmavit ipse faciem suam*, id est voluntatem : nam per faciem designatur animi voluntas, in locum Passionis, et *ut iret in Jerusalem*, quoniam ibi oportebat verum Agnum immolari, ubi figuralis agnus solebat offerri. Assumptionem Jesu, dixit Lucas, non solum secundum tempus quo assumi debebat per Passionem, de hoc mundo ad Patrem, quia *oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam* ; sed etiam secundum præceptum de agno paschali, qui decimo die mensis primi assumebatur de grege, et ad domum inferebatur et servabatur usque ad vesperam quartidecimi diei ; et tunc immolabatur. In hunc modum Christus decima die, id est ramis Palmarum, venit ad locum Passionis, scilicet in Jerusalem, ubi tamquam verus Agnus erat pro nobis immolandus; mansitque ibi et circa, usquedum passus est, ut sic veritas figuræ responderet. Ex quo patet quod tempus suæ Passionis prævidit quasi Deus, et quod spontanee non coacte est passus; unde *firmavit*, id est non leviter voluit, sed firmiter et constanter disposuit, *ut iret in Jerusalem*, ad sustinendum mortem, ut ostenderet se sponte passurum et suo exemplo discipulos animaret ad Passionem. Sic et tu, omne opus bonum firmus et stabilis debes assumere, nec propter tentationes ab eo dimittere. Instante ergo tempore Passionis, quo transmigraturus erat de mundo ad Patrem, præstat dorsum Galilææ, et faciem in Jerusalem convertit, ac firmata, et imperterrita mente, locum quo pati decreverat petit. Non huc et illuc ibat, sed iter versus Jerusalem tenebat. Unde, qui superius pluries excitavit, et hortatus est discipulos et alios ad martyrium, et ad sui sequelam, verbo ; hic hoc idem facit facto, eos tamquam Magister et ductor præcedens, et quasi facto suo, dicens : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* ; *et tollat crucem suam, et sequatur me.* Appropinquante ergo tempore Passionis suæ, Dominus Jesus, qui pluries fugerat, incipit reverti. Sicut enim in superioribus ad nostram instructionem usus est prudentia, ostendens quod pro loco et tempore furorem persequentium caute debemus declinare ; ita nunc utitur for-

titudine, quoniam debito tempore imminente, sponte rediit, ut se Passioni offerret, et in in manibus persequentium traderet. Sic alias fuit usus temperantia, cum fugit honorem quando turbæ voluerunt eum facere, regem; et e contrario fuit usus justitia, cum voluit tamquam rex honorari, quando populus cum ramis arborum occurrit eidem ; satis tamen modeste eumdem honorem voluit, et ideo pullum asinæ ascendit. Istis igitur quatuor virtutibus usus est Dominus virtutum, propter nostram instructionem, quibus omnes aliæ virtutes morales descendunt et derivantur, propter quod cardinales, ac principales esse dicuntur. Non ergo æstimandus est fuisse inconstans vel varius; sicut nec aliquis alius, qui secundum diversos casus, in diversis se exercet virtutibus.

2 Occursus et mundatio decem leprosorum. — *Et factum est, dum* Pascha celebraturus *iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam.* Samaria erat terra Gentium, Galilæa Judæorum ; et ideo Christus vadens ad Passionem, transiit per Gentes et Judæos, dans intelligere quod fructus suæ Passionis in omnes erat futurus ; atque fides nominis ejus post mortem et Judæos et Gentiles unum debebat efficere populum. Quoniam ergo erat discordia inter Judæos et Samaritanos, ipse inter utrosque et per medium utriusque terræ transiit, ut tamquam mediator eos pacificaret, qui ad salvandos Gentiles et Judæos venerat. *Et, cum ingrederetur quoddam castellum.* in terminis Samariæ, *occurrerunt ei decem viri leprosi,* quia audierant famam de mirabilibus Christi. In ingressu urbis, et tamen ante ingressum occurrerunt ei, quia ritu Legis Mosaicæ, quasi immundi erant, ab urbibus et oppidis exclusi, nec poterant cum aliis commorari. Conversabantur autem ad invicem, quia communitas passionis fecerat eos unanimes, et præstolabantur simul transitum Jesu solliciti, donec advenientem eum viderent. *Qui steterunt a longe,* tum propter Christi reverentiam, tum quia non debebant appropinquare hominibus, ne eos inficerent ; eo quod Lex Judæorum lepram immundam et non tangendam judicat, lex vero Evangelica lepram non externam, sed internam, esse immundam affirmat. Et, secundum *Theophilum*, a longe stant, quasi verecundantes de immunditia, putabant enim quod Christus eos quemadmodum alii fastidiret. Sic ergo abstiterunt loco, sed facti sunt proximi deprecando ; scriptum est enim : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, in veritate.* Subjungitur autem : *Et levaverunt vocem* suam ex magnitudine affectionis, et magno desiderio sanitatis, et clamaverunt, *dicentes* : *Jesu præceptor, miserere nostri,* quia solo præcepto et verbo potes nos curare. Si Jesus, ergo vult ; si præceptor, ergo potest ; si misericordiam invocant, ergo se miseros et indigentes ostendunt. Et sic petitio fuit digna : et ex parte petentium, quia miserandi ; et ex parte ejus, a quo petebatur, quia Jesus volens, et præceptor potens. Secundum *Titum*, dicunt nomen Jesu, et lucrifaciunt rem. Jesus nempe interpretatur *Salvator*, unde sequitur : *Quos ut vidit* benignitatis et compassionis et misericordiæ oculis, *dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Lex enim præcepit, ut emundati a lepra sacerdotibus se præsentarent, non ut sacerdotes eos mundarent, sed ut eos mundos esse judicarent, et ut mundati pro sua emundatione sacrificium in Lege determinatum offerrent. *Et factum est, dum irent,* ut sacerdotibus se demonstrarent, *mundati sunt* ex fide et obedientia ad Christum, meritorie de congruo, sed divina virtute effective. Quatuor ex causis mundati sunt, antequam ad sacerdotes pervenirent : primo, quia Christus noverat sacerdotum superbiam, contempsissent enim eos aspicere, ne ergo scandalizarentur, prævenit eos sanare ; secundo, bonum obedientiæ eorum hoc meruit ; tertio, hoc meruit et eorum fides fervidaque deprecatio ; quarto, voluit Dominus ostendere quod non virtute Legis Mosaicæ , aut sacerdotum Judæorum erant mundati, sed Dei imperio.

3 IN SAMARITANO, QUI SOLUS GRATIAS ACTURUS REVERTITUR, REPROBATIO JUDÆORUM ET GENTILIUM VOCATIO PRÆFIGURATUR. — *Unus autem ex illis*, qui Samaritanus et Gentilis erat, *ut vidit quia mundatus est*, suam sanationem virtuti Christi deputans, *regressus est, cum magna voce*, ex fidei et devotionis magnitudine, *magnificans Deum*; *et* tamquam gratus beneficium recognoscens, *cecidit* per humilitatem *in faciem*, *ante pedes ejus* Jesu, per devotionem ei reverentiam exhibens, et adoravit eum, *gratias* pro beneficio accepto sibi *agens*. Ubi exprimitur fides ejus et devotio, ac benevolentia, et grandis affectio. Dedit autem ei fiduciam appropinquandi Domino, jam suscepta purgatio. Ceteri vero, qui Judæi erant, permanserunt ingrati, nec ad agendum gratias sunt reversi, qui decepti a sacerdotibus quibus se repræsentaverant, quique doctrinæ Christi et miraculis detrahebant, secundum eorum informationem attribuerunt suam sanationem observantiæ Legis Mosaicæ, cum se sacerdotibus ostendebant, et non virtuti Christi, licet a principio fideliter et devote petivissent ab eo sanari. *Respondens autem Jesus dixit*: *Nonne decem mundati sunt? Et novem ubi sunt?* Non interrogat Dominus quasi nesciens, sed ingratos quærit quasi ignorans, et de eorum ingratitudine dolens; et eos requirendo ostendit sibi ignotos, id est reprobatos. Sicut enim ingratus non recognoscit Dei beneficium, ita nec Deus notitia approbationis recognoscit ipsum; recognoscentem vero se recognoscit et ipse. Unde ait *Beda* : « Et merito eos Salvator, quasi ignotos ubi sunt inquirit. Scire enim Dei, eligere; nescire, reprobare est : » hæc *Beda*. Magis autem dolendum est de eo, qui aliquam incurrit ingratitudinis culpam, quam de beneficio perdito. Et ideo, quasi plangendo subditur : *Non est inventus, qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena*, alterius scilicet gentis, qui non erat de Judæis. Et hoc dictum est : vel a Christo, et tunc erant verba quasi lamentantis ; vel dictum est ab Evangelista in confusionem Judæorum, qui non sunt reversi ad Christum. Et nota quod in hoc quod iste alienigena rediit, et alii, qui erant Israelitæ, reditum neglexerunt, præfigurata fuit vocatio et fides Gentilium, qui venturi devote erant ad fidem Christi; ac repudiatio et perfidia Judæorum, qui in suo errore erant remansuri. Dominus autem et in his et in omnibus quos sanavit in corpore, sanavit et in anima; sed hi postquam fuerunt sanati in corpore, et justificati in anima, ac boni facti, postea corruerunt a gratia, et facti sunt mali et ingrati. Deinde eorum ingratitudinem magis confutat, dum alienigenam, qui redierat, laudando commendat ; quia enim humiliter ante Deum infirmitatem suam cognovit, ideo Dominus consolans eum, *ait illi : Surge*, scilicet a peccato, in quo jacuisti, cessando, et *vade* de virtute in virtutem, in conversione quam incepisti proficiendo, *quia fides tua*, qua intellectum Deo subdidisti, *te salvum fecit*, et ad salutem non solum corporis, sed et animæ reduxit ; ipsa est enim initium justificationis, et dat fiduciam regni cœlestis. Ubi *Beda*: « Si autem fides salvum fecit eum qui se ad agendas Salvatori gratias inclinavit ; ergo perfidia perdidit eos qui de acceptis beneficiis Deo gloriam dare neglexerunt : » hæc *Beda*.

4 LEPRA EST PECCATUM IN SENSU MYSTICO. — Mystice, per lepram, quæ est corruptio carnis, signatur peccatum mortale, quod est corruptio animæ. — Primo, quia communiter in lepra vox efficitur invalida ; sic in peccatore vox est invalida, *scimus quia peccatores Deus non audit*, et cum multiplicant orationem non exaudit. — Secundo, quia in leproso corpore multa ulcera minuta, dura et rotunda crescunt ; sic in corde peccatoris multæ compunctiones et anxietates diversorum peccatorum et circumstantiarum consurgunt, minuunt semper affectionem hominis ad Deum, et reddunt hominem durum et rebellem Deo et ejus mandatis, et per hoc fiunt corda hominum peccatorum rotunda et ductilia, scilicet ad

voluntatem diaboli. — Tertio, quia eorum anhelitus corrumpitur et ejus fœtore sæpius alii inficiuntur; sic operatio et conversatio peccatoris ita est corrupta, quod conversantes infirmantur ex vitioso eorum convictu. — Quarto, quia lepra quanto studiosius reprimitur, tanto plus turpior postea ebullit; sic peccatum quanto plus occultatur, tanto fortius crescit, et ideo turpius apparebit. Per denarium vero numerum leprosorum universitas significatur, numeri namque sequentes usque ad centum sunt ipsius et partium ejus replicationes, et sic consequenter per decem leprosos occurrentes Christo, significatur universitas peccatorum pœnitentium. Vel, leprosi signant eos, qui peccant contra decem præcepta Decalogi, varietate peccatorum, quasi maculis lepræ distincti et respersi. Valde autem deterior est lepra animæ, quam lepra corporis, quia pejor est corruptio spiritus, quam carnis.

5 Quinque facienda a peccatore sanari volente. — Debet autem peccator volens sanari, et a peccatorum lepra curari, eo modo se habere quo se habuerunt illi leprosi : primo itaque debet Jesu occurrere per fidem, non enim abhorret pius Dominus aspicere maculam lepræ nostræ, qui pro nobis in cruce velut leprosus reputatus est; secundo, debet stare, surgendo a peccatis, et cessando ab eis; tertio, debet stare a longe, suam vilitatem humiliter considerando, et valde erubescendo; quarto, debet levare vocem, scilicet de profundo corde in contritionis verba prorumpendo, et peccata sua, non aliena, confitendo; quinto, debet dicere : *Jesu, præceptor*, Dei misericordiam implorando, quæ maxime est peccatoribus opportuna. In hoc autem quod Dominus videns leprosos dixit eis: *Ite, ostendite vos sacerdotibus*, manifeste a Domino Jesu confessio præcipitur, per quam lepra interior saluti ostenditur. Ac si eis diceret : Ite, a contritione ad confessionem, ostendite vos sacerdotibus. Quia licet peccata remittantur in contritione, dicente Propheta : *Dixi*, id est firmiter statui, *confitebor, et tu remisisti mihi*; tamen tenetur homo ea confiteri. Unde dum irent, mundati sunt in via, quia Deus virtute contritionis peccatorem mundat interius, priusquam a sacerdote absolvatur exterius. Et nihilominus se sacerdotibus ostenderunt; sic et tu, si habes maculam lepræ, ex aliquo crimine, dum, vidente te Domino oculis misericordiæ, vadis ostendere te sacerdoti per confessionem vocis, obviat ipsa salus, et sanaberis a lepra transactæ iniquitatis. Non tamen idcirco omittas te offerre illis, quorum judicio mundus haberis, alioquin ex contemptu et negligentia, immundus remanebis.

6 Quid signant Samaritanus rediens et novem alii non revertentes? — Unus autem leprosus, qui rediit, universalis Ecclesiæ unitatem, seu illos qui in unitate Ecclesiæ sunt designat, quæ pro beneficio gratiæ, grates referre non cessat; novem vero qui remanserunt, illos, qui extra sunt, exprimunt, seu qui post acceptam remissionem criminum a perfectione Decalogi, per unitatem subtractam deficiendo, grates pro gratia reddere contemnunt. Decem igitur mundantur, sed unus gratias refert, quia multi in confessione mundantur, sed non omnes Dominum laudant. Qui enim tamquam canes revertuntur ad vomitum, hi sunt novem qui post adeptam sanitatem, non laudabant Dominum. Et quia pauci sunt respective, qui grati sunt de beneficiis largitatis divinæ, et remanent in reparata sanitate; ideo tantum unus revertitur dans gloriam Deo. Deo enim gloriam dare est, percepta peccati sui curatione, in bonis operibus perseverare. Et hic est Samaritanus, qui interpretatur *custos*; nam illi sunt grati Deo, qui se custodiunt a peccati recidiva. Et est alienigena, dicens cum Apostolo : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*. Hinc colligitur, quia hi, qui deberent esse magis grati Domino et familiares, ut litterati, prælati et divites, quibus scientiam dedit vel opes, magis sunt ei ingrati, seseque elon

gant ab eo, nec referunt sibi gratias sicut simplices et pauperes, quibus tot bona non contulit. Quasi dicerent : *Labia nostra* et divitiæ *a nobis sunt quis noster Dominus est?* Ipse autem unus gratias agendo in faciem cecidit, quia sola unitas Ecclesiæ cadit in faciem adorans. Inde notandum est quod quandoque prostrati oramus, ubi quatuor prætendimus : infirmitatem corporis, quia de pulvere sumpti sumus; infirmitatem animi, quia casum ex nobis, non erectionem a nobis, sed a Deo habemus; erubescentiam de malis, quia præ multitudine peccatorum oculos ad cœlum levare non audemus; prudentiam, quia in faciem cadimus et videmus ubi cadimus, id est quod in terrenis affligimur. Quandoque vero, flexis genibus, ut Salomon, sed erecto capite et elevata facie oramus; quasi dicentes pro desiderio patriæ : *Trahe me post te.* Quandoque autem stantes oramus, nos spem in cœlestibus habere designantes, et quasi dicentes : *Nostra conversatio in cœlis est* ; et illud : *In domum Domini* lætantes *ibimus*. In primo ergo exprimimus conditionem nostram; in secundo, desiderium; in tertio, spem. In memoriam quoque resurrectionis Dominicæ tempore Paschali et diebus dominicis, exemplo sanctarum mulierum, inclinatis in terram vultibus, oramus, nos terram et pulverem esse cum Abraham recolentes. Unus ergo reversus in faciem ad pedes Jesu cecidit, ac nobis humilitatis et pœnitentiæ exemplum ostendit. Unde, secundum *Bedam*, in faciem cadit, qui de perpetratis malis erubescit. Ibi enim homo cadit, ibi confunditur. Qui in faciem cadit, videt quo cadat, qui retro, lapsum suum non videt. Boni ergo in faciem cadunt, quia humiliant se in his visibilibus, ut ad invisibilia erigantur. Mali retro cadunt; quia cadunt in invisibilibus, ubi modo non vident, quid eos tunc sequatur. Ad pedes etiam Jesu cadit, et gratias agit, qui se ad percipienda Dei beneficia humiliat, qui nihil sibi virtutis attribuit, qui bona quæ habet, de misericordia Dei se habere intelligit. Et, secundum eumdem *Bedam*, qui devotus ante Dominum cecidit, surgere et ire præcipitur, quia qui infirmitatem suam agnoscens humiliter jacet per divini verbi consolationem, surgere ad fortia opera et, crescentibus quotidie meritis, ad perfectionem passim proficere jubetur. Hunc autem fides salvum facit, quem ad gratias agendas inclinat, et e contra, perfidia illos damnat, qui de acceptis beneficiis ingrati sunt, et Deo dare gloriam negligunt.

7 Ingratitudinis reprehensio. — In hoc ergo capitulo ingrati de beneficiis reprehenduntur a Domino. Multum est laudabilis virtus gratitudo, et valde acceptabilis Deo gratiarum actio, ac detestabile vitium ingratitudo. Unde *Augustinus* : « Quid melius animo geramus, aut ore promamus, aut calamo exprimamus, quam ut Deo gratias agamus? Hoc nec dici brevius, nec agi fructuosius potest. » Et iterum : « Scio quod ingratitudo displiceat tibi, quæ radix est totius mali spiritualis, et ventus urens et exsiccans omne bonum, obstruens fontem divinæ misericordiæ super hominem, quo et mala mortua jam reoriuntur, ne ultra bona adipiscantur. » Unde et *Bernardus* : « Dignum est semper gratias agere, quia Deus numquam cessat benefacere. » Et iterum : « Disce in referendo gratiam non esse tardus aut segnis; disce ad singula dona gratias agere. *Diligenter*, inquit in Proverbiis, *attende quæ apposita sunt* tibi, ut nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla. Denique jubemur colligere fragmenta ne pereant, id est nec minima beneficia oblivisci. Numquid non perit quod donatur ingrato? Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dissipatio, bonorum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo est ventus urens et siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. » Qualis vero debeat esse gratiarum actio, docet idem *Bernardus*, dicens : « Non tantum verbo et lingua, sed opere et veritate exhibeamus nosmetipsos gra-

tos; non enim gratiarum dictionem, sed gratiarum actionem exigit a nobis Dominus Deus noster. » Unde ait etiam *Chrysostomus* : « Agamus igitur Deo juges gratias; et non modo verbis hoc nostris, verum etiam operibus nostris, imo ipsius principaliter impleamus. Agamus vero gratias non de propriis tantum, verum etiam de alienis bonis. Ita enim et invidiam poterimus exstinguere, et alere caritatem. Neque jam illis poteris invidere, de quorum bonis gratias Deo referendo lætaris. Quid igitur magnum reposcit, qui pro liberalitate in nos sua, solummodo gratos sibi esse nosmetipsos præcepit? Ingratitudinis autem vitium ex arrogantia potissimum gigni solet, cum se aliquis dignum esse beneficiis æstimat. Humiliatus vero atque contritus, non pro bonis solum, sed pro his quæ contraria æstimantur esse, gratiarum actiones mittet Deo, et quodcumque patietur, nihil se dignum æstimabit passum esse : » hæc *Chrysostomus*. Et hæc est magna causa quare Deum non diligimus, quia ejus beneficia non recognoscimus. Unde ait *Hieronymus* : « Vis scire quare Deum non diligis? Quia ejus beneficia non recognoscis. Quanto magis in bonitate ejus ascendis, tanto plus in amore ejus inardescis : » hæc *Hieronymus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, de tua pietate confisus, ad te pium medicum, ego quasi leprosus, varietate peccatorum respersus, confugio; ad fontem misericordiarum,ego immundus maculis vitiorum curro, et supplex te exoro, quatenus digneris meam sanare infirmitatem, lavare fœditatem, et me dirigere ad salutem. Da mihi, ut semper beneficia tua in corde habeam, et de universis gratias tibi agam; sed quia homo mortalis, cinis et pulvis, nec unum pro mille gratias referre sufficit, referant tibi grates pro me Virgo Maria et omnes cives supercœlestes, atque omnis creatura, quæ divinæ laudis sit materia. Amen.

CAPUT XX

DE SAMARITANIS HOSPITIUM DOMINO NEGANTIBUS.

Lucæ cap. IX.

1 SEBASTES INCOLÆ HOSPITIUM CHRISTO DENEGANT. — Ut autem adventus Domini Jesu non lateret, *misit nuntios* suos, scilicet Jacobum et Joannem, *ante conspectum suum*, *in civitatem Samaritanorum*, ut ibidem hospitium et cetera necessaria, quæ non magni constabant, sibi præpararent : *Et euntes intraverunt... ut pararent illi*. Hæc civitas Samaria, nunc Sebaste dicta, jam peccatis exigentibus, nec unicam habet domum nisi tantum duas ecclesias : unam in monte, ubi quondam fuit regis palatium; secundam in honorem sancti Joannis Baptistæ, in qua sepultus fuit inter Abdiam et Elisæum. *Et* Samaritani, qui æmulabantur templo Jerosolymitano, atque invidebant euntibus in Jerusalem adorare, *non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem*. Videbant Christum cum discipulis habere faciem seu vultum, id est prætendere similitudinem et signum euntium in Jerusalem, ad festum paschale, causa orationis fa-

ciendæ; ideo eos, ex æmulatione propter locum adorationis, noluerunt hospitio recipere, quia dicebant locum adorationis esse apud eos in monte Garizim, et non in Jerusalem. Unde supra, mulier Samaritana, quasi æmulando dixit Domino : *Patres nostri in monte hoc adoraverunt ; et vos dicitis : Quia Jerosolymis locus est in quo oportet adorare.* Item, non receperunt eos, quia ex vestimentis Christi et discipulorum ejus cognoverunt Samaritani quod fuerunt Judæi ; Judæi autem erant Samaritanis odiosi, eo quod contemnebant eos, nolentes comedere et bibere cum eis : *Non enim coutuntur Judæi Samaritanis,* sicut et Hebræi Ægyptiis. Unde *Hieronymus* : « Hostili inter se Samaritani, atque Judæi discordant odio. Videntes itaque Dominum, ad hostes suos pergere, Samaritani eum recipere noluerunt. Quamquam alia subjiciatur intelligentia, quia voluntas Domini fuerit, non suscipi a Samaritanis, quoniam festinabat Jerusalem pati, et sanguinem fundere, ne occupatus susceptione Samaritica et doctrina gentis illius, Passionis suæ differret diem, ad quam venerat sustinendam : » hæc *Hieronymus.*

2 Volentibus nullum ad salutem impedimentum. — Sicut autem Domino in Jerusalem tendenti restiterunt Samaritani ; sic, si mens tua in cœlum tendat, habebis semper qui rixas, odia et bella gerant ; non tamen propter hoc irrepat vindicta menti tuæ, sed quantum poteris stude utilis esse. Unde sunt versus :

Jerusalem cives Gentes odere forenses,
Quotquot non recipit mœnibus illa [suis.

Si ergo in his quæ secundum Deum operari desideras, aliquos tibi obsistere, seu te impedire videas, noli contentionibus desævire ; sed temetipsum in te ipso restringe, et te cum Deo tuo recollige, sibique dicas : *Domine, vim patior, responde pro me.* Nec de hoc contristeris, quia nihil possunt nisi quod Deus scit finaliter pro bono tuo esse expediens ; imo quanquam ad præsens non videas, videbis finaliter, si tamen patienter portaveris, quod illud in quo tibi eos impedimentum præstare credebas, erat tibi juvamen ad tuum propositum exsequendum ; sicut de Joseph et multis aliis est factum. Quia, secundum *Chrysostomum* , si Legem Christi custodire volueris, necessitatem quidem nullam, quæ te ab observatione ejus impediat, aliquando patieris. Si etiam in his quæ secundum Deum desideras, te videas quodammodo divinitus impediri, vel per infirmitatem, vel quocumque alio modo contingente, de hoc nullatenus conturberis, sed totum æquanimiter feras, et te ex toto illi committas, qui melius novit quam tu ipse, quid tibi expediat ; qui te ad se continuo sublevat, dummodo temetipsum ex toto illi committas, quamvis forte hoc ipse non videas. Ad hoc ergo sit totum tuum studium, ut teipsum in pace et cordis tranquillitate possideas ; et pro quocumque eventu non doleas, nisi de solo peccato proprio vel alieno, seu etiam de his quæ te inducerent ad peccatum, et quæ possent alienare seu elongare a Deo, vel medium facere inter te et ipsum Deum. Quævis enim tibi occurrens adversitas ejus nutu et providentia geritur, cujus virtute res creatæ sunt, et in suo esse conservantur.

3 Laus patientiæ. — Cum igitur tribulatio advenerit, exi obviam hospiti tanto, benigne eum recipiendo ; et dic corde jucundo : Bene venerit amica mea, tribulatio. Qui enim adversa libenter pro Deo patitur, Christo passo assimilatur, et ideo ab eo, tamquam a consimili, nexu dilectionis præcipuo constringitur. Porro de involuntariis tribulationibus hoc scire debes, quod licet involuntarium, in quantum hujusmodi non sit meritorium ; verumtamen si prudens animus hoc quod involuntarie illatum est, voluntarie pati voluerit, et voluntatem suam hactenus rebellem ad virgam Dei inclinaverit, virtutem faciens ex necessitate, haud dubium quin salubre et meritorium flet, et ad spirituale virtutum incrementum proficiet, hoc quod ante pestiferum vi-

debatur. Patiamur ergo libenter et voluntarie, quia vera salus nostra est in cruce, nec extra eam aliquis salus invenitur. In quacumque enim anima crux, id est tribulatio non est, nulla patientia est; et ubi patientia non est, nec vera salus esse potest. Cor autem patiens illud est, cui gaudium est quod despicitur; et quod in pœnis et quibus cum que adversitatibus lætatur, exsultans pro eo quod Passioni Christi et humilitati suæ aliquid adjicere valeat, et quod habeat unde Deo aliquid sacrificet. Et ideo omnes pœnas et adversitates occurrentes unias cum pœnis et adversitatibus Christi; ut et ex unione ipsorum dulcescant, et Deo in summa patientia redoleant. Omnia ergo quæ tibi advenerint, sive læta, sive tristia, ex nimia caritate a Deo tibi esse donata certissime scias, et omnino credas quod omnia ex tanto amore Christi tibi proveniant, ut nihil aliud tibi, aut aliter evenire velles aut velle deberes; et ideo pro singulis ei gratias et laudes agas.

4 Zelus indiscretus Apostolorum. — *Cum vidissent autem discipuli ejus Jacobus et Joannes* irati contra Samaritanos, voluerunt ignem e cœlo ad consumendum eos impetrare, ideo ei *dixerunt : Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cœlo,* id est de alto sicut fulgura et hujusmodi, quæ omnia veniunt de cœlo aereo, *et consumat illos* te recipere nolentes? O quanta fiducia eorum in Domino erat, qui solo verbo se posse credebant, ut ignis de cœlo descenderet! At hujusmodi vindicta quæ laudata est in Elia, in istis est a Domino reprobata, quia hoc non appetebant ex caritate et amore correctionis eorum, vel finiendæ in illis malitiæ, sicut ille; sed ex impatientia potius et indiscretione et appetitu vindictæ. In quo innuit Dominus, quod non valet zelus, nisi sit discreta voluntas. Unde verbis Apostoli Petri Ananias et uxor ejus exanimes ceciderunt, non odio, sed justa vindicta; et Paulus quemdam peccatorem tradidit Satanæ in interitum carnis, ut anima esset salva. Unde *Beda* : « Reprehendit in istis Dominus non exemplum Prophetæ sancti, sed voluntatem vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus; animadvertens eos non amore correctionem, sed odio desiderare vindictam : » hæc *Beda*. Unde sequitur : *Et conversus increpavit illos dicens : Nescitis cujus Spiritus estis,* scilicet Spiritus Sancti qui bonus est et suavis, hoc est non bene recognoscitis cujus Spiritu signati estis, et ideo vultis per odium exercere vindictam, quod non licet Dei servis. In Novo enim Testamento, quod est amoris, procedendum est suaviter et benigne, non sicut in Veteri Testamento, quod est timoris, ubi procedebatur aspere et rigide. Unde *Glossa* : « Cujus Spiritu signati estis, ejus et acta imitemini, nunc pie consolantes et in præsenti patientiam habentes; sed in futuro juste judicantes, cum *sedebitis super sedes duodecim.* » Et subjungit Dominus : *Filius hominis non venit animas perdere,* per rigorem justitiæ statim inferendo pœnam mortis, sicut vos vultis, quin imo perditio est ex vobis; *sed* venit *salvare* animas, per misericordiam et pœnæ relaxationem, sicut expedit miseris : salvantur enim melius clementia, quam sævitia. Et in hoc datur exemplum prælatis, ut non statim, et cum impetu peccata puniant; sed magis tempus et locum exspectent, nec semper in peccantes vindictam exerceant. Unde *Ambrosius* : « Quia vero discipulos increpavit, eo quod ignem super eos descendere gestiebant, qui non receperant Christum, ostenditur nobis non semper in eos qui peccaverunt vindicandum; quia nonnumquam amplius prodest clementia : tibi ad patientiam, lapso ad correctionem. Denique Samaritani citius crediderunt, a quibus hoc loco ignis arcetur. Dominus autem nec in hos indevote Dominum refutantes proprium commovetur, ut ostenderet quia non habet ultionis studium perfecta virtus; nec ulla fit iracundia, ubi plenitudo est caritatis, nec excludenda infirmitas, sed juvanda. Procul a religiosis indignatio, procul a magnanimis cupiditas ultionis, procul a prudentibus considerata com-

motio et incauta simplicitas! » hæc *Ambrosius*. Per Jacobum et Joannem, qui adhuc imperfecti erant, significantur homines imperfecti quærentes nimis dure vindicari, sed Magister perfectionis prohibet hoc fieri.

5 Ira et ultio vitandæ sunt. — *Et*, quia Samaritani noluerunt Dominum Jesum, et discipulos ejus intra civitatem suam recipere ad hospitandum, *abierunt in aliud castellum*. Circumibat enim Dominus Jesus civitates et castella prædicando et faciendo miracula, sicut supra dictum est. Vide nunc quomodo Dominus Jesus, cujus *est terra et plenitudo ejus*, exclusus ab uno loco patienter fert, et transit ad alium ; et habe patientiam, si similia tibi evenerint; imo gaude, quia datum est tibi in tantillo imitari Dominum tuum. Hæc igitur omnia considerantes, omnem amaritudinem et iram a nobis excludamus; et non ulciscentes nosmetipsos Deo totum committamus. Unde ait *Chrysostomus* : « Numquam insidiemur aliis, quoniam adversus nosipsos acuimus gladium, et profundiorem nobisipsis plagam damus. Sed te aliquis læsit, et vis in eum ulcisci? Ne ulciscaris, et sic ulcisci poteris. Nec putes hoc ænigma esse, sed verum est. Quomodo, et qua ratione, dices? Quia te non vindicans, Deum ei constituis inimicum; si vero ulciscaris, non item : nam *Mihi vindicta, et ego retribuam*, *dicit Dominus*. Si enim servos habeamus, qui mutuo rixentur, nec nobis ulciscendi partes concedant, sed sibi, etsi postea nos rogent, nos modo non ulciscimur, sed etiam indignamur, dicentes : Oportebat ut totum nobis deferres, sed quia te ipsum ultus es, ne molestiam ultra crees ; multo magis Deus qui præcepit, ut sibi omnia committeremus, hoc nobis dicturus est. Qualiter autem non absurdum est, cum a servis nostris tantam exigamus obedientiam, Dominatori non ea concedere, quæ volumus a servis nostris concedi nobis? Si enim, dic mihi, odis eum qui peccavit; cujus gratia et ipse peccas, et in eadem laberis? Convitiatus est, ne reconvitieris ; percussit, ne repercutias; contristavit, ne recontristes, quia nihil inde lucri, sed illi similis evadis. Sic illum fortasse in pudorem conjicies, si omnia mansuete feras; sic in ruborem, *ita ut* iram sedet. Nemo enim malo malum sanat, sed potius bono malum : » hæc *Chrysostomus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui de Samaritanis, hospitium tibi negantibus, non te vindicasti, sed patienter ferens, humiliter ad alium locum declinasti, præsta mihi indigno, o dulcis hospes animæ, ut, vitiis cunctis expulsis, gratum tibi in corde meo hospitium valeam præparare; et, si quando ob mea demerita ibi receptus non fueris, noli mihi irasci, et a servo tuo in ira declinare, aut vindictam de me sumere; sed tu, qui non venisti animas perdere, sed salvare, reconcilia me tibi per tuam misericordiam, et da, ut tibi per dignam præparationem cor aperiam, tibique placeat ad me servum tuum intrare, et me misericorditer benedicere. Amen.

CAPUT XXI

DE PETITIONE FILIORUM ZEBEDÆI.

Matthæi cap. XX, Marci cap. X et Lucæ cap. XVIII.

1 Cur pluries Passionem suam Apostolis prædixerit Dominus? — Post hæc *autem erant* discipuli Domini scilicet, *in via ascendentes Jerosolymam*,

quæ respectu totius terræ promissionis sita est in alto, et propter hoc ab aliis partibus illuc venientes ibant ascendendo; *et præcedebat illos Jesus*, ut, secundum *Theophilum*, ostenderet quod ad Passionem præcurrit, et non refugit mortem, pro nostra salute. Illuc ibat passurus pro nobis, et nos præcedens et nos instruens, quod ipsum in operibus pœnitentiæ sequi debeamus : *Et stupebant et sequentes* discipuli *timebant*, quia nondum perfecti usque ad tolerantiam martyrii erant. Et, ut dicit *Beda*, meminerant sermonis ejus, quo se passurum multa a summis sacerdotibus, et Scribis, et occidendum esse prædixit, metuentes ne vel ipsi cum eo occiderentur, vel saltem ille, cujus vita et magisterio gaudebant, inimicorum manibus mox occumberet. *Et divertens* se a via, *assumpsit*, et ad partem traxit seorsum et *secreto, duodecim discipulos* suos, tamquam perfectiores, typum scilicet prælatorum gerentes, non infirmos, qui possent scandalizari, quoniam noluit omnibus secreta sua mysteria indicare ; et tunc eis jam quarta vice mysterium suæ Passionis et resurrectionis prædixit. Quia, ut dicit *Theophilus*, conveniens erat Passionis mysterium propinquioribus sibi revelare. Unde et *Chrysostomus* : « Omnis gloria Dei, et omnis salus hominum, in Christi morte posita est. Nulla enim res est quæ amplius ad salutem hominum pertineat, quam mors ipsius; nec est aliud aliquid propter quod magis Deo gratias agere habeamus, quam propter mortem ipsius. » Ideo, cum plurima turba fidelium sequeretur eum, in via duodecim Apostolos solos tulit in secreto, et illis tantummodo mortis suæ annuntiavit mysterium, quoniam semper pretiosior thesaurus in melioribus vasis includitur. Et est notandum, quod Christus Passionem suam et mortem pluries discipulis suis prædixit : primo, postquam Petrus confessus fuit eum Filium Dei ; secundo, postquam transfiguratus fuit in monte Thabor; tertio, ibidem, postquam curavit lunaticum; quarto, in præsenti loco ; quinto, in monte Oliveti, dicens : *Scitis, quia post biduum Pascha fiet*, etc. Et hoc fit propter plura. — Primo, ut colloquendo cum carissimis amicis suis revelaret illis secreta suæ mentis ; quia secreta mysteria sunt tantum majoribus revelanda et detegenda, cujusmodi erant Apostoli. — Secundo, ne de memoria laberentur, sed mortis jugiter meditationem haberent, ut exercitati exspectatione, cum veniret persecutio et crucis ignominia, facilius ferrent, et non turbarentur vehementer, quia tribulatio præcognita et exspectata levior invenitur; vel videntes eum mori ignominiose, non scandalizarentur. — Tertio, ut non dubitarent eum resurrecturum sicut prædixerat, cum viderint ea, quæ de Passione sua prædixerat, impleta. — Quarto, ut scirent quoniam Passionem prævenit, et spontaneus ad eam accessit. — Quinto, ut essent testes quod scienter pateretur et voluntarie, utpote qui prævenit mortem, et potuisset fugere. — Mystice, frequenter prædixit discipulis Passionem suam, per hoc significans quod multoties esset passurus in membris suis ; unde in Actibus : *Saule, Saule, quid me persequeris?* Et Petro, imminente passione sua, dixit : Vado Romam iterum crucifigi. O quoties et quantum hodie Dominus in electis suis patitur, qui per malos multipliciter et crudeliter sæpius affliguntur!

2 Jerusalem locus Passionis Christi. *Et ait illis* specialiter, tamquam suis secretariis atque amicis : *Ecce ascendimus Jerosolymam*, ad locum Passionis, Quasi diceret : Jam in promptu est ut patiar : *Quoniam tribulatio proxima est.* Et attende quod et supra. Hinc autem facit mentionem de loco Passionis suæ, scilicet Jerusalem ; quia, secundum Scripturas, in medio terræ operaturus erat salutem. Terra autem Jerusalem in medio mundi est posita, cui ab Oriente adjacet Arabia, quæ tempore filiorum Israel solitudo erat vastissima, id est desertum, eremus, terra invia et inaquosa, in qua detinuit eos Dominus quadraginta annis, manna ad manducandum eis pluens, et aquam

de rupe producens; quam Arabiam mare mortuum dividit a Judæa. A meridie vero adjacet terra Ægypti, et sic filiis Israel de Ægypto ad Judæam redeuntibus, magnus erat circuitus, quia per Arabiam circumduxit eos Dominus. Ab Occidente quoque adjacet mare magnum; et a Septemtrione Syria et mare Cyprium. In hoc ergo quod dicit: *Ecce ascendimus Jerosolymam*, apparet voluntas patiendi, quia sponte sua venit ad Passionem. Ubi ait *Chrysostomus*: « Ac si dicat : Videte quia voluntarie vado ad mortem, nemo me vocat ad Jerosolymam, nemo admonet, nullius potestatis præceptum timeo, nullius violentiæ necessitate compellor. Cum ergo videritis me in cruce pendentem, ne æstimetis me hominem esse tantum; nam, et si posse mori hominis est, velle tamen mori hominis non est : » hæc *Chrysostomus*. Hic Dominus ostendit quod in prælatis debet esse vigor ad tolerandum martyrium, si necesse sit, pro grege sibi commisso; et hoc docet per exemplum sui, qui voluntarie venit in Jerusalem, ad suscipiendum mortem crucis pro salute mundi.

3 Partes Judæorum et Gentilium in Passione Christi. — Et subjungit: *Et consummabuntur omnia, quæ de Filio hominis*, id est filio Virginis, *per Prophetas sunt scripta*, et bene dicit: *omnia*; nam tria prædixerant de Christo, scilicet : quid esset acturus, quid passurus, quid pro utroque recepturus. Congrue autem se Filium hominis nominat, ubi se passurum prædicat, ut intelligatur quod secundum humanam naturam, non secundum divinam, passurus erat. Deinde explicat, quæ ventura super eum erant, et seriatim ordinem Passionis enarrat : *Tradetur enim*, scilicet a Juda, *principibus sacerdotum, et Scribis et senioribus; et condemnabunt eum morte*, id est per falsos testes, judicantes eum esse reum mortis, nullo juris ordine servato. Et, quia non habebant potestatem illum interficiendi, eo quod judicium sanguinis esset eis ablatum per Romanos, qui eis dominabantur, ideo subjungit : *Et tradent eum*, scilicet principes et Scribæ et seniores cum accusatione criminis, *Gentibus*, scilicet Pilato Præsidi, et suis militibus ministris Romanorum, ad perficiendum illud quod ipsi non poterant, scilicet mortem Christi. *Et* ipsi quidem Gentiles *illudent ei*, verbis et contumeliis; *et conspuent eum*, oris immunditiis; *et flagellabunt, eum*, virgis et nodis; *et interficient eum*, crucifigendo clavis ferreis. Injuria nimia ubi falsi tradunt veritatem, fatui illudunt sapientiam, rei flagellant innocentiam, miseri conspuunt gloriam, mortui occidunt vitam. Unde ait *Bernardus* : « Heu, fratres carissimi! libertas captivorum traditur, speculum sine macula et candor lucis æternæ conspuitur, Dominus omnium flagellatur et vita hominum occiditur. Quid instat nisi ut omnes eamus, et cum eo moriamur? » Et iterum : « Christus traditur, tamquam reus; ad illudendum, tamquam fatuus: ab flagellandum, tamquam vilis; ad occidendum, tamquam prævaricator Legis : » hæc *Bernardus*. — Mystice, Dominus traditur a simoniacis, illuditur ab hypocritis, flagellatur a tyrannis, conspuitur a blasphemis, occiditur ab hæreticis et apostatis.

4 Prædicitur et resurrectio. — Et, ne Apostoli, ejus morte audita, absorberentur præ tristitia, et conturbarentur cum viderent morientem, nuntiat eis suam resurrectionem, ad eorum consolationem, dicens : *Et tertia die resurget*. Ecce tempus et gloria resurrectionis, quam Passioni annectit, ut tam cita et certa resurrectio scandalum crucis evacuet. Ideo etiam Passio et resurrectio conjunguntur, ut in Passione natura humanitatis, et in resurrectione natura divinitatis comprobetur. Et, ut dicit *Augustinus* Passione ostendit, quid : sustinere pro veritate; resurrectione, quid sperare in tribulatione debeamus. Sequere ergo nunc et tu cum discipulis, et associa Dominum tuum ad ignominiam Passionis, ut tandem pervenire merearis ad gloriam resurrectionis; quia, secundum Apostolum, *Si tamen compatimur, ut et conglorifi-*

cemur. Prædixit ergo discipulis Passionis suæ pœnam, et resurrectionis gloriam, ut cum morientem cernerent, etiam resurrecturum non dubitarent, et ejus resurrectionem fiducialius exspectarent. *Et ipsi nihil horum intellexerunt*, scilicet manifeste et perfecte : quia adhuc rudes erant et imperfecti; cujus rationem triplicem assignat *Beda*, dicens : « Discipuli cujus vitam maxime desiderabant, mortem ejus audire non poterant; et quem non solum hominem innocentem, sed et verum Deum esse sciebant, hunc nullatenus mori vel posse putabant; et quia per parabolas eum sæpe loquentem audire consueverant, quoties aliquid de sua Passione dicebat, hoc, non ita ut sonabat intelligendum, sed, amore dictante, ad aliud quid allegorice referendum esse credebant : » hæc *Beda*.

5 Mors, passio et resurrectio religiosorum. — Et nota quod sicut Christus assumpsit discipulos, et duxit eos Jerosolymis, ac secreta eis revelavit; sic spiritualiter adhuc assumit discipulos et ducit Jerosolymis, quando vocat hominem ab amore mundi, et ducit ad religionem, in qua est pacifica conversatio, sicut et Jerosolyma interpretatur *pacifica*, in qua religione multa secreta eis revelat. Et illa quinque, quæ hic enumerantur de Christo, spiritualiter contingunt religiosis, quæ et Christus patitur in eis. Primo, moriuntur mundo, quando amor seculi funditus in eis exstinguitur, ita quod parentes, et divitias, et delicias, et honores, et omnia quæ in mundo sunt, propter Christum contemnunt; secundo, illuduntur, quia jam ab hominibus infatuantur, ita quod religiosus potest dicere illud Psalmistæ : *Videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput*; tertio, flagellantur linguis detrahentium, quia, heu! jam ubi conveniunt seculares, semper rodunt et flagellant religiosos per detractiones; quarto, crucifiguntur a seipsis, quando totum cor suum ad crucem Christi configunt, et cogitantes de Passione Christi carnem suam crucifigunt et affligunt jejuniis et disciplinis et similibus; quinto, tertia die resurgent, quia, terminata omni miseria, ad æternam lætitiam pervenient. Prima quidem dies est fidei Christianæ, quam habuerunt in seculo; secunda dies est religionis sanctæ, qua servierunt Deo, sed in his duobus diebus adhuc mortui sunt; tertia vero dies est gloriæ, in qua ab omni miseria resurgent. Poteris etiam prædicta de Christo enumerata, et aliter accipere et sic orare : Ignosce mihi, o munditia summa, quod ego corpus tuum indigne sumendo toties tradidi te libidinosis motibus meis, tamquam incircumcisis. Ignosce mihi, o summa veritas, quia ego toties illusi tibi, votum meum transgrediendo et proximis mentiendo. Ignosce mihi, o vera patientia, quod toties flagellavi te peccata mea iterando, et te rursum offendendo. Ignosce mihi, o summa sapientia, quod ego toties faciem tuam conspui, quando veritatis cognitionem quam de te habui, per turpitudinem vitæ meæ fœdavi. Ignosce mihi, o vera vita, quod ego te toties occidi, quando per peccatum mortale, te ab anima mea expuli. Fac me tertia die resurgere per veram contritionem, puram confessionem et dignam satisfactionem.

6 Petitio matris filiorum Zebedæi. — Et, quia Dominus Jesus dixit, se tertia die resurrecturum, filii Zebedæi putantes imminere regnum Jesu in Israel, et eum illico in proximo regnaturum temporaliter et in pace, sicut David et Salomon regnaverunt, ad complendum in primo adventu, quod promittitur in secundo, suggesserunt matri suæ, ut peteret munus sine nomine, quo concesso, peteret eis consessionem a dextris et a sinistris ejus in regno suo, id est quod essent collaterales et majores præ ceteris in regno suo post eum; quia enim erant Domini cognati germani, volebant post eum esse primi. *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi*: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram tuam, in regno tuo.* Nec mirum, si talia Apostoli credebant, et

appetebant, qui adhuc carnales erant, et nondum perfecte illuminati, nec confirmati per gratiam Spiritus Sancti. Unde ait *Chrysostomus* : « Intra tempus vocationis Apostolorum, et Passionis Domini, mortuus est Zebedæus, et sic ista secuta est Jesum cum filiis suis. Sexu fragilis, et jam ætate defecta, Christi vestigia sequebatur, quia fides numquam senescit, et religio fatigationem non sentit : » hæc *Chrysostomus*. Tria autem petit, quæ desiderant matres filiis, scilicet : quietem, cum dicit: *Dic, ut sedeant hi duo filii mei*; honores, cum subdit : *Unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram;* divitias, cum addit : *In regno tuo.* « Et, ut dicit idem *Chrysostomus*, alii filiis suis militiam comparant, alii divitias, alii honores; nemo filiis suis comparat Deum. Perditionem illorum magno pretio comparant ; salutem autem illorum nec dono accipere volunt. Sed, si viderint illos honoratos, lætantur ; si viderint pauperes, tristantur ; si viderint peccantes, non tristantur, ut ostendant quia corporum amatores sunt, non animarum : » hæc *Chrysostomus*. In tribus autem deficiebat ista mulier : in ordine, in intentione, in materia. In ordine erat perversitas, quia ante meritum petebat præmium : *Dic*, inquit, *ut sedeant hi*, qui nondum laboraverant. In intentione erat carnalitas; credebat enim hoc sibi deberi ex lege carnis; ideo dicit : *Hi duo filii mei*, scilicet consobrini tui. In materia erat vanitas, quia pompam quærebat, ideo subdit : *Unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram tuam, in regno tuo.* Non solum, ut ait *Chrysostomus*, prædicens discipulis suis de Passione sua futura; sed etiam aptans petituræ mulieri locum, declinavit seorsum ab itinere, donec mulieres retrovenientes occurrerent. Nec etiam credibile est mixtim cum ipso ambulasse mulieres, sed longo intervallo, separatim inter se ambulabant ; Christus cum discipuli suis primi, sequentes autem de longe mulieres. Et, cum mater, secundum informationem filiorum, peteret pro eis, Jesus non respondit matri pro simplicitate ejus ; sed filiis per eam petentibus, qui verba posuerunt in ore matris. Sciebat enim ipsam missam a filiis, et informatam de petitione facienda pro eis; propter quod eis imputavit, quia quod per alios facimus, quodammodo per nosmetipsos facimus.

7 Quid sit petendum docemur. — Unde *respondens Jesus* duobus filiis, quorum consilio mater petebat, ostendit eos errare, *dixit* enim : *Nescitis quid petatis*, scilicet, mediante matre vestra, quam submisistis. Quasi diceret : Prælationem quæritis in cœlo, quæ nulla ibi erit, et male quæritis; regnare enim vultis, qui non meruistis, et nec honore, sed onere pervenitur ad regnum quod quæritis. Attendant ergo, qui regnum cœlorum a Domino petunt, et parum per hoc laborant, quod Christus suis discipulis et nepotibus responderit. Unde *Beda*: « Nesciunt quid petunt, qui sedem gloriæ a Domino, quam nondum merebantur, inquirunt. Desiderabant etenim regnare sublimiter cum Christo, sed prius erat pati humiliter pro Christo. » Ubi et *Chrysostomus* : « Intelligere ergo debemus et nos, ut non illud a Deo petamus, quod nos bonum esse judicamus ; sed orantes in potestate Dei ponamus, ut ad illud exaudiat, quod ipse nobis expedire cognoscit. » Et iterum : « Non enim solum debemus cogitare qualem gloriam consequamur , sed quomodo evadamus ruinam peccati, quia et in seculari bello, qui semper de præda victoriæ cogitat, difficile vincit. Ideo petendum erat : Da nobis exemplum gratiæ tuæ, ut omne malum vincamus : » hæc *Chrysostomus*. Per istos Zebedæi filios, qui petierunt a Christo præ ceteris discipulis honorari, eo quod erant ejus consanguinei, significantur ambitiosi, qui habentes prælatum consanguineum, volunt per hoc in Ecclesia præ ceteris promoveri. Quibus bene respondetur : *Nescitis quid petatis*. Nam honores Ecclesiæ non sunt dispensandi ex propinquitate sanguinis ; sed ex idoneitate personarum, ratione scientiæ et virtutis. Et universaliter de omnibus ambitiosis optime potest dici, quod nesciunt

quid petant, quia tales si promoventur, male intrant et possident. Cognoscens igitur Dominus eorum ignorantiam et errorem, quia indiscrete petebant, præsumentes pervenire sine merito ad gloriam tantam, reduxit eos ad viam, scilicet ad humilitatem, et nos invitat ad eam per quam venitur ad sublimitatem potius quam per ambitionem. Ubi ostendit, quod in prælatis debet esse tenor humilitatis, quia non debent appetere vel gaudere præesse aliis.

8 Bibendus est calix Domini his qui cum ipso regnare volunt. — Unde subjungens, dixit eis : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum ?* id est passionem martyrii et mortem crudelem sustinere propter Deum, quam ego pro vobis et pro multis, ex caritate passurus sum voluntarie, ac si bibam illam ut delectabilem calicem, per quem debeo venire ad regnum, non temporale, ut creditis, sed æternum. Per calicem fere ubique passio et martyrium intelligitur : tum, quia sicut calix est vas quo bibitur ad mensuram, sic passio cum mensura bibitur, eo quod non permittit Dominus hominem tentari supra id quod potest; tum, quia cito sicut potus transit, illud enim quod in præsenti est tribulationis, momentaneum et leve est; tum, quia delectat, nam passio et tribulatio a fidelibus pro consolatione recipitur, et in ea gloriantur. Est autem multum delicatus, qui non potest bibere potum, de quo bibit Dominus suus. Hanc autem passionem, quam Matthæus calicem vocat, Marcus et calicem et baptismum nominat ; dicit enim : *Potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor,* scilicet pro vobis, *baptizari,* scilicet propter me? Tincturam sanguinis sui in sua benedicta Passione, pro peccatorum emundatione vocat hic baptismum. Unde ait *Theophilus* : « Calicem autem et baptismum crucem nominat : calicem quidem, tamquam potum dulciter ab ipso susceptum ; baptismum vero, tamquam emundationem nostrorum facientem peccatorum : » hæc *Theophilus*. Quasi diceret eis : Ante humilitatem passionis exaltari non poteritis ; si vultis conregnare Crucifixo, incumbit vobis tollere crucem ejus exemplo, quia nemo nisi tollat crucem suam, per martyrii passionem, vel per proximi compassionem, vel per carnis mortificationem, regnabit cum Crucifixo. Ubi *Gregorius* : « Jam locum celsitudinis quærebant ; ad viam illos Veritas revocat, per quam ad celsitudinem venirent. Ac si eis dicatur : Jam vos locus delectat celsitudinis ; sed prius via exerceat laboris. Per calicem enim pertingitur ad majestatem. Si mens vestra appetit quod demulcet, prius bibite quod dolet. Sic per amarum poculum confessionis, pervenitur ad gaudium salutis. » Ubi et *Chrysostomus* : « Per modum interrogationis attrahit eos, ut ex communione, quæ est ad ipsum, avidiores fierint. Ac si illis dicat : Vos de honore et de coronis loquimini, ego autem de agonibus et sudoribus disputo. Non enim est hoc præmiorum tempus, sed tempus occisionis, præliorum et periculorum. » Et iterum : Numquid nesciebat Dominus, quia Passionem ipsius poterant imitari ? Sed ideo eis sic loquitur ut, Domino interrogante, et eis respondentibus, omnes nos audiamus, quoniam nemo potest cum Christo regnare, nisi Passionem illius fuerit imitatus ; sicut ait Apostolus : *Si commortui sumus, et convivemus; si sustinemus, et conregnabimus.* Res enim pretiosa vili pretio non comparatur. Magnum laborem necesse est nobis impendere, si volumus ad regna cœlestia pervenire. Passionem autem Domini dicimus suspicere nos debere ; non solum persecutionem Gentilium, sed omnem laborem et molestiam quam patimur contra peccata certantes. Nam si Gentiles defecerint, qui persequantur, numquid ideo prompta voluntas fidelium debet sine fructu, et sterilis permanere ? Ideo, etsi Gentiles non habes, qui te persequantur, habes principem Gentilium diabolum, qui hominem persequi non cessat. Si ergo principem potes vincere in peccato, non est magnum superare principes ejus in corpore. Ecce ostendam

tibi magnam et insufferribilem persecutionem in corpore tuo. Incipe resistere desideriis tuis, et tunc intelliges quam fortes sunt spiritus desideriorum malorum, qui te persequuntur. Hæc enim pugna periculosa, et hæc est gloriosa victoria, qui potuerit odire quod amat, amare autem quod odit: » hæc *Chrysostomus*. Unde et *Hieronymus* : « Non solum effusio sanguinis pro nomine Christi martyrium reputatur; sed devotæ quoque mentis servitus quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis et violis, ista de liliis : » hæc *Hieronymus*.

9 Præordinatio divina de regno cœlorum. — Et illi respondentes, *dicunt ei* : *Possumus*; loquuntur sicut inexperti propriæ fragilitatis, quod per effectum bene patuit, quia in Passione Christi fugerunt præ timore mortis. Ubi ait *Chrysostomus* : « Responderunt autem jam prompte, exspectantes in eo, quod petierunt, exaudiri. » Jesus autem *ait eis* : *Calicem quidem meum bibetis, et baptismo quo baptizor baptizabimini*, id est passiones propter me sustinebitis, vel actu, vel voluntate. Nempe dissimiliter passi sunt : unus sustinendo actu, alter affectu; unus occisus, alter in ferventis olei dolium, et etiam in exsilium, quod est quædam mors civilis, missus. Ubi *Chrysostomus* : « Dominus autem eis prophetat magna bona, id est martyrio dignos efficiendos » Deinde Dominus subjungit : *Sedere autem ad dexteram meam*, in gaudio æternitatis, *vel ad sinistram*, in perfruitione humanitatis, *non est meum*, ex ordine justitiæ quæ respondet meritis, *dare vobis*, ratione consanguinitatis; vel sicut adhuc estis indispositi, quia ex superbia regnum temporale quæritis, *sed quibus*, ex meritorum ordine, *paratum est*, id est propter merita ab æterno dispositum, *a Patre meo* cœlesti, scilicet humilibus et ad hoc dispositis, sicut vos aliquando eritis. Præordinavit enim Deus quod nullus ad regnum perveniet, nisi bene meritus et dignus fuerit. Non est enim personarum acceptor Deus, ut scilicet personaliter aliquem accipiat, sine meritis, in dando salutem æternam, quia, secundum *Augustinum*, dilectio æqualis facit non acceptare personas. Unde *Beda* : « *Non est meum vobis dare*, id est superbis, hoc enim adhuc erant; aliis paratum est, et vos alii estote, id est humiles, et vobis paratum est. » Unde et *Chrysostomus* : « Paratum est quippe regnum cœlorum Deum diligentibus, sicut convivium paratur amicis; mundum contemnentibus, sicut domus Dei vel hospitale paratur pauperibus qui non habent domos alias; veris humilibus, sicut parvulis paratur cibus, et vestitus; misericordiam egenis impendentibus, sicut paratur honor pro honore, bonum pro bono; finaliter perseverantibus, sicut operariis paratur merces reddenda in sero post opus. »

10 Indignatio discipulorum contra filios Zebedæi. — *Et audientes decem* alii, scilicet Apostoli, *indignati sunt de duobus fratribus*, qui se a decem alii separaverant, trahentes seorsum Christum, et ignorantes mensuram suam, volebant sociis suis præferri, quia adhuc ipsi decem erant carnales, sicut et illi duo alii. Ubi *Chrysostomus* : « Quemadmodum isti carnaliter petierunt; sic et illi carnaliter contristati sunt. Nam sicut isti, si, spiritualiter sapuissent, non fuerant petituri ut essent super omnes; sic et illi, si spiritualiter intellexissent, non fuissent contristati ante se esse aliquos. Nam velle quidem esse ante omnes vituperabile est; sustinere autem alterum super se, nimis est gloriosum. » Et iterum : « Si indignati sunt, quia isti ausi sunt hoc per matrem petere; quando magis turbarentur, si petitio eorum fuisset suscepta? Et ideo neque dixit, non sedebitis, ne duos confunderet; neque dixit, sedebitis, ne ceteros irritaret; sed tamquam benignus Pater sic respondit, ut inter fratres concordia non rumperetur, et omnes sperare faceret, sic dicens : Non est meum dare, sed Patris. Nam quod uni aut duobus specialiter non promittitur, a cunctis speratur : » hæc *Chrysostomus*. Ut autem dicit *Theophilus*, tunc sic imperfecte se habebant Apostoli; sed postea in primatibus sibi cedebant ad invicem.

Vide etiam quia ex hoc quod procurabatur promotio duorum fratrum, alii decem Apostoli fuerunt indignati; sic est de multis hodie, qui eo ipso quod vident alios promoveri, invident statim et indignantur. Humilis autem Dominus, ac pius Pater, et mitis Magister, nec cupiditatis et ambitionis duos arguit postulantes, nec decem reliquos indignationis increpat et livoris; sed ipse misericors et benignus, qui est pax nostra utraque faciens unum, quos ad apostolatum vocaverat, et affectu sejunctos aspexit, duos per superbiæ postulationem, decem per indignationis turbationem, ad se tamquam ad salutis medium, quo mitigarentur, tamquam ad pacis vinculum, quo unirentur, tamquam ad virtutis Magistrum quo instruerentur, vocavit; ut omnes ab errore revocaret, ut pacem reformaret, ut regulam debitæ prælationis erudiret, ut non esset denarius sine binario caritatis.

11 Discrepantia inter principes Gentium et principes Ecclesiæ. — Et utrosque reprimens cœpit eos *Jesus* docere de humilitate per quam honor cœlestis acquiritur et terrenus contemnitur, *revocavit* enim *eos ad se et ait : Scitis quia* reges et *principes Gentium dominantur,* violenta dominatione et potestatis ambitione, *eorum,* id est populorum subditorum, et est hic relatio ad intellectum ; *et qui majores sunt, potestatem exercent in eos,* scilicet humiliantes eos, per suam potentiam et angariantes. Quasi diceret : Apud terrenos habet locum dominatio, et dominii exsecutio, quia desiderare primatum, et usurpare honorem Gentium est, et non tantum regere suos subjectos, sed etiam violenter eis dominari. Unde *Chrysostomus* : « Ostendit autem in hoc, quod gentile est primatus cupere et sic Gentium comparatione, eorum animam æstuantem convertit. » Et, quia nihil sic corda hominum ab unitate pacis separat, sicut superbia, ideo Dominus ad humilitatem discipulos reducit, docens hos et illos non venturos ad regnum, nisi per humilitatem. *Non,* inquit, *ita erit inter vos,* sicut est inter mundi hujus potestates, ut ille ceteris dominetur, qui major ceteris videtur. Majoritas enim in regno meo non eodem modo acquiritur, sicut in regno terreno, quia in regno terreno acquiritur per ambitionem et potestatem, sed in regno meo acquiritur contrario modo, scilicet per humilitatem. Quasi diceret : Vos more secularium petitis, et vultis per prælationem venire ad requiem et regni possessionem, cum e contra ad summam virtutem ascendatur non imperando, sed ministrando ; et ideo non ita erit inter vos, sicut inter eos. Nam in regno terreno prælati sunt domini ; ast vestrum regnum non est terrenum, sed spirituale, unde per oppositum debet in vobis esse, quoniam prælati Ecclesiæ sunt ministri. Unde ait *Origenes* : « Inter vos autemqui estis mei, non erunthæc ; quoniam qui principes sunt spirituales, principatus eorum in dilectione subditorum debet esse positus, non in timore corporali : » hæc *Origenes.* Unde subdit Dominus : *Sed quicumque,* sive nobilis, sive ignobilis, *voluerit inter vos major fieri;* sanctitate et dignitate, *sit vester minister,* non primatum ambiendo, sed humiliter ministrando, et se in obsequiis humilitatis exercendo ; *et qui voluerit inter vos primus esse,* id est primatum habere, *erit vester servus,* et omnium novissimus, non ex conditione, sed ex caritate, non ex pusillanimitate, sed ex humilitate. Unde *Beda* : « In quo docet eum majorem esse, qui minor fuerit; et illum dominum fieri, qui omnium servus sit. Frustra igitur aut illi immoderata quæsierant, aut isti dolent super majorum desiderio, cum ad summitatem virtutum non potentia, sed humilitate veniatur. » Unde etiam *Chrysostomus* : « Fructum humilitatis posuit primatum cœlestem, et in primatu terrestri fructum posuit confusionem cœlestem, ut quicumque desiderat primatum cœlestem, sequatur humilitatem terrestrem ; quicumque autem desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in cœlo, ut jam inter servos Christi non sit de primatu

certamen, nec festinet unusquisque eorum quomodo aliis major appareat, sed quomodo inferior videatur: quoniam non qui major fuerit in honore, ille est justior; sed qui justior fuerit, ille est major. Conversatio ergo melior est desideranda, sed non dignior gradus. Et opus quidem desiderare bonum est, quia nostræ voluntatis est. et nostra est merces, primatum autem honoris concupiscere, vanitas; hoc enim consequi judicium Dei est, propter quod ex primatu honoris nescimus, si mercedem justitiæ meremur. Neque enim Apostolus laudem habebit apud Deum, quod Apostolus fuit; sed si opus apostolatus sui bene impleverit. Primatus etiam fugientem desiderat, desiderantem se horret. Volens ergo Dominus et duorum Zebedæi filiorum ambitionem exstinguere, et istorum decem Apostolorum invidiam, introducit differentiam inter principes mundiales et ecclesiasticos, ostendens quoniam primatus in Christo, nec ab aliquo appetendus est non habente, nec alteri est invidendus habenti. Quoniam principes mundi ideo fiunt, ut dominentur minoribus suis, ut servificent eos, et spolient eos, et comedant eos, et usque ad mortem abutantur vita eorum ad suas utilitates et glorias. Principes autem Ecclesiæ fiunt, ut serviant minoribus suis, et ministrent eis quæcumque acceperunt a Christo, ut suas utilitates negligant, et illorum procurent, et, si opus fuerit, neque mori recusent, pro salute inferiorum. Si ergo hæc ita se habent, secularem quidem primatum desiderare, etsi ratio non est, vel causa est; quia si justum non est, vel utile est. Primatum autem ecclesiasticum concupiscere, neque ratio est, neque causa; quia neque justum est, neque utile. Quis enim sapiens ultro se subjicere festinat servituti, dolori, labori, et, quod majus est, tali periculo ut det rationem pro omni Ecclesia apud Judicem justum; nisi forte, qui nec credit judicium Dei, nec timet, ut abutens primatu suo ecclesiastico seculariter, convertat eum in secularem? » hæc *Chrysostomus*.

13 CHRISTUS, IN HOC A PRINCIPIBUS ECCLESIARUM IMITANDUS, NON VENIT MINISTRARI, SED MINISTRARE. — Et, quia in moralibus magis movent facta quam verba, ideo, qui *cœpit facere et docere*. ex his quæ egit demonstrat quod docuit, ut si dicta parvipenderent, erubescerent ad opera, et inducit suimetipsius exemplum, sive dat seipsum illis in exemplum, dicens: *Sicut Filius hominis non venit* in mundum *ministrari*, et ministerium ab aliis accipere, vel temporaliter dominari. Non enim legimus discipulos eum discalceasse, non manicas, cum se lavaret, tenuisse, non genibus provolutos ante eum hoc vel illud egisse, vel aliud hujuscemodi sibi fecisse; sed omnes simul comedebant, sibique sine prælatione serviebant. Erubescant ergo qui hæc a servis suis quærunt, quia in hoc Christum præire contendunt. *Sed* potius venit *ministrare*, et ministerium aliis impende, resicut patet in lotione pedum, in distributione panum, in restitutione sanitatum, in discursu ad prædicandum. Ubi *Origenes* : « Nam, etsi Angeli et Martha ministraverunt ei; non tamen ideo venit ut ministraretur, sed, ut ministraret. Ecclesiarum ergo principes imitari debent Christum accessibilem, et pueris manus imponentem, et discipulis pedes lavantem; ut et ipsi similiter faciant fratribus. Non autem tales sumus, ut etiam principum mundi excedere superbiam videamur, vel non intelligentes, vel contemnentes mandatum Christi, et quærimus sicut reges acies præcedentes, et terribiles nos, et accessu difficiles maxime pauperibus exhibemus, nullam affabilitatem habentes, vel habere ad nos permittentes: » hæc *Origenes*. Et non tantum prædicto modo ministrare Christus venit; sed etiam *et dare animam suam*, id est vitam, *in redemptionem pro multis*, id est pro his qui credere voluerunt. Pro omnibus quidem, quantum ad sufficientiam; sed pro multis, non pro omnibus, quantum ad efficaciam. Non solum ergo quodcumque ministerium exhibuit Christus; sed ministravit nobis id, quod summe pretiosum et

eximiæ caritatis, scilicet semetipsum in pretium nostræ redemptionis. Unde *Bernardus* : « Bonus minister, qui carnem suam in cibum, sanguinem in potum, et animam ministrat in pretium. » Unde et *Beda* : « Et hoc quoque majoribus Ecclesiæ præcipuum genus ministrandi imitandum ostendens, ut non solum misericordes, eleemosynæ, doctrinæ salutaris, et spiritualis exempli ministeria fratribus impendamus ; verum etiam sicut ille pro nobis animam suam posuit, ita et nos pro invicem animam ponere discamus. » Unde etiam *Chrysostomus* : « Rex cœlorum existens, homo voluit effici, et contemni, et convitia pati, neque in his suffecit, sed ad mortem venit, et animam dedit pretium redemptionis, pro multis etiam inimicis. Tu quidem, si humiliatus fueris, pro temetipso facis, ipse autem pro te. Quantumcumque ergo humiliatus fueris, non potes tantum descendere sicut Dominator tuus. » Et iterum : « Ad hoc enim ad imaginem Christi facti sumus, ut imitatores efficiamur voluntatis ejus et conversationis. Sed in hoc sumus imago ejus, ut quod ei bonum videtur, et apud nos sit bonum ; et quod ei malum videtur, et apud nos sit malum. Quicumque autem, Domino humiliante, jactantiæ studet, non est imago ejus ; et qui, Domino paupertatem amante, divitiarum amator est in hoc seculo, repellit a se Christi similitudinem. Non est verus discipulus, qui non imitatur Magistrum ; nec est vera imago, quæ similis non est auctori : » hæc *Chrysostomus*. Humilia igitur teipsum, et imitari conare Magistrum et Dominum tuum. Vituperabile enim valde est, ut discipulus se erigat, ubi Magister se inclinat ; et quod servus sit superbus, ubi Dominus est humilis, quia, ut ipse dixit : *Non est discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum suum* sed : *Sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus*. Quia enim homo per superbiam cecidit, necesse est ut per humilitatem resurgat.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui pro nostra salute calicem Passionis bibere, et baptismo sanguinis perfundi voluisti, et non temporaliter dominari et ministrari, sed humiliter servire et ministrare, ac vitam tuam pro nostra redemptione dare venisti, da mihi misero, pro meo modulo, tui calicis et baptismi, cum patientia et gaudio spiritus participem fieri, et te Magistrum ac Dominum in humilitatis operibus imitari, et non solum in operibus misericordiæ ministerium proximis impendere ; sed etiam vitam, si necesse est, pro eis ponere, et tandem ad regnum cœleste electis tuis paratum feliciter pervenire. Amen.

CAPUT XXII

DE UNO CÆCO ANTE INGRESSUM JERICHO ILLUMINATO.

Lucæ cap. XVIII.

1 Clamor cæci mendicantis. — *Factum est autem, cum appropinquaret* Dominus Jesus *Jericho*, quæ est urbs inter Galilæam unde ascendebat, et Jerusalem quo ibat, distans duabus leucis a Jordane, et septem a Jerusalem, et sita ad ejus partem Orientalem. Hæc civitas quondam nobilis, nunc autem humilis, ad solum destructa est ; et sola domus

Rahab, in signum fidei, remanet, ejus enim adhuc parietes sine culmine durant. Juxta autem Jericho fons est dulcis ad potandum, pinguis ad rigandum; qui quondam amarus ad potandum, et sterilis ad rigandum, per Elisæum sanatus est; hic fons sub monte Quarentanæ oritur, et deinde Jericho, quæ duobus milliaribus inde distat, derivatur. Ad hanc ergo civitatem Dominus eundo Jerusalem declinavit, ut, secundum *Hieronymum*, sanaret in ea multos male habentes. Et tunc *cæcus quidam sedebat secus viam mendicans; qui, cum turbam prætereuntem audiret, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret.* Jesum autem transire percipiens, misericordiam cum clamore non tantum exteriori, sed etiam interiori petiit. *Et clamavit dicens : Jesu, fili David, miserere mei.* In quo cæcus iste utramque naturam in Christo confitetur, scilicet: humanam, in eo quod dicit : *Jesu, fili David*, a David enim Rege carnem suscepit; divinam, in eo quod dicit : *Miserere mei,* proprium est enim Deo misereri creaturæ suæ, quam condidit, secundum illud Psalmistæ : *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Unde *Cyrillus* : « Iste cæcus, in Judaismo nutritus, non ignoravit quod de progenie David Deus secundum carnem nasceretur; et ideo ei ut Deo et homini loquitur. » Et licet increparetur a turba prætereunte, et doctrinam Christi auscultante ; ipse tamen multo magis clamando petebat sibi misereri, timens ne ex increpatione impediretur auditio et exauditio petitionis suæ.

2 Interrogatur a Christo. — *Jesus autem* tandem propter suam benignitatem *stans*, quia cæcus eum sequi non potuit, *jussit illum adduci ad se,* ne turba prohiberet, et ut occasionem sanandi haberet. Magnæ pietatis in Christo signum fuit, quando ipsum cæcum exspectare voluit, et ad se adduci fecit. Unde idem *Cyrillus* : « Sistit autem Christum vox, et invocantes in fide respicit. Et ideo vocat cæcum, eique accedere jussit, ut scilicet, qui prius fide eum tetigerat, appropinquet et corpore. » Sic deberent facere nostri principes cum viderent pauperes conquerentes, scilicet : stare, et facere vocari ad se, ut audirent eorum querimonias, facerentque eis justitiam expedire. *Et cum appropinquasset interrogavit illum, dicens: Quid tibi vis faciam?* Non quod hoc ignoraret, sed ut ejus confessionem approbaret; et, secundum *Ambrosium*, ut sciremus nisi confitentem non posse salvari, et ut cor ejus ad orationem excitaret, et lumen quod ex sua bonitate largiturus ei erat, ad sui petitionem tribueret, quia non sanat invitos, sed voluntarios. Unde *Augustinus* : « Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. » Unde et *Ambrosius* : « *Vult omnes homines salvos fieri*, sed, si accedant ad eum; non enim sic vult ut nolentes salventur, sed volentes, non enim vera salus est, si nolenti tribuatur. » Item, secundum *Cyrillum*, interrogavit, ut scirent astantes quod non pecuniam, sed divinam efficaciam a Deo petebat. Vide et hic Domini clementiam, quia non dedignatus est non solum stare, sed et alloqui personam vilem et pauperem. *At ille respondens, dixit : Domine, ut videam*, ubi miseriam et necessitatem suam insinuat, ac remedium et revelationem ; nec aliquid aliud præter hoc postulat. Voluit ergo Dominus audire illius confessionem, qui tamen non ignorat mentis intentionem, ut cognoscamus non nisi confitentem posse sanari ab infirmitate spiritus. Unde hunc cæcum salvare noluit quamdiu clamavit in generali : *Miserere mei;* sed postquam specialiter insinuavit miseriam, cujus revelationem sibi misericorditer fieri postulavit, tunc eum sanavit.

3 Illuminatur, plebsque laudem dat Deo. — Petiit enim ut videret, *et Jesus*, verbo potentissimo, quo dixit : Fiat, et factum est, *dixit illi : Respice.* Breve verbum, sed in operatione efficacissimum, et quia in fide credentium verbum Domini operatur, ideo subjungitur : *Fides tua salvum te fecit.* Ex fide enim impetratur salus corporalis, et spiritualis, et æternalis : *Et confestim vidit, et sequebatur illum*

magnificans Deum, id est magnum dicens illum, non magnitudine molis, sed virtutis. Non sufficit lumen recepisse, nisi etiam lumen sequatur, ne ambulet in tenebris. Ecce ergo signum illuminationis perfectæ, et in anima et in corpore. Unde, secundum *Cyrillum*, patet quod iste cæcus a duplici cæcitate liberabatur, scilicet : a corporali, et ab intellectuali, neque enim eum ut Deum glorificasset, nisi vere vidisset. Ubi et *Theophilus* : « Grata enim erat anima cæci, in eo quod sanus effectus Jesum non reliquit; sed secutus est eum. Et non solum fuit illuminatus cæcus; sed et aliis factus est occasio glorificandi Deum, et omnis plebs illuminata est, ut divinum aliquid in Christo cognosceret. » Unde sequitur : *Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo*, glorificando facta Dei, congratulando utilitati proximi. Hoc enim sibi retinet Dominus de beneficiis suis, scilicet gloriam. Unde ait : *Gloriam meam alteri non dabo*; nobis autem reliquit utilitatem. Et nota, secundum *Glossam*, quatuor causas istius laudis : prima est pro exauditione clamoris istius pauperis; secunda, pro potentia et misericordia illuminantis; tertia, pro impetrato munere lucis; quarta, pro merito fidei ejus qui illuminatus est. Secundum *Gregorium*, quia carnales adhuc discipuli, non valebant capere verba mysterii, venitur ad miraculum; ante eorum oculos cæcus lumen recipit, ut eos ad fidem cœlestia facta solidarent. Et, secundum *Theophilum*, ne incessus Domini esset inutilis, fecit cæci miraculum, hoc documentum discipulis suis dans, ut in omnibus simus proficui, et nihil nobis otiosum.

4 Mystice cæci illuminatio generi humano applicata. — Mystice, secundum *Gregorium*, cæcus a Domino illuminatus, est genus humanum, quod in parente primo claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras accepit. Jericho autem interpretatur *luna*, quæ dum menstruis momentis decrescit, defectum nostræ mortalitatis bene designat. Cum igitur Conditor noster appropinquat Jericho, tunc cæcus ad lumen redit; quia dum divinitas defectum nostræ carnis suscepit, humanum genus lumen, quod amiserat, recepit. Qui æternæ lucis claritatem nescit, cæcus est; si autem jam in Redemptorem credit, qui dixit : *Ego sum via*, etc., juxta viam sedet; si vero credit et exorat, ut æternum lumen recipiat, juxta viam sedet et mendicat. Quisquis ergo cæcitatis suæ tenebras agnoscit, quisquis hoc quod sibi deest lumen æternitatis intelligit, clamet medullis cordis, clamet et vocibus oris, dicens: *Jesu, fili David, miserere mei*. Illi autem, qui Jesum venientem præcedunt, et cæcum increpant, designant carnalium desideriorum turbas, tumultusque vitiorum, quæ, priusquam Jesus ad cor nostrum veniat, cogitationem nostram dissipant, et voces cordis in oratione perturbant, ne Jesus ad cor illuminandum accedat. Sicut enim turba cæcum impedit, ne lumen corporale recipiat; sic spiritualiter turba phantasiarum et cogitationum frequenter impediunt, ne lumen gratiæ recipiant. Sed in eo quod cæcus, quem turba increpat, magis clamat, datur nobis exemplum quod quanto plura nobis occurrunt impedimenta, tanto magis est clamandum, et quanto graviori tumultu cogitationum premimur, tanto orationi attentius est insistendum. Unde *Hieronymus* : « Comminantur autem multi ei ut taceat, quia peccata et dæmonia compescunt clamorem pauperis. Sed ille magis clamabat, quia, gravescente bello, manus ad lapidem adjutorii, hoc est Jesum Nazarenum, cum clamore levandæ sunt. » Unde et *Cyrillus* : « Increpabant eum ut taceret; sed per inhibitiones hujusmodi non impediebatur ejus audacia. Novit enim fides omnibus repugnare, et in omnia triumphare; utile est enim pro cultu divino pudorem deponere. » Nam si causa pecuniæ sunt impudentes nonnulli, quare pro animæ salute non decet bonam induere impudentiam ? Sed cum cæcus primo clamaret, Jesus transire dicitur, cum autem multo magis clamaret, stat Jesus : quia, cum adhuc turbas phan-

tasmatum in oratione patimur, Jesum aliquatenus transeuntem sentimus; cum vero orationi vehementer insistimus, Deus in corde figitur, et lux amisso reparatur. Ex quo docemur, quod si in oratione primo senserimus Jesum nos quasi pertranseuntem, post paululum instanter perseverantes, sentiemus nobiscum stantem. Interrogat autem cæcum, quid velit, ut eum ad orandum excitet, quia peti vult hoc quod et nos petere, et se concedere prænoscit. Pius enim Dominus sua dona gratuita, nostra vult esse merita; nec vult bonum nostrum invitum et coactum, sed spontaneum et voluntarium; et quod nobis sponte largitur, vult nostris petitionibus tribuere. Et ideo, quamvis sciat quid nobis necesse sit, antequam petamus; importune tamen nos ad petendum invitat, dicens : *Petite* autem *et dabitur vobis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis*. In cæci autem petitione discimus, quia in oratione non aurum, neque argentum, neque fugitivos honores, neque longiturnam vitam, neque vindictam inimicorum, neque aliquod temporale; sed ineffabile lumen quærere debemus, hoc est ut ipsum, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* videre possimus, juxta quod ipse admonet, dicens : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis*. Ad illud lumen autem videndum profecto via fides est, quia fides eum salvum fecit; videns autem confestim præeuntem Jesum sequitur, quando quis bonum quod intelligit, intuitu ejus operatur, et eum imitatur. Quanto ergo quisque plus a Deo illuminatur, tanto amplius et perfectius in bonis operibus exercere se debet, sicut iste cæcus, recepto lumine, non piger remansit, nec retro rediit. Et hic talis non solum in Deum proficit; sed etiam alios ad laudem Dei accendit. Ubi ait *Gregorius* : « Si ergo, fratres carissimi, cæcitatem, jam nostræ peregrinationis recognoscimus; si, credendo in Redemptoris nostri mysterium, juxta viam sedemus; si, exorando quotidie ab Auctore nostro lumen petimus; si tandem lucem jam per intellectum videndo, illuminati post cæcitatem sumus; Jesum, quem mente cernimus, opere sequamur. Aspiciamus quo graditur, et ejus vestigia imitando teneamus. Ecce, cum sit Dominus et creator Angelorum, suscepturus naturam nostram in uterum Virginis venit. Nasci tamen per divites noluit parentes, pauperes elegit; prosperari in mundo noluit, opprobria, irrisionesque toleravit; sputa, flagella, alapas, spineam coronam, crucemque sustinuit. Et, quia rerum temporalium delectatione, a gaudio æterno cecidimus, cum qua amaritudine illuc redeatur, ostendit. Quid itaque homo pro se pati debet, si tanta Deus pro hominibus pertulit? Diverso quippe itinere ambulat, si gaudia delectationesque appetit, cui dux suus viam amaritudinis ostendit. Si ergo retributionis gaudium in perventione quærimus, pœnitentiæ amaritudinem in via teneamus. Sic itaque fit, ut non solum nostra in Deum vita proficiat; sed hæc ipsa nostra conversatio ad laudem Dei et alios accendat : » hæc *Gregorius*.

5 Eadem illuminatio anagogice cuilibet peccatori applicata. — Hæc etiam, quæ de cæco dicta sunt, ad unumquemque peccatorem hoc modo referri possunt. Qui enim criminale peccatum committit in opere, cæcus est in mente. Sed, si iter veritatis ingredi cupiens pro æterna vita cœperit cogitare, et ad Deum post peccatum flendo, et veniam petendo redire; secus viam sedet, et mendicat. Prætereuntes vero silentium cæco imponere volunt, quia immundi spiritus acrius contra eum, quem ad veniam redire viderint, consurgunt, et ne peccator ad pœnitentiam redeat, contradicunt. Nec solum immundi spiritus, sed etiam ipsa consuetudo peccandi durius incipit rebellare, cum senserit, post assueta mala, ad virtutes hominem velle redire. Sed quo acrius se sentit impugnari a malignorum spirituum tentatione, seu ab ipsa peccandi consuetudine, eo fortius debet exemplo hujus cæci pugnare in oratione, clamando per de-

siderium, ad Deum; clamor etenim magnus magnum indicat desiderium. Et vere expedit peccatori clamare, quia longe distat a Deo : *Longe* enim *a peccatoribus salus.* Et, secundum *Hugonem,* si ad primas lacrymas, vel preces Deus non exaudit, homo preces iterare non desinat; magna enim munera sunt multis precibus comparanda. Neque enim divina pietas adjutorium sese petenti negabit, si ille orando a petitione non defecerit. Nec de suis meritis aliquid præsumat; sed in illius misericordia confidat, cui per Psalmistam dicitur : *In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.* Quantam autem misericordiam Dominus pœnitentibus exhibeat, quale auxilium pugnantibus contra peccatum præbeat, consequenter declaratur. Qui enim prius transibat propter tentationes quas in oratione patimur, si in oratione perseveraverimus, quasi stans nos ad se adduci jubet, quando tranquillitatem mentis redditam dulcedine suæ contemplationis, vel tenuiter manifestat. Et, quia in oratione ante omnia æternam gloriam quærere debemus, recte cæcus lumen a Domino petisse fertur. Et quoniam quicumque non negligit pœnitere, de venia non debet desperare, recte dicitur : *Fides tua te salvum fecit... Quacumque enim hora peccator* vere pœnitendo *ingemuerit, et conversus fuerit, salvus erit.* Et secundum *Augustinum,* si Jericho *lunam,* et ob hoc mortalitatem interpretatur, morti appropinquans Dominus Judæis solis lumen Evangelii jusserat prædicari, quos significavit iste unus cæcus ante ingressum Jericho illuminatus, quem Lucas commemorat; a mortuis autem resurgens atque ascendens, Evangelii lumen prædicari jussit Judæis et Gentibus, quos duos populos significare videntur duo cæci post egressum Jericho illuminati, de quibus Matthæus narrat, ut infra.

ORATIO

O benignissime Jesu, non personas hominum respicis; omnes exspectas, Creator; omnium misereris, Redemptor; omnibus indulges, Salvator. Quis igitur, nisi suæ salutis immemor, tardabit ad te converti, sic benignissime exspectantem, sic ad ostium pulsantem, et per gratiam introire volentem? Da ergo, Domine Deus meus, mihi cæco et misero, ut ad te vocatus aperiam tibi cor meum, peccatum inde expellendo, et te per gratiam recipiendo, ut illuminatus te sequar nunc in operibus virtuosis, et post hæc de tua visione semper gaudere merear in cœlis. Amen.

CAPUT XXIII

DE ZACHÆO ET EJUS CONVIVIO.

Lucæ cap. XIX.

1 Desiderium Zachæi videndi Dominum. — *Et* deinde, eadem die, Dominus Jesus ipsam urbem *Jericho ingressus perambulabat* eam, turba non modica stipatus. Jericho significat mundum, quem intravit in Incarnatione, ambulavit sua conversatione, sed perambulavit in sua Passione, ex qua perambulatione facta est salus domui Ecclesiæ. Mundus est perambulandus, quia per eum est citissime transeundum, et nullo modo per inordinatum amorem vel affectionem est ibi sistendum, vel ei inhærendum;

vix enim est aliquis qui non inficiatur, si circa mundi negotia implicetur. *Et ecce vir nomine Zachæus,* qui erat non tantum publicanus, sed *et hic princeps erat publicanorum,* et primus inter illos qui vacabant publicis actibus, scilicet exactionibus et vectigalibus, quæ implicant ad peccatum, *et ipse dives,* quia in acquirendo avarus, et temporalibus implicatus; ex quo, in ejus vocatione apparet major Dei misericordia, et divinæ pietatis abundantia; desiderabat, *et quærebat,* ex devotione, *videre Jesum, quis esset,* beati enim oculi qui vident ipsum; *et non poterat præ turba* sequente illum, *quia statura pusillus erat,* et corpore secundum quantitatem, et mente secundum humilitatem; ex quo patet devotio popularium ad Christum, quia tanta turba sequebatur eum. *Et præcurrens,* id est præ aliis currens, *ascendit in arborem sycomorum ut videret eum* Jesum, *quia inde erat transiturus.* Unde *Beda* : « *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* Ecce enim camelus, deposita gibbi sarcina, per foramen acus transit, hoc est dives et publicanus, relicto onere divitiarum, contemptoque censu fraudum, angustam portam, arctamque viam, quæ ad vitam ducit, ascendit. Qui mira devotione fidei ad videndum Salvatorem, quod natura minus habebat, ascensu supplet arboris; atque ideo juste, quamvis ipse rogare non audeat, benedictionem Dominicæ susceptionis accipit, quam desiderabat : » hæc *Beda.*

2 Sycomorus in quam ascendit Zachæus figura est crucis. — Sycomorus est arbor in foliis moro similis, et in aliis ficui; sed stipite distans, et altitudine præstans. Unde et a Latinis celsa dicitur; et interpretatur *ficus fatua,* quoniam arbor est sterilis, sicque dicitur sycomorus, id est sicut morus, vel scribitur sycomorus, pro fico moro, vitio forsitan scriptorum. Unde, secundum *Josephum,* potius deberet dici ficomorus, quia componitur ex natura fici, quoad lignum, et ex natura mori, quoad folia. Sycomora quoque dicuntur quædam poma ficis similia; fructus autem mori liquorem sanguini similem habet, unde dicitur quod antiqui ostendebant elephantis sanguinem uvæ et mori, ad acuendum eos in prælio, scilicet corporali. Et ideo morus crucem signat, cujus fructus, ipse Christus, dicitur in ea suo sanguine rubricatus; qui sanguis nobis, per recordationem, ostensus acuit nos in prælio spirituali. Dominica enim crux credentes alit, ut ficus; ab incredulis irridetur, ut fatua, quia Judæis est scandalum, Gentibus vero stultitia, sed credentibus virtus, et sapientia Dei est. Hæc ergo arbor in quam pusillus statura Zachæus, ut exaltari posset, ascendit, arbor fidei et crucis est, ad quam multi venientes et in eam ascendentes, quamvis statura parvuli fuissent, et nondum in scientia et perfectione multum crevissent, inde tamen Jesum videre et cognoscere meruerunt. Hujus arboris fructus sanguineus est, per quem Martyres significantur, qui tam firmiter huic arbori inhærent, ut potius occidi et proprio sanguine cruentari, quam a sua arbore, id est a Christi fide et cruce valeant seperari. Hanc debemus ascendere per fidem et meditationem, aliter Jesum videre non possumus, quia sicut Zachæus statura pusilli sumus; non enim sufficiunt nostra merita, sine merito Passionis crucis Christi. Hanc pusillus, ut exaltari possit, ascendit, dum quilibet humilis, et propriæ infirmitatis conscius, terrena relinquendo et pravos actus deserendo, altioraque petens et in Domino confidens, in virtute crucis gloriatur, clamans cum Apostolo : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi;* cui lignum crucis est gloria, salus, vita, et per hanc laudabilem fatuitatem, Dominum cernere meretur. *Nos* enim, inquit Apostolus, *prædicamus Christum crucifixum; Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Ecce sycomorum; ascende et tu lignum ubi pro te pependit Jesus, et videbis Jesum. Unde ait *Augustinus* : « Apprehendit Zachæus sycomorum; ascendat humilis crucem, parum est, ascendat ne de cruce erubescat, in

fronte illam figat, ubi sedes pudoris est. Ibi, omnino ibi, in quo membro erubescitur, ibi figatur unde non erubescatur. Puto, quia irrides sycomorum; et ipsa me effecit videre Jesum, etc.: » hæc *Augustinus*. Quicumque etiam humiliatur propter Jesum, hic infatuatur juxta mundum, qui solus tamen sapiens est, quoniam quod stultum est hominibus, sapientia est Dei ; et hic Dominum videre meretur. Unde *Gregorius* : « Si veraciter sapientes esse, atque ipsam sapientiam contemplari appetimus, stultos nos humiliter agnoscamus. Relinquamus noxiam sapientiam, discamus laudabilem fatuitatem. Hinc Evangelicæ historiæ verba testantur, quia Zachæus, cum videre præ turba nihil posset, sycomori arborem ascendit, ut transeuntem Dominum cerneret. Sycomorus quippe ficus fatua dicitur. Pusillus itaque Zachæus sycomorum subiit, et Dominum vidit : quia, qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam sublimiter contemplantur. Pusillanimitatem namque nostram ad videndum Deum turba præpedit, quoniam infirmitatem humanæ mentis, ne luci veritatis intendat, curarum seculari tumumultus premit. Sed prudenter sycomorum ascendimus, si provide eam quæ divinitus præcipitur stultitiam tenemus. Quid enim in hoc mundo stultius, quam amissa non quærere, possessa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis injuriis injuriam reddere, imo et adjunctis aliis patientiam præbere? Quasi enim sycomorum nosmetipsos ascendere Dominus præcipit, cum dicit : *Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas*. Et rursum : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram*. Per sycomorum Dominus transiens cernitur, quia per hanc sapientem stultitiam, etsi nedum solide ut est jam, tamen per contemplationis lumen, Dei Sapientia quasi in transitu videtur. Qui vero in elata ad conspiciendum Deum adhuc cogitationum suarum turba deprehensi sunt, sycomori arborem non invenerunt: » hæc *Gregorius*. Unde et *Theophilus* : « Sed facile hoc est ad moralem utilitatem retorquere. Quisquis enim pluribus in malitia præest, parvus est statura spirituali, et non potest videre Jesum præ turba. Nam perplexus a passionibus et secularibus rebus, non aspicit Jesum ambulantem, id est in nobis operantem, nullum opus ejus cognoscens. Ascendit autem super sycomorum, id est super voluptatis dulcedinem, quæ significatur per ficum deprimens eam ; et sic sublimior factus videt, et videtur a Christo. »

3 Per sycomorum potest etiam intelligi status religiosorum. — Per sycomorum etiam potest intelligi religio, quia, ut dictum est, Latini sycomorum celsam nominant ; est enim procerior et altior moro, et habet fructus subdulces, qui numquam ad maturitatem perveniunt. Sic status religionis est altior et procerior, quia in comtemplatione consistit, et statum mundi transcendit. Habet etiam fructus subdulces, fructus scilicet abstinentiarum, vigiliarum, jejuniorum, et hujuscemodi ; qui licet de se sint duri et asperi, tamen sunt subdulces, quia sustinentur amore dulcedinis paradisi ; et numquam in maturitatem perveniunt, quia fructus maturi sunt dulciores, et vera religio de mundana dulcedine non curat. Sed sycomorus ficus fatua dicitur, quia ad litteram ingrediens religionem fatuus reputatur. Unde potest dicere illud Amos : *Armentarius ego sum vellicans sycomoros*. Istam arborem Zachæus pusillus, humilis scilicet religiosus, ascendit, ut videat Jesum, scilicet ut lucretur vitam æternam, quæ in visione Dei consistit. Sed, quia parvus alte non potest ascendere sine scala, vel gradibus, ideo sunt tres gradus in scala religionis : unus est abrenuntiatio propriæ voluntatis, per votum obedientiæ ; secundus est abrenuntiatio proprietatis exterioris, per votum paupertatis ; tertius est promissio perpetuæ castitatis, per votum continentiæ. Et istos tres gradus tres alii gradus ex parte ipsius ascendentis præcedunt : primus est contemptus terrenorum ; secundus, oblivio generis; tertius, odium mundi : et ista

tria fuerunt dicta Abrahæ a Domino : *Egredere de terra*, ecce gradum primum ; *et de cognatione tua*, ecce gradum secundum ; *et de domo patris tui*, ecce gradum tertium ; *et veni in terram quam monstravero tibi*, id est in religionem. Hi sunt tres gradus, quibus ascendebatur ad thronum Salomonis. Iste thronus est religio, in qua Dominus residet, tamquam in throno et cathedra speciali. Unde et *Petrus Ravennas* vocat religionem paradisum, quæ propria mansio Dei est, dicens : « Juxta sententiam cordis mei, si paradisus in hac vita præsenti est, aut in claustro, aut in scholis est ; quidquid enim extra hæc duo est, plenum est anxietate, inquietudine, amaritudine, formidine, sollicitudine et dolore. »

4 QUÆLIBET ANIMA FIDELIS DOMUS DEI EST. — *Et, cum venisset ad locum*, ubi erat sycomorus, *suspiciens Jesus vidit illum*, id est Zachæum, non tantum visu corporis, sed et respectu pietatis, approbans illius devotionem et desiderium. Bonum fuit ei videre Christum : sed melius videri a Christo. Ubi *Beda* : « Vidit Jesus videntem se, quia eligit eligentem se, et amavit amantem. Hunc sane ordinem proficiendi, hoc est super fidem Dominicæ Incarnationis ad cognitionem divinitatis perveniendi, quasi sycomorum Jesu faciem speculandi doctor egregius ostendit, cum ait : *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum :* » hæc *Beda*. Cognoscens ergo et acceptans Jesus desiderium Zachæi eum ut descenderet vocavit, *dixit* enim *ad eum : Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere* : in domo quidem materiali, propter refectionem Christi et discipulorum suorum, et ad ostendendum suam benignitatem peccatori reverteuti ; et in domo conscientiæ spirituali, per gratiæ infusionem necessariam peccatori. Illud etiam dicit Christus cuilibet nostrum ; vult enim manere in domo conscientiarum nostrarum, et ideo debet præparari ad eum recipiendum. Unde de ista dicit Psalmista : *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.* Etenim : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Bene debet domum suam spiritualem emundare et ornare, qui vult tantum hospitem recipere, scilicet Regem gloriæ, quem nec cœlum, nec terra potest capere ; ut ibi maneat, id est per gratiam inhabitet, et non transeat. Ubi *Beda* : « Quod autem descendere de sycomoro Zachæus, et sic in domo sua Christo mansionem præparare jubetur, hoc est et quod Apostolus ait : Quia, *et si cognovimus secundum carnem Christum, sed jam nunc non novimus* ; si enim mortuus est, ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei : » hæc *Beda*. Verba prædicta Domini Jesu moraliter exponi possunt de fideli anima, quæ domus Dei dicitur, quia in ea Christus per gratiam manere dignatur ; et hoc *hodie*, id est in vita præsenti per gratiæ prælibationem ; ac etiam *hodie*, id est in æternitate, per gloriæ beatam fruitionem. Licet autem Christus in qualibet fideli anima habitet per fidem, specialiter tamen ad hoc eligit mentes elevatas et abstractas. Debet autem anima talis esse abstracta tripliciter, scilicet : a desiderio rerum temporalium, et a voluptate delectationum carnalium, vel commodi corporalis, et a semetipsa, per abdicationem propriæ voluntatis. Per hæc enim tria abstrahitur anima ab omni impeditivo salutis, contra illa tria, de quibus dicitur : *Omne quod est in mundo*, aut *est concupiscentia oculorum*, aut *concupiscentia carnis*, aut *superbia vitæ*. Hanc triplicem abstractionem docuit Salvator, cum dixit : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum* quantum ad tertium ; *et tollat crucem suam*, quantum ad secundum ; *et sequatur me*, videlicet, relictis omnibus, quantum ad primum. Et hæc triplex abstractio de Zachæo, cui hæc verba dicta sunt, scilicet : *Hodie in domo tua oportet me manere*, potest intelligi. Quamvis enim principium Evangelii ipsum divitem appellaverit, in processu tamen eum verum pauperem Christi factum esse commemorat. Nam in eo quod dixit : *Ecce dimidium*

bonorum meorum do pauperibus, etc., innuit abstractionem primam, scilicet a divitiis et rebus temporalibus ; in eo autem quod Zachæus *ascendit in arborem sycomorum*, significatur abstractio a commodo temporali, vel delectatione carnali; sycomorus enim est ficus fatua, et signat carnalis delectationis dulcedinem, quæ fatua est, quam ascendens per hanc abstractionem sub pedibus deprimit, et calcat ; in hoc autem quod ipse ad unam Domini vocem, *festinans descendit, et excepit illum gaudens*, innuitur abstractio propriæ voluntatis. Et hæc tria se invicem perficiunt ; ita quod alterum sine aliis perfectum non est. Si enim quis sit abstractus a sollicitudine temporalium, et sit deditus voluptati carnis, nihil valet ; et sic intellige de aliis suo modo.

5 Benignitas Domini erga Zachæum et Pharisæorum murmur. — *Et festinans descendit, et excepit illum gaudens*, et exsultans de tanti hospitis adventu. Jam enim, quia Dominum in cor suum susceperat Zachæus, in domo ejus dignatus est suscipi Dominus. In quo facto Dominus innuit, quod votis minorum annuit, et affectus pios prosequitur et perficit. Vide hic benignitatem Domini ; plus enim dedit Zachæo quam ille desiderasset, quia dedit ei seipsum, quod ille petere ausus non fuisset. Vide etiam virtutem orationis, quia desiderium magna vox et magna oratio est ; et ideo dicit propheta : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Et alibi Dominus ad Moysen : *Quid clamas ad me ?* cum ille ore taceret, et tantum corde loqueretur. Unde ait *Augustinus* : « Tota vita boni Christiani sanctum desiderium est ; quod autem desideras, nondum vides; sed desiderando capax efficieris, ut cum venerit quod videas, implearis : hæc est vita nostra, ut desiderando exerceamur. Tantum autem nos exercet sanctum desiderium, quantum desideria nostra amputaverimus ab amore seculi : » hæc *Augustinus. Et cum viderent omnes*, scilicet Pharisæi et alii malignantes Judæi, quod intraverat domum publicani, *murmurabant, dicentes : Quod ad hominem peccatorem divertisset.* Isti peccabant dupliciter, scilicet : false judicando de Zachæo, quia jam peccator non erat, sed vere pœnitens; et similiter de Christo, quia non mirum erat, si divertebat ad eum quem justificaverat ; cor enim pœnitentis est Christi diversorium, ubi Pascha manducat. Irrationabiliter isti etiam murmurabant, quia nullus potest rationabiliter murmurare, quando medicus dignatur ægrotum visitare. *Stans autem Zachæus*, ad obediendum Domino promptus, non titubans propter aliorum murmurationem et detractionem, sicut multi qui ad modicum verbum aliorum bonum deserunt jam inchoatum, *dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; et, si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*, scilicet de dimidio residuo quod adhuc retineo. Lex enim in aliquibus præcepit restituere duplum, in aliquibus quadruplum, in aliquibus vero quintuplum ; et ideo, per hoc quod hic restitutio media exprimitur, aliæ duæ extremæ intelliguntur. Ex hoc autem quod dimidium bonorum suorum dedit pauperibus, patet quod non omnia bona sua erant male acquisita, quia de illis non posset fieri eleemosyna. Sicut autem Zachæus dixit : *Do pauperibus* ; et... *reddo quadruplum* ; sic debent facere volentes dare eleemosynam, vel reddere male acquisita, dicentes : Do, vel reddo ; non dabo, vel reddam, seu in testamento meo ponam. Ubi ait *Beda* : « Et hæc est sapiens illa stultitia quam de sycomoro publicanus quasi fructum vitæ legerat : rapta videlicet reddere, propria relinquere, visibilia contemnere, pro invisibilibus etiam mori desiderare, seipsum abnegare, et ejus qui necdum videbatur Domini vestigia sequi concupiscere : » hæc *Beda*. Conspice igitur Dominum et discipulos cum illis peccatoribus comedentes, ac familiariter et domestice conversantes, ut eos ad se attraherent, et de peccatoribus illos justos facerent.

6 Quare Dominus ad domum publicanorum divertebat ? — Et, quia

Judæi murmurabant, quod ad hominem peccatorem divertisset, et cum eo maneret, ut ipsorum æstimationem et murmur redarguat, et compescat, quem intus curaverat, etiam a culpa sanatum annuntiat. *Ait enim Jesus ad eum : Quia hodie salus huic domui facta est,* et omni ægritudine, omni morbo, omni vitiorum contagione fugata, sanata est, et tota interius et exterius sanctificata, quia per Domini ingressum facta est Zachæo salus; et qui antea fuerat peccator, per Domini redemptionem est justificatus et salutem consecutus, quia, suscepto medico, salvus factus est ab avaritia et omni morbo. Ubi ait *Theophilus* : « Ipsum Zachæum signat assecutum fuisse salutem, per domum habitatorem designans, sequitur enim : *Eo quod et ipse filius sit Abrahæ,* non enim vocasset Abrahæ filium, inanimatam fabricam : » hæc *Theophilus.* Vel, eo quod et ipse, qui hujus domus habitator est, jam non publicanus sit, sed filius Abrahæ factus, scilicet non natus, id est non secundum carnem, sed secundum fidem, non genere, sed fide et operum imitatione. Abrahæ namque filii sunt, quicumque Abraham imitantur, et opera Abrahæ faciunt. Zachæus quippe sicut et Abraham, in fide crevit; et Abraham quidem Angelos, Zachæus vero Angelorum Dominum hospitio suscepit. Unde *Beda* : « Filius Abrahæ dicitur Zachæus, non quia de ejus stirpe generatus; sed quia ejus est fidem imitatus, ut sicut Abraham terram, cognationem domumque patriam ob spem futuræ hereditatis, Domino jubente, deseruit; ita et ille quod thesaurum in cœlis acquireret, bona sua pauperibus partiendo, relinquit. Et pulchre dicit : *Et ipse;* ut non solum eos qui justi perseverant, sed et eos qui ab injustitia resipiscunt, ad filios promissionis pertinere declararet : » hæc *Beda.* Et reddit causam quare ad domum publicani divertit, quia hoc fecit, ut medicus ægrotum curaret, et ut Deus peccatorem justificaret, et ut pastor ovem perditam reportaret, et ut Salvator quod per culpam perierat, salvaret. Quia ad hoc Dei Filius *venit* de cœlo in mundum, per carnis assumptionem factus homo, et *Filius hominis,* id est Virginis, *quærere* per doctrinam, *et salvum facere* per gratiam, *quod perierat* per culpam, scilicet ovem centesimam, drachmam decimam, filiumque juniorem. Perierat enim in homine : innocentia naturæ, similitudo gratiæ, et adoptio gloriæ. Propter primum comparatur ovi perditæ ; propter secundum, drachmæ perditæ ; propter tertium, filio prodigo. Tria autem prædicta venit Jesus reparare ; unde ait et alibi : *Non veni vocare justos, sed peccatores, ad pœnitentiam.* Ubi *Chrysostomus* : « Quasi diceret : Quid me criminamini, si rectifico peccatores? Tam enim procul est a me odium peccatorum, quod eorum causa advenerim. Nam medicus veni non judex ; ob hoc conviva fio languentium, patiorque fœtorem, ut præstem remedium. » Ubi et *Beda* : « Pius sane Magister, qui murmurantibus turbis sua mysteria non dedignatur exponere, a Deo, scilicet peccatorum, pœnitentiam non esse respuendam, ut ipse Dei Filius ob hanc maxime quærendam sit destinatus ad terras; qui, ut pietatis suæ nobis dispensationem inculcet, sæpissime se Filium hominis appellat, commendans sollicite nobis, quod factus est benigne pro nobis. »

7 Zachæus et Pharisæi murmurantes, in sensu mystico. — In sensu autem mystico, ut dicit idem *Beda* : « Zachæus, qui interpretatur *justificatus,* credentem ex Gentibus populum significat, qui per occupationem temporalium depressus erat et minimus, sed a Domino sanctificatus ; qui intrantem Jericho Salvatorem videre voluit, dum fidem quam mundo attulit, participare quæsivit : » hæc *Beda.* Per divitem etiam istum, scilicet Zachæum, qui quærebat videre Jesum, sed impediebatur per turbam et staturæ suæ parvitatem, intelligi potest quilibet dives, qui de salute sua sollicitatur, sed per turbationem phantasmatum circa negotia temporalia, et per propriam imperfectionem impeditur ; propter quod ascendere debet in arborem, id est ad Christum, per

orationem, quæ, secundum *Damascenum*, est ascensus mentis in Deum; et sic Jesum videre meretur; et partem bonorum suorum pauperibus dare, et si quem defraudavit fideliter restituere. Per Pharisæos autem murmurantes intelligi possunt maledici, bonorum opera depravantes, et quæ bene fiunt in malum interpretantes; sed de his non est curandum, nec ideo a bono opere cessandum, imo potius et fortius ei insistendum.

8 Cur parabolam de homine nobili longinque abeunti Christus tunc proposuerit? — Et, quia erant prope Jerusalem, quæ est caput regni, et existimabant aliqui Pharisæorum et etiam discipulorum, quod statim cum esset in Jerusalem, manifestaretur regnum ejus super Judæos, a multis enim credebatur futurus rex Israel, secundum quod dixerunt Magi : *Ubi est qui natus est rex Judæorum?* Et ipsi Apostoli quærebant ab eo : *Domine, si in tempore hoc restitutes regnum Israel?* Ad hunc ergo errorem removendum, inducit parabolam de homine nobili, qui abiit in regionem longinquam, et dedit decem servis suis decem minas ad negotiandum. Quæ, quia in sententia concordat cum alia parabola quæ infra de talentis dicitur, ideo hæc ibidem simul cum illa conjungitur.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui Zachæum in sycomorum ascendentem misericorditer respexisti, ac eum ad te vocans et in domum ipsius divertens, ab omni vitio sanasti, concede mihi pusillo et misero, ut in arborem pœnitentiæ valeam ascendere, ubi me oculis misericordiæ digneris aspicere, et ad tuam gratiam vocare, donans mihi ut domum conscientiæ meæ, ad te recipiendum digne præparem, et per te totus interius et exterius perfecte saner. Et, qui venisti de cœlis quærere et salvare quod perierat in terris, tu me, qui per culpam perieram, requiras, bone pastor, et salvum facias, pie Salvator. Amen.

CAPUT XXIV

DE DUOBUS CÆCIS POST EGRESSUM JERICHO ILLUMINATIS.

Matthæi cap. XX et Marci cap. X.

1 Turba multa Dominum sequitur. — *Et* post hæc, *egredientibus illis*, scilicet Jesu cum discipulis, *ab Jericho, turba multa* desiderantium audire doctrinam ejus *secuta est eum;* pauci enim audebant propter latrones ingredi desertum. Quod turba plurima sequebatur Jesum, suæ sedulæ et studiosæ doctrinæ est indicium. Unde *Chrysostomus:* « Testimonium studiosi agricolæ est messis fœcunda, assidui autem doctoris documentum ecclesia plena. Neminem labor itineris impedivit, quia amor spiritualis fatigationem non sentit. Neminem possessionum suarum sollicitudo retraxit, quia ingrediebantur in possessionem regni cœlestis. Vere enim non habet super terram quod amet, qui bonum cœleste in veritate gustaverit. Sicut enim qui pretiosum manducaverit cibum, postmodum ei hæc esca communis ingrata videtur; sic et qui semel dulcedinem Christi bene gustaverit, terrenorum bonorum de cetero non multum sentit saporem. Nimirum hæc est illa rosa in campis Jericho, de qua Sapientia loquitur per Salo

monem : *Sicut palmes exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho.* Ergo hæc est illa speciosissima rosa, sanctitate justitiæ candida, et Passionis sanguine rubicunda. Sicut enim rosa antequam videatur sentitur, et antequam inveniatur tenetur in odoribus suis; sic et Domino transeunte de longe, duo cæci, antequam eum viderent, divinitatem ejus fragrantia senserunt : » hæc *Chrysostomus.*

2 Duo cæci Christo offeruntur, licet de uno tantum Marcus mentionem faciat. — Unde sequitur : *Et ecce duo cæci sedentes secus viam*, ut eleemosynam peterent a transeuntibus, non remote a via salutis, *audierunt* a transeuntibus *quia Jesus*, Nazarenus omni flore virtutum vernans, *transiret.* O felix auditio, rumor levis! *Multi* enim *reges et Prophetæ voluerunt audire, et non audierunt. Et*, misericordiam cum clamore petentes, *clamaverunt dicentes : Domine, miserere nostri, fili David,* tua compassione nostram miseriam removendo. Vocant eum filium David, quia credebant eum esse Christum, per Prophetas promissum, et notum erat apud omnes Judæos, quod Christus de semine David erat nasciturus. Cum magna desiderii intentione clamaverunt, et magno desiderio illuminari postulaverunt, confessi David filium per carnem, Deum etiam in eo esse noverunt per inspirationem. Ubi ait *Chrysostomus :* « Opportune autem oblati sunt ante faciem Christi duo cæci, ut, apertis oculis, quasi testes virtutis ejus ascenderent cum eo in Jerusalem. Hi currentium strepitum audiebant, et personas non videbant, nihil solum habentes de toto corpore præter vocem; et ideo quia pedibus eum sequi non poterant, voce sequebantur : » hæc *Chrysostomus.* De uno istorum tantum, scilicet famosiori, Marcus mentionem faciens, de alio tacuit minus noto. Ubi *Augustinus :* « Hoc autem factum et Marcus commemorat, sed de uno cæco factum. Nam duorum cæcorum quos Matthæus interposuit, unum fuisse in illa civitate famosissimum, ex hoc satis apparet, quod et nomen ejus et patris ipsius Marcus commemoravit. *Bartimæus enim Timæi filius,* ex aliqua magna felicitate dejectus, notissimæ et famosissimæ miseriæ fuit, quod non solum cæcus, verum etiam mendicus sedebat. Hinc est ergo quod ipsum voluit commemorare Marcus, cujus illuminatio tam claram famam huic miraculo comparavit, quam erat illius nota calamitas. » Unde ait *Beda:* « Et bene Marcus, qui pro Gentibus suum scribebat Evangelium, unum dicit illuminatum, ut eorum, quos instituebat ad fidem, salvationi figura congrueret. Matthæus vero, qui pro Hebræis suum scribebat Evangelium, quod in Gentium quoque notitiam erat perventurum, recte duos dicit illuminatos, ut ad utrumque populum unam eamdemque fidei gratiam pertinere doceret; qui etiam in sequenti lectione de asino, in quo Dominus sedere dignatus est, eamdem Evangelicam servare Scripturam curavit : » hæc *Beda.* Bartimæus, qui *filius pinguedinis* interpretatur, significat hominem in deliciis carnalibus nutritum, ideo dicitur cæcus, scilicet sapientiæ lumine privatus, de qua dicitur in Job: *Quod non invenitur in terra suaviter viventium*, quia deliciæ carnales hebetant intellectum. Et talis, cum audit de Salvatore, debet clamare ad eum, per orationem devotam, ut ab illo recipiat sapientiæ lumen, qui *dat omnibus affluenter*, saltem de necessariis ad salutem.

3 Turba cæcos increpans quid significet? — *Turba autem* doctrinam Christi auscultans, videns sordidas vestes, non conscientiæ claritatem, *increpabat eos ut tacerent;* quia per clamorem suum turbam ab audiendo Christi doctrinam impediebant. Et hi significant eos, qui a bono opere retrahunt alios. Habemus autem triplicem turbam impedientem : unam a carne, aliam a mundo, tertiam ab inferno; quia carnalia desideria et persecutiones, scilicet mundi et diaboli, nobis obstant, ut taceamus a confessione peccati, ab ædificatione proximi, et a laude Dei. Infelix autem hæc turba omni bono obsistit : turba

desideriorum carnis increpat alliciendo; turba tyrannorum mundi increpat persequendo; turba dæmonum inferni increpat decipiendo. Sed quomodo tacebunt in oratione, cæci per ignorantiam mentis præcipue de proprio statu, mendici per defectum virtutis, et extra viam, scilicet salutis? *At illi magis clamabant* insistendo, donec strepitum turbæ vincerent, timentes ne ex increpatione aliorum impediretur auditio, et exauditio petitionis, ac vocum eorum; et misericordiam petebant, *dicentes* : *Domine, miserere nostri, fili David.* In hoc et nos exhortamur ad orationis continuationem, et in ea perseverantiam. Ubi *Chrysostomus* : « Irritabantur vetiti, magisque concupiscebant. Talis est enim natura fidei, quanto magis vetatur, tanto magis accenditur : propter quod servi Dei in persecutionibus non vincuntur, virtus enim fidei in periculis secura est, et in securitate periclitatur. Quid enim aliud sic vigorem fidei in omnibus laxat, quam longa tranquillitas? » Et iterum : « Primo enim clamabant, quia cæci erant; secundo, magis clamabant, quia ad lumen accedere vetabantur. Christus autem permittebat eos vetari, ut plus eorum desiderium appareret. Hinc autem disce, quia si abjecti fuerimus, cum studio accedentes ad Deum, per nosipsos assequamur quod petimus : » hæc *Chrysostomus*. Unde et *Augustinus* : « Bonos enim Christianos volentes facere præcepta Dei, Christiani mali et tepidi prohibent; clament tamen illi, non deficiant. Cum enim quisque Christianus cœpit bene vivere, mundumque contemnere, in ipsa sui novitate patitur reprehensores frigidos Christianos; sed, si perseveraverit, ipsi jam obsequuntur, qui ante prohibebant : » hæc *Augustinus*.

4 MISERICORDIA ET POTESTAS CHRISTI CÆCOS ILLUMINANTIS. — *Et*, quia pulsanti aperietur, *stetit Jesus* exspectans eos; quoniam illi sequi non poterant, quo enim pergerent, non videbant; *et vocavit eos*, ne turbæ prohiberent, si non vocati venirent; *et* interrogavit eos quid vellent, *ait* enim : *Quid vultis ut faciam vobis?* non tamen hoc ignorans, sed ut ex responsione et confessione cæcorum manifesta debilitas et virtus remedio cognosceretur, quia ad miraculorum operationem vult habere sanandorum confessionem, ut ex hoc magis appareat evidentia miraculi ad aliorum utilitatem. Et *illi dicunt : Domine, ut aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorum Jesus*, fons veræ lucis, *tetigit oculos eorum, et confestim*, id est subito, *viderunt* ; ex quo patet quod talis illuminatio fuit miraculosa, non naturalis, quia natura non operatur in instanti. Ubi *Chrysostomus* : « Tetigit autem ut homo carnaliter, sanavit ut Deus. » Et iterum : « Quamdiu dixerunt : *Fili David*, suspensa est sanitas, mox ut dixerunt : *Domine*, sanitas est infusa, quia salvare non poterat filius David, sed Filius Dei : » hæc *Chrysostomus*. — Spiritualiter, secundum *Glossam*, oculos tangit, cum radiis suæ lucis conscientiam illustrat, et confestim videmus : ad Deum contemplandum, ad nos cognoscendum, ad proximum juvandum. Notandum autem quod triplex est modus illuminationis : illuminati enim leguntur aliqui verbo, sicut cæcus, de quo dictum est supra ; aliqui tactu, ut isti de quibus fit hic mentio; aliqui unguento, sicut ubi Jesus *fecit lutum ex sputo*. Verbum est prædicatio ; tactus est interior inspiratio ; unctio, sacramentorum institutio : sic ergo illuminat per eloquia sacræ doctrinæ, per charismata gratiæ, per sacramenta Ecclesiæ.

5 ZELEMUR CÆCOS JESUM, A QUO ILLUMINATI FUERANT, SEQUENTES. — *Et secuti sunt eum*, non tam pedibus, quam virtutibus, ac fide et moribus; quia illi, qui a Christo illuminati sunt corporaliter, ab ipso etiam illuminati sunt mentaliter. Quoscumque enim Christus sanavit corpore, sanavit et mente, quia totum hominem simul fecit salvum. Unde ait *Chrysostomus* : « Bonum munus obtulerunt Christo sanati, quia secuti sunt eum. Hoc enim Deus a te requirit, secundum Prophetam : *Sollicitum ambulare cum Deo tuo.* » Et iterum : « Permisit eos ipsum sequi, ut recens miraculum

ostenderet eum non ex infirmitate mori : » hæc *Chrysostomus*. In hoc autem quod *secuti sunt eum*, patet eorum gratitudo, quia non resilierunt post beneficia donata eis a Domino, quod tamen multi faciunt, qui post beneficia ingrati existentes ad vomitum revertuntur, et ad malum redeunt. Ubi idem *Chrysostomus* : « At illi non fuerunt tales, sed et ante donationem fuerunt perseverabiles, et post dationem grati. Hos et nos zelemur. Etiamsi tardaverit dationem Deus, etiamsi multi sint qui abducant, ne desistamus petentes ; sic enim maxime Deum attrahemus. Vide itaque et hic qualiter vehementem eorum concupiscentiam, non inopia, non cæcitas, non audiri, non a turbis increpari, non aliquid aliud prohibuit. Talis est anima fervens et in labore versans : » hæc *Chrysostomus*. Tu ergo existens extra viam et cæcus, clama ad Jesum, ut te illuminare dignetur, ad ipsum videndum, ac fide et imitatione sequendum, quia hoc præcipue est nobis necessarium. Ubi *Augustinus :* « Tota igitur, fratres, opera nostra in hac vita est sanare oculum cordis, unde videatur Deus. Ad hoc, sacrosancta mysteria celebrantur ; ad hoc sermo Dei prædicatur ; ad hoc, exhortationes morales, id est pertinentes ad corrigendos mores, ad emendandas carnales concupiscentias, ad renuntiandum, non voce tantum , sed mutatatione vitæ, huic seculo ; ad hoc agunt, quidquid agunt, divinæ sacræque litteræ, ut purgetur illud interius ab ea re, quæ nos impedit ab aspectu Dei : » hæc *Augustinus*. Ubi et *Origenes* : « Et nos ergo sedentes juxta Sacrarum Scripturarum viam, et intelligentes in quibus cæci sumus, si ab effectu petierimus, tanget oculos animarum nostrarum, et recedent a sensibus nostris tenebræ ignorantiæ, ut eum videamus et sequamur, qui dedit nobismetipsis posse videre propter nihil aliud, nisi ut eum sequamur : » hæc *Origenes*.

6 Mystice de Judæis et de populo Gentili. — Per duos cæcos istos significantur duo populi, scilicet : Gentiles, qui erant excæcati per idololatriam ; et Judæi, per doctrinam perversam, mandatum Dei transgredientes propter traditiones hominum ; qui sedebant secus viam, quia videbantur habere Legis notitiam, sed viam, quæ est Christus, ignorabant. Quorum alter legem naturalem, alter Scripturæ legem habebat ; et audierunt de transitu Jesu, postquam exiit de Jericho, id est de hoc seculo ; sed Jesu eorum oculos mentales tangente, illuminati sunt multi de Judæis, et de Gentibus plures, cum per fidem et opera sancta sequentes. Et prius quidem unum, postea duos cæcos illuminat, quia unum prius populum, deinde duos vocat. Unde ait *Beda* : « Quod autem appropinquans Jericho, unum illuminavit, ac proficiscens de Jericho duos, hoc intimavit : quod ante Passionem suam uni tantum populo Judæorum prædicavit ; post resurrectionem vero atque ascensionem suam, per Apostolos, et Judæis et Gentibus divinitatis suæ et humanitatis arcana patefecit : » hæc *Beda*. Plura ad expositionem et meditationem pertinentia, supra de uno cæco posita, possunt hic applicari ; et e converso, plura hic posita ibi aptari.

ORATIO

Lux lucis, et fons luminis, Domine Jesu, qui duorum cæcorum ad te clamantium affectu misericordiæ misertus, oculos eorum tangere, et sic eos illuminare dignatus es, tange, quæso, oculos meos spirituales, et radiis tuæ lucis conscientiam meam illustra, ad te contemplandum, ad me cognoscendum, ad proximum instruendum et juvandum. Illustra cor meum lumine tuæ gratiæ divinæ, ut te ductorem in omnibus viis meis habeam, te imitando sequar ; et te, qui es super omnia, præ omnibus timeam et diligam, tuamque in omnibus faciam voluntatem. Amen.

CAPUT XXV

DE EFFUSIONE UNGUENTI SUPER CAPUT JESU.

Matthæi cap. XXVI, Marci cap. XIV et Joannis cap. XII.

1 **Dominus, Bethaniam veniens, intrat domum Simonis leprosi.** — **Appropinquante** autem tempore, in quo Dominus pati disposuit, appropinquavit ipse loco, in quo ejusdem Passionis dispensationem facere voluit ; ut per hoc intimaret, quod voluntarie et sua sponte pateretur, et mortem subiret. *Jesus ergo ante sex dies*, solemnitatis. *Paschæ*, id est sexta die ante Pascha, scilicet sabbato, ante ramos Palmarum, *venit Bethaniam*. Intelligas hic diem Paschæ non decimam quartam primi mensis, in qua ad vesperam immolabatur agnus paschalis; sed diem quintam decimam, scilicet illam in qua passus est Christus, quæ tota erat festiva et solemnis. Unde *Theophilus* : « Decima autem die mensis agnum Judæi capiunt immolandum in ipso festo Paschæ ; ex tunc enim festivitatis prælibant solemnia, quapropter in die quæ est nona mensis, et præcedit sextam diem ante Pascha, epulantur splendide, et exordium festi hanc diem constituunt ; quo fit ut Jesus quoque pergens Bethaniam, convivaretur : » hæc *Theophilus*. Ideo autem *venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus*, ut Lazari resuscitatio renovaretur, ac memoriæ omnium arctius imprimeretur ; et ut inexcusabiles Judæi de morte tanti suscitatoris tractantes confunderentur, et ex memoria miraculi ibidem facti turba populi moveretur ad eum honorifice recipiendum in civitatem Jerusalem ante suam Passionem, sicut fuerat prædictum per Zachariam Prophetam, dicentem : *Exsulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem ; ecce rex tuus venit tibi*, etc. Sciens ergo Dominus Judæos conspirasse in suam mortem, appropinquante Pascha, in quo agnus paschalis immolabatur, revertendo venit ipse quasi agnus ad victimam, ut sic Agnus verus immediate post immolationem agni paschalis immolaretur pro nobis, et veritas figuræ succederet, et verum Pascha haberemus. Et erat in domo Simonis prius leprosi, tunc autem mundati; quia fuerat leprosus, et a Domino sanatus, sed tamen adhuc pristinum nomen ad memoriam miraculi retinebat, ut virtus curantis appareret, sicut adhuc dicitur Matthæus publicanus, licet esse publicanus desierit. Hinc colligere possumus, quod licet a peccato nostro mundati fuerimus, semper tamen ipsum in memoria ad pœnitentiam habere debemus. Hunc Simonem leprosum tradunt fuisse beatum Julianum, sic postea vocatum, et factum Cenomanensem Episcopum, cui iter agentes dicunt *pater noster*, ut bonum habeant hospitium.

2 Cœnæ ibidem factæ significatio et congruentia. — *Fecerunt autem ei*, Domino *cœnam ibi ; et Martha ministrabat, Lazarus vero*, invitatus a Simone, *unus erat ex discumbentibus cum eo*. Pie credendum est quod cœna honesta, et absque luxu fuerit, quam fecerunt ei qui prædicator et amator parcimoniæ exstitit. Martha ministrabat ibi, quia, secundum quosdam, domus Marthæ erat possessione, sed Simonis leprosi habitatione, alias ibi non ministravissset ; vel, potest dici, quod iste Simon erat Marthæ vicinus, et propter hoc ipsa ministrabat in domo ejus, sicut homines solent facere in domibus amicorum

suorum, et maxime propter reverentiam ipsius Christi comedentis ibidem. *Lazarus vero erat unus ex discumbentibus cum eo*, invitatus a Simone, et hoc factum est ad declarationem veri miraculi de ejus resuscitatione, ut ex hoc quod post suscitationem cibum sumeret, non phantastica sua suscitatio esse probaretur. Unde ait *Augustinus* : « Ne putarent homines phantasma esse factum, quia mortuus resurrexit, Lazarus unus erat ex recumbentibus, vivebat, loquebatur, epulabatur ; veritas ostendebatur, infidelitas Judæorum confundebatur. » Et, secundum eumdem *Augustinum*, Lazarus, dum discumbit in convivio, convivis interrogantibus eum tristia loca, pœnarumque sedes alta nocte obscuras, indicavit diligenti narratione per ordinem; et ita inferi, longis temporibus ignorati, tandem invenerunt proditorem. Quod autem ante sex dies venit Jesus, hoc mysterio convenit. Primo quidem, quantum ad numerum; numerus enim senarius perfectus est, unde et Deus opera creationis perfecit sex diebus et propter hoc decuit, quod sex diebus quodammodo compleretur opus Passionis, quo omnia sunt restaurata. Secundo, quantum ad figuram; quia decima die mensis primi tollebatur agnus, et servabatur usque ad quartam decimam, unde et Dominus sexta die ante quindecimam Jerusalem intrare voluit, quasi ad locum immolationis accedens. Quod venit Bethaniam, quæ interpretatur *domus obedientiæ,* etiam congruit mysterio : primo, quantum ad causam Passionis, quia, secundum Apostolum, *factus est obediens* Patri *usque ad mortem*; secundo, ad fructum Passionis, quem consequuntur illi soli, qui obediunt ei, quia, secundum eumdem Apostolum, *factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.* Unde *Hieronymus* : « Passurus Dominus pro omni mundo, et universas nationes suo sanguine redempturus, venit et moratur in Bethania, id est in *domo obedientiæ*; hinnulus cervorum semper ad lectum suum redit, et Filius obediens Patri, usque ad mortem, obedientiam a nobis petit: » hæc *Hieronymus.* Quod venit ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit, significat quia in domo obedientiæ, illi qui sunt spiritualiter mortui in peccatis, resuscitantur reducti ad vitam justitiæ, quia, secundum Apostolum, *per unius hominis obeditionem justi constituentur multi.* Quod fecerunt ibi cœnam Domino, convenit etiam mysterio, quia Dominus in domo obedientiæ spiritualiter reficitur, delectatus in obedientia nostra; et Martha ministrabat et satagebat circa frequens ministerium, per quam significantur prælati, qui in ecclesiis ad ministerium instituuntur, secundum illud Apostoli : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi*; et Lazarus resuscitatus erat unus ex discumbentibus, per quem significantur subditi ministerio prælatorum, a peccatis ad statum justitiæ reducti, qui cum aliis iterum spiritualiter cum Domino merentur epulari. Maria vero unxit caput et pedes Jesu, et capillis suis extersit, per quam significantur contemplativi : de ea enim dicitur alibi, quod sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Unde *Alcuinus* : « Mystice, quod ante sex dies venit Bethaniam, significat quod ille, qui sex diebus omnia fecerat, et sexta die hominem creaverat, ipsa sexta mundi ætate, sexta feria, sexta hora, redimere mundum venerat. Cœna autem Dominica fides est Ecclesiæ, *quæ per dilectionem operatur*; Martha ibi ministrat, cum fidelis anima opera suæ devotionis Domino impendit; Lazarus unus est ex discumbentibus, cum hi qui post peccatorum mortem suscitati sunt ad justitiam, una cum eis qui in sua permanserunt justitia, de præsentia veritatis exsultant, et cœlestis gratiæ munere aluntur. Et bene ista cœna in Bethania celebratur, quæ interpretatur *domus obedientiæ,* nam Ecclesia est obedientiæ domus : » hæc *Alcuinus.*

3 Maria caput Christi nardo pistico ungit. — *Maria ergo... venit... et accessit ad eum* Jesum, tamquam ad fontem misericordiæ lavantem infirmitates nostras; *habens alabastrum unguenti*

ci pretiosi, id est vascu-trinum, scilicet pixidem de quod est genus marmoris ; variis coloribus intertin-bene et incorrupte servan-ıta, plenam unguento pre-*fracto alabastro*, *effudit* un-*per caput ipsius recumben-*ad mensam sedentis, sicut aqua rosacea propter refri-odorem; *et* etiam *unxit* inde *s*, apud quos etiam alias atiam invenerat, *et pedes it capillis suis*. Ordine alio t quam hic scriptum est : o lavit pedes et extersit, et tit. *Et domus impleta est ex uenti* effusi : quia enim de ica erat, longe lateque pot-ejus diffundi. Non est veri-od esset aliquid grossum sic-ıta communiter dicta, quia esset tale quid ponere super ninis sedentis in mensa, et ıdum quod hic vocatur un-liquor pretiosus de re aro-pressus, sicut aqua rosacea r de rosis. Aliqui dicunt lacryma fluens naturaliter aromatica, quæ est multum et valet ad multa medicina-t etiam aliqui, quod nardus nigra, faciens spicas in ca-t propter hoc, ubi Joannes *lum pisticum*, Marcus habet *picatum*, quia de illis spicis · liquor prædictus per artifi-, secundum alios, fluit per Alii vero dicunt, quod est or parvula, et inde fluit vel r liquor modo prædicto. Pi-ındum quosdam, nomen est rescit arbor unde talis liquor ır; sed melius dicitur pisti-fidelis; πίστις enim Græce, Latine, hoc est dictum, quod or erat purus et verus, non liquid aliud admixtum, nec ıtus; pretiosi, quia valebat denarios, id est nummos erat enim ille liquor refrige-t confortativus membrorum, idativus, et valde odoriferus, l allevationem laboris contra olis, et distemperiem aeris, et ad multa medicinalia. Ex quo patet pretiositas unguenti, super pedes et caput Jesu effusi, et devotio ac pietas Mariæ, quæ labori Christi compatiens, et pedes et caput ejus unxit; et rem tam pretiosam in obsequium ejus expendit. In quo et nos docemur, quod ea, quæ pretiosissima suntapud nos, Deo offerre debemus.

4 Discrepantia inter hanc unctionem et primam in qua pedes Domini unxit. — Et quod alia vice, peccatrix adhuc existens, fecit in eadem domo ex contritione, scilicet quando conversa est, et peccata ei multa dimissa sunt, eo quod multum dilexit; nunc justificata et familiaris Domino effecta, facit ex devotione; sed tunc tantum pedes unxit, et gradatim a pedibus ad verticem perveniens, nunc et caput et pedes ungere meruit; tunc unxit Dominum unguento pœnitentiæ, nunc unguento devotionis. Ibi rudimenta pœnitentium, hic justitia perfectarum designatur animarum; diligebat enim Jesum super omnia, et de obsequendo eidem non poterat satiari. Fragrantia fidei caput Domini et pedes, quasi odore aromatum perfundit, qui divinitatem et humanitatem ejus digna laude attollit; nunc de pedibus ad caput ascendens, nunc ad pedes a capite per fidem descendens. Secundum enim Paulum Apostolum, caput Christi est Deus; itaque caput Christi ungit, qui ad honorem Dei omnia opera sua facit, juxta illud ejusdem Apostoli : *Omnia in gloriam Dei facite* ; qui vero vestigia Christi sequitur, pedes ejus ungit : item, caput Christi qui ipsum Christum veneratur; pedes vero, qui ejus fidelibus obsequitur. Ubi *Augustinus* : « Quæcumque anima fidelis vis esse, cum Maria unge pedes Domini pretioso unguento. Unguentum illud justitia fuit, ideo libera fuit. Unge pedes bene vivendo, et Dominica sectando vestigia; capillis terge, si habes superflua, da pauperibus, et pedes Domini tersisti. Capilli enim superflua corporis videntur. Domus autem impleta est odore, scilicet mundus impletus est bona fama. Nam odor bonus, bona fama est. Qui male vivunt et Christiani vocan-

tur, injuriam Christo faciunt; de quibus dictum est, quod per eos nomen Dei blasphematur. Si per tales nomen Dei blasphematur, per bonos nomen Dei laudatur. Audi Apostolum : *Christi*, inquit, *bonus odor sumus, in omni loco*. Dicitur et in Canticis Canticorum : *Unguentum effusum nomen tuum :* » hæc *Augustinus*. Ubi et *Beda :* « Mystice autem, hæc devotio Mariæ Domino ministrantis, fidem ac pietatem designat Ecclesiæ sanctæ, quæ loquitur in amoris Cantico, dicens : *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*. Quæ nimirum verba, et semel juxta litteram manibus Mariæ complevit, et quotidie in omnibus suis membris spiritualiter implere non desinit, quæ toto diffusa orbe gloriantur, et dicunt : *Deo autem gratias qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo*. Quicumque potentiam divinæ virtutis ejus, quæ illi una cum Patre est, digna reverentia confitetur, laudat, et prædicat, caput profecto illius unguento perfundit pretioso. Cum vero assumptæ mysteria humanitatis, æque digna reverentia suscipit, in pedes utique Domini unguentum nardi pisticum, id est fidele, ac verum perfundit, qui illam ejus naturam qua terram contingere, hoc est inter homines conversari dignatus est, pia prædicatione commendat, ad devotis veneratur obsequiis. Domus autem impleta est ex odore unguenti, quod significat odorem sanctitatis Christi implesse Ecclesiam, ad quem odorem omnes festinant.» Ubi etiam *Origenes:* « Qui eleemosynas et alia hujusmodi, quæ ad utilitatem hominum fiunt, facit in Christianos, pedes Domini ungit; qui autem castitati studet, et in jejuniis et orationibus permanet, et ceteris quæ tantum ad gloriam Dei proficiunt, ungit caput Christi. » Aut, doctrina quæ necessaria est hominibus, est hoc unguentum, quo pedes Domini unguntur; agnitio autem fidei, quæ ad solum pertinet Deum, est unguentum, quo ungitur caput Christi. Capillis autem pedes extergit, qui ea, quæ fluunt a mente tamquam capilli a capite, in obsequium Dei retorquet. Unde in Canticis : *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui*, hoc est, caritate affecisti me, propter simplicitatem oculorum tuorum me contemplantium, et propter simplicitatem tuarum cogitationum, quæ in me continue diriguntur. Hoc enim modo devotionis extergitur a pedibus Christi quidquid in eis est lassitudinis et tarditatis, quibus ad nos aliquando tardat venire. Et notandum quod hac die, scilicet sabbato ante ramos Palmarum, quo Maria lavit pedes et caput Domini unguento, in memoriam hujus rei, eodem sabbato, Dominus Papa consuevit vacare, et intendere pauperibus, dando illis eleemosynas, atque eorum pedes lavando; pauperes enim sunt pedes Domini sedentis in cœlo, adhuc deambulantes in terra. In cœna enim Domini, propter officii magnitudinem, ad hoc non vacat intendere, et mandatum celebrare. Cujus rei occupatione, eadem die stationem ad missam celebrandam non facit, sicut ceteris diebus Quadragesimæ facere consuevit; et ideo vacat hoc sabbatum a proprio missæ officio.

5 Indignatio et murmur Judæ Iscariotes. — Indignabatur autem et murmurabat de hoc facto Mariæ *Judas Iscariotes*, qui *dixit :..... Utquid perditio ista unguenti facta est?* Putabat enim unguentum perditum, propter hoc quod non habebat apud se pretium; in quo verbo non solum increpabat mulierem, quare hoc faciebat, sed et Christum qui hoc fieri permittebat. Ecce quod in obsequium Christi ponebatur, perditum reputabatur: simile aliqui faciunt, qui omne quod ex devotione Deo in oratione vel meditatione impenditur, perditum esse dicunt, quia nos utilitati proximorum intendere non cernunt. Similiter si aliquis religionem intrat, talem multi fatuum reputant; si autem actibus secularibus se implicet, talem prudentem esse dicunt. Unde communiter dicitur de persona, cum debilis est et infirma, quod nihil valet, nisi ad dandum pro Deo. Res etiam sæpe pro

Deo non dantur, donec deteriorare videntur. Unde dicitur:

> ***Panem muciditas, vinumque toni-***
> *[trua, vestem*
> ***Tinea, pauperibus sed confert mu-***
> *[sca scutellam.*

Poterat enim unguentum istud venumdari plusquam trecentis denariis. In **hoc** insinuatur occasio venditionis **Christi ab ipso** Juda pro triginta denariis **venditi; nam,** secundum quosdam, **consuetudo** Christi erat quod **decimam partem** eorum, quæ sibi dabantur, pauperibus erogabat. Vel, **cum Judas procurator** Domini esset, **credebat secundum** consuetudinem **suam accipere** sibi decimam partem **datorum** Domino; et ideo voluit vendi **istud** unguentum, ut haberet triginta denarios, qui sunt decima pars **trecentorum,** propter quod Judæ visum est, quod in unguento super Christum effuso triginta denarios perderet, unde ab illa hora cogitavit, ut Christum triginta denariis venderet, et sic prædam suam recuperaret. Vel, secundum alios, ibi triginta argentei, pro quibus Dominum vendidit, valebant trecentos denarios usuales, et sic recuperavit totum pretium unguenti. Subjicit: ***Et dari pauperibus***; ecce sub prætextu pietatis, zelat affectum, non pietatis, sed cupiditatis. Hoc enim dixit simulans pietatem, ad operiendam suam cupiditatem. Per hunc designantur detractores bonorum operum, sub specie pietatis denigrantes.

6 Avaritia et furti consuetudo Judæ. — Quidam etiam alii discipuli indigne ferebant, et quasi de perdito unguento murmurabant; isti quidem moti pietate propter pauperes indignabantur, non intendentes esse perditum simpliciter, sed in comparatione ad sublevationem pauperum; audierant enim a Domino : ***Misericordiam volo, et non sacrificium,*** et ideo forte credebant quod dare pauperibus esset magis bonum. Judas vero motus cupiditate, propter lucra sua, quamvis etiam sub prætextu, id est velamento seu specie pietatis indignabatur. ***Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum,*** id est non quia comparetur pauperibus, vel curaret de eis; sed, quia dolebat quod unguentum non fuerat sibi traditum, ut ejus pretium furando sibi retineret. Unde *Theophilus :* « Discipuli plures mulierem arguerunt, eo quod sæpe Christum audierant de eleemosynis dicentem; Judas vero non eadem intentione indigne tulit, sed propter amorem pecuniæ et turpe lucrum. Unde et Joannes ipsum solum commemorat, tamquam fraudulenta intentione mulierem arguentem, cujus ex hac occasione, furandi consuetudinem credidit intimandam : » hæc *Theophilus.* Licet enim portabat ea, quæ dabantur pro Christo ad dandum pauperibus; non tamen hoc faciebat, sed sibi retinebat, unde mussitatio ejus cum crimine ponitur, quod non curam pauperum habuerit, *sed* suo furto providere voluit, *quia fur erat, et loculos,* id est bursas Domini, *habens,* et custos eorum existens, *ea quæ mittebantur* in loculis, donata in eleemosynam a fidelibus, ad usum et necessitatem discipulorum et pauperum, furto adsportabat, *portabat* quidem ministerio, sed adsportabat furto. Habebat loculos Dominicos, ad ea quæ dabantur mittenda; et loculos proprios, ad ea quæ furabatur reponenda. Et, secundum *Augustinum,* ea quæ furabatur dabat uxori et filiis suis. Sic multi habentes loculos et facultates Ecclesiæ, ea quæ divino cultui et pauperibus erogare deberent, subtrahunt et sibi retinent, ac inde ditari et inclyti fieri student. Multi etiam bona Ecclesiæ, quæ sunt pauperum, dant filiis et meretricibus, ac sacrilega crudelitate illa surripiunt pauperibus, et expendunt in illicitis. Unde de sacerdotibus Belis legitur, quomodo filii et uxores eorum comedebant illa quæ super altare ponebantur; et rex credebat quod Be ea comedisset. Multi etiam custodes loculorum monasterii existentes bona ad usum fratrum deputata largiuntur quibus non debent; et magis in suis superfluitatibus, quam aliorum necessitatibus expendunt, ac alias illicite et male consumunt. Et, quia omnes prædicti loculos Christi cum Juda fu-

re portant, et eum in scelere sequuntur; ideo etiam post eum in tenebras demerguntur.

7 Loculos cur habuit Dominus eosque Judæ tradidit? — Dominus, cui Angeli ministrant, condescendens infirmis, loculos habebat, in quibus oblata fidelium servabantur, suorum et indigentium necessitatibus profutura, in signum quod Ecclesia loculos erat habitura; et in hoc datur forma Ecclesiæ servandi necessaria. Sane, cum doceret viam paupertatis, non habebat loculos propter propriam utilitatem; sed ad pauperum suorum sumptus et necessitatem. Unde *Augustinus :* « Habebat Dominus loculos, et a fidelibus oblata conservans suorum necessitatibus, et aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, ut intelligeremus quod præcepit non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ servaretur a sanctis; sed ne Deo propter ista serviatur, et propter inopiæ timorem justitia deseratur. » Unde et *Nicolaus III*, in declarando regulam Fratrum Minorum : « Dicimus quod abdicatio proprietatis omnium rerum, tam in speciali quam in communi, meritoria est et sancta, quam Christus, viam perfectionis ostendens, et verbo docuit, et exemplo firmavit. Nec his quisquam putet obsistere, quod interdum dicitur Christum loculos habuisse. Nam si Christus, cujus perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit; interdum etiam infirmorum imperfectionibus condescendit, ut sic et viam perfectionis extolleret, et imperfectorum infirmas semitas non damnaret. Sic infirmorum personam Christus suscepit in loculis; sic et in nonnullis aliis, non tantum carne, sed et mente condescendit infirmis. Egit ergo Christus fortia, docens perfectionis opera; egit etiam et infirma, sicut interdum in fuga patuit et loculis; sed utrumque perfecte, perfectus existens, ut perfectis et imperfectis viam salutis ostenderet : » hæc *Nicolaus* III. Sed quare Dominus furi loculos commisit, et avarum suum dispensatorem fecit? Videtur enim quod ei occasionem peccandi dederit. Dicendum quod Judas primo fuit bonus, quando vocatus fuit ad Apostolatum, et officium dispensationis sibi traditum; sed postea lapsus est in peccatum. Et quamvis Christus sciret eum futurum furem, et malum, tamen pluribus de causis tradidit sibi illud officium : primo, ut ejus Ecclesia, exemplo sui, fures et malos cum patitur toleraret; non est enim bonus, qui malos tolerare non potuit; secundo, ut ei occasionem proditionis auferret, cum ex loculis mitigationem concupiscentiæ haberet; tertio, ut doceret quod minoribus temporalia tradenda sunt, sed majoribus spiritualia sunt committenda; quarto, ut nos instruens, ostenderet quam parum temporalia curaret, quando bursam pecuniæ furi et deteriori tradidit; claves autem Ecclesiæ cum magna examinatione commisit Petro, quod est contra illos qui suas animas, vel aliorum illis committunt ad regendum, quibus bovem vel asinum non committerent ad vendendum. Ex præmissis patet, quod Christus et discipuli ejus de eleemosynis et oblationibus fidelium tamquam pauperes vivebant.

8 Maria a Christo defenditur. — Sed Dominus *Jesus* pro Maria respondit, et eam more solito defendens *ait illis* : *Quid molesti estis huic mulieri?* Quasi diceret : Sine causa murmuratis : *Opus enim bonum operata est in me*, et ergo non debetis eam reprehendere. Non est perditio unguenti, ut vos dicitis, sed opus bonum, id est pietatis et devotionis obsequium; unde de bono opere lapidatis eam, contra rationem et justitiam. *Sinite illam* nunc de hoc unguento facere quod poterit, *ut in diem sepulturæ meæ servet illud*, scilicet quod tunc pro ipsa præparabit; illud enim reservabit, quia non potuit expendere, prævenla acceleratione resurrectionis meæ. Unde dimittenda est nunc facere quod tunc non poterit; et illud unguentum in loco istius nunc in me expensi tunc servabit; vel, præcepit partem istius un-

guenti ad sepulturam suam reservari. Unde credendum est, quod Maria hoc fecerit edocta a Spiritu Sancto : quia etenim cognoverat Dominum in proximo moriturum, ipso hoc dicente, ideo unguentum paraverat, cujus partem nunc expendit, et partem ad officium sepulturæ reservavit. *Pauperes enim semper habetis vobiscum*, quibus benefacere potestis, et recuperare quod modo neglectum dicitis ; *me autem non semper habetis*, scilicet præsentia corporali, ad habitandum vobiscum in carne passibili, quæ indiget unctione tali. Quasi diceret : Poterit recuperare ad benefaciendum pauperibus, sed non ad ungendum corpus meum. Bonis et malis loquitur de præsentia corporis sui ; *sedet* enim *ad dexteram Patris*, postquam in cœlum ascendit, et secundum corpus non est hic, qui præsentia majestatis semper est hic. Si tamen ad bonos pertines semper habes Christum in præsenti per fidem, per signum, per Baptismatis sacramentum, per altaris cibum et potum. Unde alibi dicit eis : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, quia erit cum fidelibus præsentia spirituali et sacramentali. *Quod habuit*, id est quod potuit, *hæc fecit* ; vel, quod habuit facere ex officio pietatis, hoc fecit, in opere deitatis ; *prævenit* enim *ungere corpus meum, in sepulturam* meam futuram designandam, quia in hoc facto præfiguravit eam de propinquo futuram. Quasi illis diceret : Sinite ut faciat vivo, dum potest, quod volet facere mortuo, sed non poterit. Unde *Alcuinus* : « Significat se mortuum et ad sepeliendum aromatibus esse ungendum. Ideo Mariæ, cui ad unctionem mortui corporis pervenire non liceret, donatum est viventi adhuc impendere obsequium, quod post mortem celeri resurrectione præventa, nequiverit. » Unde et *Theophilus* : « Prævenit ea quasi a Deo ducta ungere corpus meum, in signum sepulturæ futuræ, in quo proditorem confundit. Ac si ei diceret : Qua conscientia mulierem confundis, quæ in sepulturam corpus meum ungit, et teipsum non confundis, qui me in mortem trades ? » *Mittens enim hæc unguntum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*, et per hoc, meam sepulturam præfiguravit. Quod vos putatis perditionem esse unguenti, officium est, et significatio sepulturæ. Mysterium est quod agitur, in quo mors et sepultura mea cito fieri significatur. In proximo enim passurus sum, ideoque mihi hoc obtulit ad sepeliendum. Nec mirum si me unguento perfuderit, et mihi bonum odorem fidei suæ dederit, cum ego pro ea mox fusurus sim sanguinem meum, et daturus animam meam. Patientia ergo Domini arguit Judam avaritiæ, et non pauperum causa dixisse quod dixit ; sed obsequium Mariæ commendavit, ostendens quod esset moriturus, et ad sepeliendum aromatibus ungendus.

9 Prophetia Domini de futura gloria Mariæ. — Tunc affirmans eis Jesus, opus hoc commemorandum in dulcem memoriam ejus, id est ad laudem ejus recitandum, tamquam factum virtuosum, *ait : Amen dico vobis ubicumque in toto mundo prædicatum fuerit hoc Evangelium*, id est hoc factum mulieris pertinens ad Christi Evangelium ; nondum enim Evangelia erant scripta. Quasi diceret : Vos insipienter eam reprehenditis, pro eo facto, pro quo ipsa laudanda est *in universo mundo, ubicumque prædicatum fuerit istud Evangelium*, id est ubicumque dilatabitur Ecclesia per mundum, *et quod hæc fecit, narrabitur in memoriam ejus* : quia memoriale sempiternum habebit, ex hoc quod mihi fecit. Ubi idem *Theophilus* : « Prophetat autem Dominus consequenter duas prophetias, scilicet : quod Evangelium ejus prædicabitur in universo mundo, et quod opus mulieris laudabitur : » hæc *Theophilus*. Et hoc Domini dictum jam patet adimpletum. Ubi *Beda* : « Notandum autem, quia sicut Maria gloriam adepta est, toto orbe quocumque Ecclesia sancta diffusa est, de obsequio quod Domino pia devotione exhibuit ; ita e contrario, ille qui obsequio ejus detrahere temeraria lingua non timuit, perfidiæ nota

longe lateque infamatus, et Deo simul atque hominibus merito factus est exosus; sed Dominus bonum laude digna remunerans, futuras impii contumelias tacendo præteriit : » hæc *Beda*.

10 Quandoque opera bona non sunt consulenda. — Nihilominus tamen et Judas indignatus remansit, et inde proditionis causam et occasionem assumpsit; hinc habemus argumentum, quod majus bonum qandoque omittendum est, pro minori bono quod iterum recuperari non poterit. Et præfertur hic bonum quod videtur minus ei quod videtur majus, in genere dico, non quoad caritatem. Ubi sciendum quod multa bona opera sunt, de quibus si peteretur consilium antequam fiant, non consuleremus quod fierent, quia forte possent fieri meliora; postquam tamen jam incipiunt fieri, non sunt prohibenda. Et, secundum *Chrysostomum*, forte Jesus antequam effunderet unguentum, elegisset potius illud dari pauperibus; nunc vero quia jam factum erat, exprimit, dicens : *Sinite illam*. Item, quandoque faciendum est illud quod est minus necessarium; et potest præponi magis necessario, si remanet locus implendi quod est magis necessarium, præsertim si tollatur locus faciendi id quod est minus necessarium, et immineat casus quod illud minus necessarium non posset alias recuperari; et ideo forte Dominus permisit sic fieri. Unde et dixit quod pauperes, non autem ipsum, semper haberent. In hoc autem quod dicit : *Pauperes semper habetis vobiscum*, datur intelligi familiaritas, quam divites debent habere ad pauperes, quia pauperes maxime facti sunt propter divites.

11 Pia consideratio auctoris super prædicta. — Circa ista, *Anselmus* ad sororem suam scribens, sic dicit : « Gaude, quæso, huic interesse convivio, et singulorum distingue officia : Martha ministrabat, discumbebat Lazarus, unxit Maria. Hoc ultimum tuum est; frange ibi alabastrum cordis, et quidquid amoris, quidquid desiderii, quidquid affectionis habes, totum effunde super caput Sponsi tui, adorans in homine Deum, et in Deo hominem. Si fremit, si murmurat, si invidet proditor, si perditionem vocat devotionem, non sit tibi curæ. Pharisæus murmurat invidens pœnitenti, murmurat Judas de effusione unguenti; sed Judex accusationem non recipit, accusatam absolvit. *Sinite*, inquit, *illam; bonum enim opus operata est in me*. Laborat Martha, parat hospitium peregrino, esurienti cibum, sitienti potum, vestem algenti; ego solus Mariæ, et illa mihi totum præstat quod habet, a me quidquid optat, exspectet : » hæc *Anselmus*. Conspice igitur Dominum Jesum cœnantem in domo Simonis, cum illis amicis suis, quia forte consanguinei vel multum domestici erant ejusdem Simonis, et conversantem cum eis paucis diebus, scilicet usque ad tempus Passionis suæ; sed amplius in domo Marthæ; hæc enim domus erat suum refugium speciale. Ibi cum discipulis suis comedebat et dormiebat; ibi et Mater ejûs cum sororibus quiescebat, quam omnes multum honorabant, et maxime Magdalena, quæ eam semper associabat, nec ab ea ullatenus recedebat. Lazarus quippe, et Maria Magdalena, et Martha ex eisdem patre et matre geniti, insignes et divites fuerunt. Lazaro, cessit pars eorum, quæ in Jerusalem parentes habuerant, scilicet quidam vicus; Mariæ, Magdalon castellum, seu oppidum Galilææ ad duas leucas de Bethsaida, contra meridiem, et secundo milliario a stagno Genezareth; et Marthæ, Bethania in partem de hereditate parentum cessit et evenit. Sed tamen, propter hospitalitatis gratiam, simul cum Martha manebant, quia ipsa prudentior ad dispensandum erat; et ideo etiam in receptione Domini, sola aliquando Martha legitur nominata. Conspice etiam ipsam Dominam, quia de dilectissimo Filio suo timore perterrita erat, nec se ab eo illo tempore separabat. Et cum Dominus defendit Magdalenam murmure proditoris, dicens : *Mitten hæc unguentum hoc in corpus meum*

ad sepeliendum me fecit, an non credis quod hujus verbi gladius Matris animam pertransiret? Quid enim de morte sua expressius dicere poterat? Similiter et omnes alii erant perterriti, et anxiis cogitationibus pleni, colloquentes ad invicem unus cum altero, hinc inde, in ore illorum qui habent dura et adversa tractare. Compatere ipsis, et tunc libenter cum eis converseris.

12 Judæorum curiositas. — *Cognovit ergo*, per famam publicam, *turba multa ex Judæis*, qui ex tota terra venerant ad diem festum, *quia illic est*, scilicet quod in Bethania, esset Jesus. Bethania enim prope Jerusalem, quasi ad duo milliaria erat, et ideo de facili hoc cognoscere poterant. *Et venerunt* illuc, *non propter Jesum tantum, sed etiam ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis*. In hoc facto innuitur duplex causa: una, propter ipsum Jesum reverenter visitandum; alia, ut viderent Lazarum ab eo suscitatum. Et hoc propter duo : primo, quia illud quod factum circa ipsum audierant, valde mirabile erat, et hoc homines videre desiderant; secundo, quia sperabant, Lazaro referente, aliquid de alia vita percipere, et audire, cujus cognitionis desiderium homini est innatum. Curiositas tamen magis eos adduxit, quam caritas, nec tantum amore ducebantur quantum admiratione; quia sicut se cupiditas hominum habet, nova videre et audire cupiebant. Sed illa curiositas mala non erat, ex qua ad fidem induci poterant. Nos e contra, si cognoscimus Jesum obedientis animæ domum in qua inhabitet invenisse, veniamus illuc contemplatione ; non propter hominem tantum, quem in anima suscitatum videmus, sed ut vitam bonam imitemur, et per hoc ad visionem Jesu perveniamus.

13 Pharisæorum stulta cogitatio de interficiendo Lazaro. — *Cogitaverunt autem principes sacerdotum*, dolentes de manifestatione gloriæ Christi, *ut et Lazarum interficerent*, ad occultandum miraculum, *quia multi propter illum abibant ex Judæis et credebant in Jesum*, convicti signo maximo, et inducti ad credendum. In quo videbantur manifeste Deo obviare : ipse enim vivificaverat Lazarum; et isti volebant occidere eum, ex quo et maxima patet malignitas eorum. Stulti et maligni Judæi eum occidere volebant, quem nuper Dominus suscitaverat, ac si iterum eum resuscitare non posset. Unde ait *Augustinus* : « O stulta cogitatio, et cæca sævitia! Dominus Christus, qui suscitare potuit mortuum, non posset suscitare occisum? Ecce utrumque fecit Dominus, et Lazarum mortuum, et seipsum suscitavit occisum. » Ubi et *Chrysostomus* : « Nullum autem miraculum Christi eos ita furere fecit; hoc enim mirabilius erat, et coram multis factum est, et erat inopinabile mortuum quatriduanum videre ambulantem et loquentem. »

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui pro omni mundo passurus venire et morari in Bethania, id est in domo obedientiæ, et ibidem cœnare voluisti, ac caput et pedes tibi ungi permisisti, da mihi ut in vera obedientia perseverando, per hanc tibi refectionem facere merear spiritualem, quia tu in nostra delectaris, et quodammodo pasceris obedientia. Fac etiam me ibidem caput tuum et pedes ungere : caput quidem, divinæ virtutis tuæ potentiam digna reverentia et laude confitendo; pedes vero, assumptæ humanitatis mysteria similiter digne suscipiendo; vel caput, te Christum venerando, et pedes, tuis fidelibus obsequendo, ut tuam gratiam consequar sic agendo. Amen.

CAPUT XXVI

DE SESSIONE DOMINI SUPER PULLUM ET ASINAM.

Matthæi cap. XXI, Marci cap. XI, Lucæ cap. XIX et Joannis cap. XII.

1 DOMINUS VENIT BETHPHAGE IN MONTEM OLIVETI. — Frequentabantur mysteria, implebantur Scripturæ per Dominum Jesum, instante tempore, quo volebat per proprii sanguinis effusionem mundo conferre remedium. Igitur in crastinum, id est in die sequenti, scilicet dominica, summo mane, paravit se ad eundum in Jerusalem, novo et inconsueto modo, sed sicut fuerat prophetatum. Imminente itaque paschali tempore, quo immolabatur agnus, ipse tamquam verus Agnus ad locum Passionis accessit, pro salute mundi voluntarie immolandus, facto ostendens quod erat paratissimus se humiliare, et obedire usque ad mortem contemptibilissimam et acerbissimam, pro omnibus. Secundum *Bedam,* præceptum Legis erat, ut decima luna primi mensis, agnus, sive hœdus, in domo recluderetur usque ad decimam lunam ejusdem mensis, quando ad vesperam immolabatur; unde et verus Agnus, ex omni grege sine macula electus, pro populi salute et sanctificatione immolandus, ante quinque dies, id est decima luna, Jerosolymam ascendit, ut sic veritas figuræ responderet. Cumque Dominus Jesus pergere vellet, Mater, ut creditur, pro affectu eum retinebat. Similiter et discipulis, et aliis intolerabile videbatur quod illuc iret; et, ut poterant eum retrahebant. O Deus! quomodo diligebant eum: et quomodo erat eis amarum quidquid læderet ipsum! Ipse vero aliter disposuerat, qui universorum salutem sitiebat; cœpit igitur ire, et illa parva sed fidelis discipulorum comitiva post ipsum incedere; *et venit Bethphage,* in medio itineris, quæ erat viculus, seu villa parva sacerdotum, in latere et descensu seu declivio montis Oliveti versus Jerusalem, distans uno milliario a Bethania, quæ est in alio latere montis ejusdem, et uno milliario a Jerusalem. Unde Bethphage locus sacerdotum, bene *domus buccæ* seu *maxillarum* interpretatur: maxilla etenim propria erat pars sacerdotum in Lege veteri, quorum erat prædicare, et verbum Dei proponere. Sacerdotes nempe qui per hebdomadam in templo deserviebant, completo officio vicis suæ, illud ad manendum divertebant, ubi etiam pecora sua alebant. Licet enim non haberent hereditatem ad excolendum, habebant tamen domos ad nutriendum animalia, et ad manendum tempore quo non vacabant cultui divino in Jerusalem. In hoc quod Dominus venit in montem Oliveti, significatur quod per solam pietatem veniebat ad Passionem, et non per necessitatem. Secundum *Hieronymum,* iste mons vocatur mons olei, chrismatis et luminis: in quo significatur triplex effectus Dominicæ Passionis, scilicet: in oliva venia indulgentiæ, in chrismate unctio gratiæ, in lumine splendor gloriæ.

2 DUOS MITTIT DISCIPULOS AD QUÆRENDUM ASINAM EJUSQUE PULLUM. — *Et cum appropinquassent Jerorolymis, et venissent Bethphage ad montem Oliveti; tunc Jesus misit* inde *duos discipulos.* Secundum *Chrysostomum* et *Glossam,* hi fuerunt Philippus et Petrus: quorum primus Samariam, quasi asinam, secundus Cornelium, quasi asinæ pullum adduxit; tales enim debent mitti ad prædicandum, scilicet qui habet agnitionem veritatis, seu

scientiam ad intelligendum, et splendorem honestatis, seu gratiam ad docendum. Petrus enim interpretatur *agnoscens*, Philippus vero, *os lampadis*. Misit autem discipulos, quasi disciplinatos, propter ædificationem exempli; sed duos, propter firmitatem verbi : quia *in ore duorum vel trium, stat omne verbum*; et pluribus aliis de causis destinavit hunc numerum, sicut et binos misit ad prædicandum. Unde ait *Hieronymus* : « Misit duos : propter societatem, propter duplicem humilitatem cordis et corporis, et propter duplicem geminam caritatem, Dei et proximi. » Et iterum : « Sive propter theoricam et practicam, id est scientiam et opera. » Unde et *Beda* : « Recte autem duo mittuntur, sive propter scientiam veritatis, et munditiam operis, sive propter geminæ dilectionis, Dei videlicet et proximi, sacramentum, toto orbe prædicandum. » Unde etiam *Chrysostomus* : « Duos autem misit Apostolos, quia per duo generalia mandata omne genus hominum de peccato absolvitur. Qualia, petis? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, etc.; *et proximum tuum sicut teipsum*. In his duobus omne peccatum expellitur, et omnis justitia consummatur. Aut certe illa duo : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; et : *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis*. » Unde et *Remigius* : « Duos quippe misit, propter duos ordines prædicatorum missos Judæis et Gentibus; sive, quia duo sunt præcepta caritatis; sive, propter duo Testamenta; sive, propter litteram et spiritum. » *Et ait illis : Ite in castellum*, scilicet in Jerusalem, *quod contra vos est*, id est coram vobis est; et vobis ex opposito positum ad radicem alterius montis, scilicet Sion. Hoc etiam dicit, quod contradictionem futuram in Jerusalem contra Apostolos prævidebat. Et dicit castellum, quia usus sacræ Scripturæ est aliquando castellum pro civitate, et civitatem pro castello, ponere. Vel, dicitur castellum, propter loci situm et fortitudinem, quia triplici muro, ac propugnaculis et fortalitiis, ad modum castri, clausa erat Jerusalem. Vel, vocat eam sic despective; jam enim nomen civitatis amiserat, quia ex libertate temporali in servitutem Gentium redacta, et Romanis subjecta erat; item, de libertate spirituali redacta erat in servitutem peccatorum; et de frequentia populorum in paucitatem habitatorum, et ideo dicitur diminutive castellum. Item, non vocat Jerusalem civitatem, quia non erat ibi civium unitas, sed multiplex discordia inter eos; sed vocat eam castellum, quia munita erat armis malitiæ contra Christum. *Et statim*, scilicet ante portam et introitum civitatis, *invenietis asinam et pullum cum ea... super quem nemo adhuc hominum sedit*, in bivio et loco publico alligatos, et ad ministeria pauperum deputatos. Mos quippe erat in illis regionibus, ut in singulis civitatibus et viculis, asinus, vel quodlibet animal, ad opus, vel ad sedendum aptum, præparatum haberetur pro pauperibus, qui propria jumenta non habebant; et, si cui necesse esset opere vel itinere unius diei, eo uteretur; de cujus sustentatione habitatores urbis communiter cogitabant, sed cum quis eo utebatur, pro tempore illo pabulum ei dabat, et post usum ad locum determinatum reducebat. Mos igitur iste tunc Jerosolymis servabatur, ubi in loco publico ligata erat asina, et cum ea pullus, qui pariter ad opera communia nutriebantur. Nondum enim quisquam eum ascenderat; et qui asina utebatur, utrique de pabulo providebat. Subdit autem : *Solvite et adducite mihi*. Ubi *Chrysostomus* : « Ecce igitur quam humile et contemptibile animal Christus Rex regum elegit ad insidendum, cum Jerusalem ingrederetur. » *Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus*, scilicet omnium, *his opus habet*; *et confestim*, sine contradictione, *dimittet eos*. Dicit enim idem *Chrysostomus*, quod virtus Christi movit et præparavit cor domini, id est custodis illorum animalium, ut confestim adverbum discipulorum daret eis, quamvis ignotis.

3 Mystica significatio castelli, di-

SCIPULORUM, ASINÆ ET PULLI. — Mystice, castellum mundus, discipuli vero prædicatores; mundus vero est contra prædicatores, quia mundus amat divitias, honores et delicias, e contra prædicatores prædicant paupertatem, abjectionem et asperitatem. Asina, populus Judaicus propter stultitiam; pullus, populus Gentilis propter lasciviam, et peccandi consuetudinem. Dicit ergo discipulis : *Ite* ad prædicationis officium, ad sacramentorum ministerium; *in castellum*, id est in mundum, qui multipliciter impugnat Deum, scilicet : erroribus, in incredulis; fictionibus, in hypocritis; voluptatibus, in impudicis; vanitatibus, in superbis; cupiditatibus, in avaris et ambitiosis. Unde Joannes : *Totus mundus in maligno,* id est in malo igne, *positus est; quod contra vos est*, dissimili conversatione, tumida mentis obstinatione, pudibunda oris objurgatione. *Et statim invenietis*, quia sine magna sollicitudine quærendi, *asinam alligatam*, *et pullum cum ea*; quorum, secundum *Glossam*, unum ad Judæos, scilicet asina, alterum ad Gentes, scilicet pullus refertur. Igitur Judæa, secundum Deum, et in spiritualibus, mater est Gentium, quia de Sion exivit Lex. Ecce triplex miseria conditionis peccatorum, quæ debet nos movere ad quærendum : bestialis similitudo, quia de homine jumentum est factus, et ideo dicit: *asinam et pullum ejus*; spiritualis ligatio, quia de libero factus est captivus, et ideo dicit: *alligatam*; magna multitudo, quia *stultorum infinitus est numerus*, et ideo dicit: *statim invenietis*, ubique enim occurrunt peccatores. Ut autem dicit *Chrysostomus*, propter quasdam similitudines animalibus his assimilati sunt homines, Deum vel Dei Filium non cognoscentes. Est enim animal hoc immundum, rude, stultum et infirmum; sic fuerunt homines ante Christi adventum : et alligati prava consuetudine peccati, quod vinculum fortius est ceteris, quia licet alia vincula vetustate putrescant, et corrumpantur, vinculum tamen peccati sua vetustate fortificatur; *super quem nemo sedit*, quia nulli vult obedire. *Solvite* tamen, monitis vestris ab erroribus et peccatis enodando et extrahendo, et solutos ostendendo, *et adducite mihi*, in fide et moribus informando, ut, soluti a vinculis, me sequantur imitando. Sicut enim avis quæ portat secum vinculum, non potest bene ad prædam suam volare, nec etiam post prædam suam potest currere canis vinculatus; sic nec peccator post Christum vinculo peccati ligatus. *Et si quis*, *vobis aliquid dixerit*, impedire vos volens, *dicite quia Dominus* omnium, cui omnia servire debent, *his opus habet*, et operam eorum desiderat; non propter suam necessitatem, sed propter nostram utilitatem, vult enim nostram conversionem, propter nostram salutem. *Et confestim*, id est sine contradictione, *dimittet eos*, cognito mandato superioris.

4 MORALITER, DE CORDE PECCATORIS. — Moraliter, castellum Domino et suis Apostolis, ac suæ gratiæ muneribus contrarium, potest dici cor hominis peccatoris, rationibus et excusationibus quasi muris et propugnaculis contra Deum munitum; ac per turrim elationis, et per murum obdurationis, et per seram pertinaciæ firmatum. Asina in eo ligata est anima vinculis peccatorum præpedita; pullus lascivus est affectus lubricus et malus; duo discipuli sunt timor et amor ordinatus, qui asinam et pullum solvunt, dum a peccatis absolvunt, et Dominum desuper, stratis vestibus, sedere faciunt, dum eamdem animam omnibus virtutibus et donis imbuunt. Ubi ait *Chrysostomus* : « Ligata erat asina, id est diabolici erroris vinculo impedita, ut non haberet libertatem ire quo vellet; nam omnes homines antequam peccemus, liberum habemus arbitrium, si volumus sequi voluntatem diaboli, an non. Quod si semel peccantes obligaverimus nos operibus ejus, jam nostra virtute omnino evadere non possumus; sed sicut navis, fracto gubernaculo, illuc ducitur, ubi tempestas impulerit, sic et homo divinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum,

non quod vult agit, sed quod diabolus vult. Et nisi Deus valida manu misericordiæ solverit eum, usque ad mortem in peccatorum suorum vinculis permanebit. Ergo nostra quidem voluntate et negligentia alligamur, per Dei misericordiam absolvimur. Et sic homo, priusquam peccet, liberum habet arbitrium utrum velit sub regno esse diaboli; cum autem peccando tradidit se sub regno ipsius, jam non potest de potestate ejus exire, sed prima voluntas ejus in necessitatem convertitur. Et hoc est quod homines seculares et peccatores dicere solent : Numquid nolumus esse sancti ? Et quis non vult esse justus ? Sed, non possumus. Verum quidem est quod dicunt, sed non habent excusationem, quia primum potuerunt non esse sub potestate diaboli, si voluissent; postquam vero posuerunt thronum diaboli in cordibus suis, jam non potest eos de potestate diaboli eripere, nisi solus Deus : » hæc *Chrysostomus*. Unde et *Bernardus* : « Difficilis prorsus res, et soli divinæ virtuti possibilis, susceptum semel peccati jugum a cervivicibus suis excutere, quoniam *qui facit peccatum servus est peccati*. Nec etiam liberari potest ab ipso jugo nisi in manu forti ; hæc est magna misericordia, magnis necessaria peccatoribus, de qua dicitur : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam ; et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam* : » hæc *Bernardus*. Studeat ergo Jesus, a diabolo, ut cito ejus dirumpat jugum ; quia tanto facilius, quanto citius ejus dominium evitatur.

5 Prophetia Zachariæ de humili ingressu Domini. — Subjungitur : *Hoc autem totum factum est, ut* præter humilitatis exemplum, in hoc facto ostensum, etiam *adimpleretur*, consecutive non effective, *quod dictum est per Prophetam*, Zachariam scilicet, *dicentem* : *Dicite Filiæ Sion*, scilicet civitati Jerusalem, hoc est habitantibus in ea : *Noli timere* : imo exsulta et jubila, ubi dat securitatem, et excludit timorem humanum et servilem ; *ecce Rex tuus*, id est Christus. *venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis*, id est asinæ sub jugo et onere positæ et domitæ ; non super utrumque simul, sed successive. Et bene dicit : *filium subjugalis*, quia populus Gentium exemplo Judæorum credidit, vel a Judæis ad Gentes verbum Domini emanavit. In tali adventu et tam humili significatur Regis clementia, quæ subditis valde est accepta. Quasi diceret : Non veniet in fastu regio, propter quod posset esse odiosus, sed veniet in mansuetudine, propter quod est magis diligendus. Noli ergo timere Regis oppressionem, sed magis exsultans, agnosce Regem tuum mentes regentem, et ad regnum cœlorum perducentem. Secundum *Chrysostomum*, consueverunt homines timere reges venientes, propter novitates bellorum, et exactiones, et servitutes atque injusta gravamina ; sed noli timere, Jerusalem, quia iste Rex veniens non est talis, sed mansuetus et humilis ; non in multitudine exercituum et equorum ingrediens, sed cum humili turba, asinæ insidens. Signum quippe adventus Christi in Jerusalem ad redemptionem populi, fuerat a Zacharia prædictum, et celebri fama divulgatum, videlicet quod Christus venturus erat in Jerusalem in paupertate et humilitate, sedens super asinam et pullum ejus ; et ideo Legisperiti hoc videntes in ipso completum, ostenduntur contemptores suæ majestatis, quia eum non receperunt, sed magis tamquam deceptorem persecuti sunt. Hoc autem non solum impletum est, quia erat prædictum ; sed etiam ante prædictum est, quia erat implendum. Unde cum dixit : *ut adimpleretur*, hic *ut* consecutivum est, non effectivum. Circa hoc autem, quod Jerusalem dicitur filia Sion, est sciendum, quod mons Sion pars est sublimior civitatis Jerusalem, versus Meridiem, atque aliquantulum etiam ad Occidentem ; in quo erat rupes prærupta, quæ Mello vocabatur, in cujus angulo quodam et colle satis imminente erat arx et turris David, ad quam mille clypei pendebant, omniumque fortium ar-

matura; ubi David habitavit et eam civitatem David appellavit. Unde civitas Jerusalem dicitur filia montis Sion, quia in eo erat fortalitium civitatis, scilicet turris David defendens et protegens civitatem, sicut mater filiam; unde et canitur: *Urbs fortitudinis nostræ Sion*. Ut ergo Propheta omnem excusationem ignorantiæ a Judæis auferret, cum Domini adventum prædiceret, ipsam qualitatem Domini advenientis ostendit: *Rex*, ait. Ac si diceret: O vos Judæi, quod ille adventus Domini in carnem venturus est, his signis Regem vestrum cognoscite, cum videritis eum venientem mansuetum, non superbum, sed humilem; non armorum splendore terribilem, ut quondam ad vestram destructionem Nabuchodonosor, Antiochus et alii venerunt, sed ad restaurationem; non ut auferat a te temporale regnum atque terrenum, sed conferens tibi, si credideris, cœleste et sempiternum regnum; non ut ducat te in terram alienam vinctum, sed ut restituat te in propria liberum. Quod autem *tuus* ait, tale est, ac si diceret: Tuus, inquam, non alienus, non extraneus, sed proprius tibi promissus, ex te natus, et in te nutritus; et tibi, hoc est ad tuam salutem et utilitatem veniens; *venit*, inquam, *tibi*, non sibi, sicut prælati multi potius veniunt ad visitandum propter lucrum suum, quam propter salutem subditorum, scilicet ut suas procurationes accipiant, magis quam ut defectus corrigant; quod vero subjungitur: *mansuetus*, ostendit suam mansuetudinem non solum in verbis, sed etiam in subjugalis sessione. Unde *Chrysostomus*: « Sciens autem Propheta malitiam Judæorum, quia contradicturi erant Christo ascendenti in templum, ideo ante præmonuit, ut per hoc signum cognoscerent Judæi Regem suum, dicens: Ecce *Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum ejus*. Cum ergo videritis eum in templo, o Judæi, nolite dicere: *Non habemus regem, nisi Cæsarem*; nolite superbe agere contra eum: Quia, *Rex tuus venit tibi, sedens super asinam*. Si intellexeris, tibi veniet; si non intelexeris, veniet contra te, id est, si intellexeris veniet ut salvet te, et sub pedibus tuis subjiciat Gentes; si autem non intellexeris, veniet ut perdat te, et de templo sanctitatis expellat, et aliam sponsam de Gentibus castiorem inducat in cubiculum sanctitatis. Vis cognoscere mansuetudinem venientis? Considera speciem adventus ipsius. Non sedet in curru aureo, pretiosa purpura fulgens, nec ascendit super fervidum equum discordiæ amatorem et litis, qui gloriæ jactantia pectus habet repletum, et gaudet ad vocem tubæ; sed sedet super asinam, tranquillitatis et pacis amicam. Non autem vides in circuitu ejus splendentes gladios, aut cetera ornamenta armorum terribilium. Sed quid? Ramos frondentes, testimonia pietatis et pacis. Venit ergo mansuetus, nam ut propter mansuetudinem amaretur: » hæc *Chrysostomus*.

6 Mystice, hæc prophetia applicatur Ecclesiæ. — Mystice, dicite, o prædicatores, filiæ Sion, id est Ecclesiæ militanti, sicut olim Jerusalem dicitur: filia Sion, quia ab hoc monte sicut a matre protegi videtur, sic Ecclesia militans filia Ecclesiæ triumphantis dicitur, quia ab ea sicut a matre protegitur: Ecce Rex tuus venit tibi, id est ad utilitatem tuam, non suam; sedens super asinam et pullum, id est in præcordiis utriusque populi. Quasi diceret: Prædicate mundo adventum Christi in carnem, ut cognoscatur et credatur, ut recipiatur et colatur.

7 Vestium substratio. — Et subditur: *Euntes autem discipuli*, tamquam veri obedientes non refutaverunt hoc officium ut parvum; sed *fecerunt sicut præcepit illis Jesus. Et adduxerunt asinam et pullum; et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt*. Sic quoque, ut dicit *Basilius*, decet nos et infima opera plurimo cum affectu et studio aggredi, scientes quod quidquid intuitu Dei fit, non est parvum, sed dignum regno cœlorum. Vestimenta Apostolorum, quibus turpitudo car-

nis cooperitur, et ornata sessio Domino paratur, apostolica instituta et exempla ac doctrinam virtutum significant, quibus corda hominum instruxerunt, ut Dominum habitatorem habere possent; quibus receptis a Judæis et Gentibus, sedet in eis Christus, quia nisi anima his instructa fuerit et ornata, Deum sessorem habere non meretur. Unde *Bernardus* : « Domino quoque sessuro super asellum, vestes suas discipuli substraverunt, significantes Salvatorem seu salutem nequaquam insidere nudæ animæ, quam non videlicet vestitam invenerit doctrina et moribus Apostolorum : » hæc *Bernardus*.

8 CUR DOMINUS PRIUS SUPER ASINAM SEDET, ET DEINDE SUPER ASELLUM ? — Christus ergo super asinam et pullum sedit, propter veritatem prælegatæ prophetiæ, quæ hoc expresse dicit. Et primo sedit super asinam ; secundo, post adventum turbæ de Jerusalem, sedit super pullum, qui, quia indomitus et lascivus erat, et super eum nemo adhuc sederat, nec adhuc applicatus humanis usibus fuerat, propter inquietudinem et inconsuetudinem forsan recalcitrabat ; et ideo Christus Rex mansuetus descendit, et deinde super asinam sub jugo domitam iterum ascendens sedit. Hoc autem factum est in figura, quia per asinam significabatur populus Judaicus, qui sub Lege laboraverat, et jugum Legis traxerat, ac multis vinculis peccatorum alligatus erat ; per pullum, populus Gentilis, qui jugo Legis subjectus non fuerat, nec quis eum jugo Domini coercuerat, ac diversis dogmatibus et erroribus subditus erat. Ad hoc ergo Christus veniebat, ut utrumque populum sibi per fidem catholicam subjugaret. Sedens autem primo super asinam, secundo, super pullum, deinde iterum super asinam, significavit, quia de Judæis transivit ad Gentes, et iterum in fine mundi de Gentibus transibit ad Judæos; ut postquam plenitudo Gentium intraverit, omnis Israel salvus fiat. Hoc mysterium etiam notatur in delatione missalis a cornu ad cornu altaris. Vel, secundum *Glossam*, non ad litteram super utrumque in tam brevi spatio sedit, sed spiritualiter hoc intelligendum est, quia in præcordiis utriusque populi sedet. Unde *Chrysostomus* : « Sedet super asinam et pullum ejus, ut et in Judæis sederet, et in Gentibus. Sedere autem super jumenta est in præcordiis eorum habitare, ut dicat illis Christus : *Tollite jugum meum super vos; et discite, quia mitis sum et humilis corde.* » Non est autem contrarietas quod Matthæus dicit asinam et pullum, ceteri autem tantum dicunt *pullum*, quia unus quandoque dicit quod alius tacet et prætermittit. Matthæus quidem scribens Hebræis, Hebræorum eloquio recte asinam et pullum refert simul Domino adductos, sciebat enim notitiam Dei venturam ad Judæos et Gentes ; sed ceteri Evangelistæ scribentes Ecclesiæ Gentium, Græco sermone, solummodo mentionem pulli faciunt, quia quod Gentium salutem specialiter respicit, plus attendunt.

9 MORALITER, CARO PER ASINAM, ET PER PULLUM CARNALIS AFFECTUS SIGNIFICATA. — Moraliter, per asinam potest intelligi caro nostra pigra, stolida, lasciva, ab anteriori debilis, id est ad spiritualia, a posteriori fortis, id est ad temporalia ; per pullum carnalis affectus, et vanum desiderium nostrum, quæ ligantur, id est voluptatum illecebris irretiuntur, sed ea solvere et subjicere debemus, ut Deus ibi sedeat, illique dicamus: *Ut jumentum factus sum apud te*, onus taxa, et portabimus ; et e converso audiamus : *Empti estis pretio magno, portate Deum in corpore vestro.* Per illos vero, qui asinam et pullum ad Christum deduceban , pœnitentes significari possunt, qui carnem suam dant Deo, per mortificationem ; et animam per contritionem : sicut enim per asinam caro, sic per pullum animus designatur.

10 HUMILITAS SEMPER ETIAM IN EXTERIORIBUS HABENDA. — Ad ostendendam ergo suam humilitatem et mansuetudinem, Dominus non super superbum et fervidum, sed humilis super humile, et mitis super mite ani-

mal sedit; quia non in superbis et asperis, sed in humilibus et quietis tantum requiescit, non curru vel equis utens, non scutiferos circumducens, sed magnam utilitatem et mansuetudinem hinc ostendens. Ergo etiam in exterioribus necesse est ut utilitatem prætendas, si Christum sequi desideras in equitatura, in veste, in cibo, in domicilio, et in omni apparatu. Ubi ait *Chrysostomus*: « Quia contingebat quosdam infirmiores existentes subjugali opus habere, hic mensuram nobis sapientiæ posuit, monstrans quod super equos et mulos, aut hos junctos ferri necesse non est; sed sufficit asino uti, et ultra non procedere, et ubique eo quod necessitatis est contentum esse. Interroga autem Judæos, quis rex super asinam delatus intravit Jerosolymam ?. Sed non utique alium habent dicere quam hunc solum: » hæc *Chrysostomus*. Unde Dominus non legitur alibi equitasse, vel super mulum ascendisse; sed modo tantum asinasse, et tamen eadem hebdomada legitur morte turpissima condemnatus fuisse. Quid fiet de multis prælatis, qui cum equorum multitudine equitant, et hoc de patrimonio Crucifixi et de bonis ecclesiasticis? Hoc enim est contra Christi exemplum hic eis ostensum; item, est contra illud Deuteronomii: *Cum fuerit rex constitutus, non multiplicabit sibi equos*. Si non licet regi, quanto minus Pontifici? Si non laico, quanto minus clerico? Si non de redditibus proprii patrimonii, quanto minus de patrimonio Crucifixi? Sed non superbiant qui equis vel curribus vehuntur, quia et ligna, et lapides, et aliæ res viles plerumque sic ducuntur. Unde idem *Chrysostomus*: « Quid tibi arrogas, et magna sapis, o homo, quoniam excelsus super equum veheris, aut te trahunt mularum quadrigæ? Et quale istud est? Nam et saxa ita plerumque et ligna gestantur. Speciosa veste circumdaris, sed respice pro cultu vestium, virtutum decore fulgentem; et videbis te quidem putrefacto jam fœno simillimum, illum vero arbori admirabiles fructus ferenti, maximamque præbenti cernentibus voluptatem: » hæc *Chrysostomus*. Conspice nunc bene, et considera quomodo Dominus mundi incedebat. Quamvis enim justissimum foret eum honorari, honoris tamen tempore talibus dextrariis et phaleris usus est, et in hoc suo honore honorabilem pompam mundi non modicum vituperavit. Non fuerunt hæc animalia ornata frenis et sellis deauratis, et phaleris sericatis, more stultitiæ mundialis; sed quibusdam vilibus pannis et funiculis, cum tamen esset Rex regum, et Dominus dominantium. In hoc ergo facto utile humilitatis exemplum Dominus suis reliquit; sed filii superbiæ, proh dolor! parum hoc attendunt. Unde legitur, quod cum Heraclius Christianissimus Imperator, revertens a cæde Chosroes regis Persarum, per portam per quam Christus in die Palmarum intravit, in equo regio et ornamentis imperialibus decoratus ingredi vellet, repente lapides portæ descenderunt, et invicem, quasi unus paries sese clauserunt; super quo, cunctis stupentibus, Angelus Domini signum crucis in manibus tenens super portam apparuit, dicens: Cum Rex cœlorum Christus per hanc portam ad Passionem intraret, non cultu regio, sed humili asello ingrediens, humilitatis exemplum suis cultoribus dereliquit. His vero dictis, Angelus Domini abscessit; tunc Heraclius Imperator lacrymis perfusus, discalceatus et usque ad camisiam spoliatus, crucem Domini accipiens, usque ad portam humiliter bajulavit. Moxque lapides ad suum locum redierunt, et intrantibus cunctis ingressum patefecerunt.

11 MYSTICA S. REMIGII CONSIDERATIO. — Mystice, secundum *Remigium*, Salvator noster asino sedens Jerosolymam tendit, quando Ecclesiæ universali, vel cuique animæ fideli præsidens, et eam in hoc seculo quasi jumentum regit, et post hanc vitam ad visionem cœlestis patriæ introducit.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui ad Passionem spontaneus advenisti, adveni et mihi misero per gratiam in corde meo; et qui me tunc reparasti per crucem, iterum lapsum repara per eamdem beatificam Passionem. Largire mihi, Domine, ut in omnibus humilitatem et mansuetudinem custodiam, ac tibi carnem et spiritum totaliter subjiciam, et, ut jumentum apud te fiam, quatenus in me sedens, et me quasi jumentum regens, nunc ad intimæ pacis gustum, supernæque pacis desiderium ducas; et tandem ad ejusdem pacis visionem introducas. Amen.

CAPUT XXVII

DE GLORIOSA DOMINI SUSCEPTIONE, IPSA DIE PALMARUM.

Matthæi cap. XXI, Marci cap. XI, Lucæ cap. XIX, et Joannis cap. XII.

1 **TRIUMPHUS PACIFICUS DOMINI. —** ***Et cum jam appropinquaret*** Jesus ***ad descensum montis Oliveti,... plurima turba,*** **id est multi descendentium cum eo, ex quibus plures de Jericho fuerant eum secuti,** ***straverunt vestimenta sua in via; alii autem cædebant ramos*** **virides,** ***de arboribus*** fructiferis, **quibus mons Oliveti consitus est;** ***et sternebant in via,*** ut eam ornarent, **et ne jumentum in lapidem offenderet, nec calcaret spinam, nec laberetur in foveam.** Mons enim Oliveti **mons uberrimus est, et decorus, arboribus plenus, et maxime olivarum, a quibus suum nomen accepit.** *Turba* **item** ***multa,*** *quæ venerat ad diem festum* **in Jerusalem** de omnibus tribubus **Israel,** quia omnes tenebantur **venire in Jerusalem** in paschali **solemnitate; ac pueri,**ac plebecula **Jerosolymorum,** ***cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam, acceperunt ramos*** **olivarum et** ***palmarum, et processerunt obviam ei*** reverenter, usque ad **montem Oliveti; et ut** Regem cum hymnis **et canticis, ac** vestium suarum et **ramorum stratione,** ac lætitia magna **eum honorifice** susceperunt; et ab **illo loco usque** Jerusalem, cum hymnis **et laudibus deduxerunt,** canentes :

Gloria, laus et honor tibi sit, Rex
[Christe Redemptor.

Quod divina dispensatione factum est, ad designandum victoriam, quam Christus Dominus erat in proximo habiturus, qua erat moriendo mortem superaturus, et trophæo crucis, de diabolo mortis principe triumphaturus. Hæc processio in arca fœderis præfigurata fuit, quam David in jubilo deduxit. Post Lazarum suscitatum, et unguentum super caput Jesu effusum, odore famæ ejus jam resperso in populo per circuitum, præsciens ipse turbam obviam sibi venturam, ascendit asellum, ut inter applausus occurrentium populorum miræ præberet humilitatis exemplum. Inter alia quippe Christi miracula maxime miraculum auditum de Lazaro ad hanc devotionem et honorificam obviationem eos commovit; quia, secundum *Augustinum* , inter omnia miracula, quæ fecit Dominus noster Jesus Christus, Lazari resuscitatio præcipue prædicatur. Istud enim evidentius et mirabilius signum erat; et ideo ultimo ipsum reservavit, ut magis eorum memoriæ imprimeretur. Miraculis ergo trahebantur, qui verbis non movebantur. Ubi *Origenes* : « Pulchre autem turbas, laudantes Deum, ad descensionem montis occurrisse Christo legimus, ut operatorem mysterii spiritualis significarent sibi venisse de cœlo. » Ubi et ***Beda*** :

« Descendente etiam Domino de monte Olivarum, turbæ descendunt, quia, humiliato misericordiæ Auctore, necesse est eos, qui misericordia indigent, ejus vestigia imitari. »

2 QUID SIGNIFICAT VOX HOSANNA? — Cum autem turbæ obviantes pervenissent ad Christum, facta sibi reverentia, præcesserunt, aliis sequentibus ipsum; et sic erat Christus in medio eorum. Unde sequitur : *Turbæ autem quæ præcedebant, et quæ sequebantur clamabant. dicentes : Hosanna filio David*, quod est vox exsultantium pariter et laudantium, vel obsecrantium, magis affectum indicans, quam aliquam rem significans, sicut *racha* interjectio indignantis dicitur, nihil expresse designans. Unde, secundum vocem, neque Græcus, neque Latinus interpretari potuit; sed, secundum sensum. interpretantur quidem *salvifica*, vel, *salvum me fac*. Et est *hosanna* verbum Hebræum, ex corrupto et integro compositum. Dicitur enim *hosanna*, littera *i* subtracta, quasi *hosianna* : *hosi* ergo corruptum, *anna* est integrum; *hosi* autem apud eos interpretatur *salva*, vel *salvifica*, vel, *salvum fac*; et *anna* est interjectio obsecrantis, sicut apud nos *heu* dolentis : nam sicut apud nos a dolente dicitur *heu*, sic apud illos ab obsecrante dicitur *anna*, et valet apud nos *utinam*, quod est adverbium optandi. Et ideo *hosanna* tantum valet, quantum *utinam salvemur*, vel, *obsecro, salva*. Et, quia hæc interjectio in Latino non habetur eloquio, posuit pro ea noster Hieronymus, *obsecro*. Unde et in Psalmis, ubi Septuaginta Interpretes transtulerunt : *O Domine, salvum me fac*, in Hebræo scriptum est : *Anna, Adonai, hosianna*, quod interpres noster Hieronymus diligentius elucidans, ita Latine transtulit : *Obsecro, Domine, salva, obsecro*. Idem namque signat, *o, Domine*, per ipsam interjectionem obsecrationis, quod, *obsecro, Domine*, per ipsum verbum obsecrationis. Est ergo *hosanna*, quasi *hosianna*, id est *salva, obsecro*; et est una dictio, vel duæ per subtractionem unius litteræ, et significat quod adventus Christi salus sit mundi; cui enim *salva*, sive *salvifica*, clamabant, utique Salvatorem credebant.

3 QUID, BENEDICTUS REX ISRAEL? — Unde et convertendo sermonem inter se, subjungunt, dicentes : ***Benedictus***, id est gloriosus sit, vel, secundum *Bedam*, ***benedictus***, id est ab omni peccato singulariter immunis, et immunes faciens, *qui venit*, per carnis assumptionem, id est incarnatus est, *in nomine Domini*, scilicet in nomine Patris et a Deo Patre missus ad explendum ejus voluntatem, et ad glorificandum eum, quia Filius non in nomine suo, sed in nomine Patris venit, eum glorificando, et in omnibus operibus non suam, sed Patris gloriam quærendo; unde alibi : ***Ego***, inquit, *veni in nomine Patris*. In hoc ergo confitentur et laudant Domini adventum : benedictio namque quæ fit a nobis in Deo confessio sola est, et laudatio bonorum, quæ præstita sunt ab eo; benedictio vero quæ fit a Deo, in nobis impletur. dum ejus beneficiis implemur. Ubi sciendum quod benedicere, est bonum dicere. Aliter autem Deus benedicit nobis; et aliter nos benedicimus Deo. Deus enim benedicendo nobis, beneficium nobis impendit, et bonos nos facit. nam suum dicere, est ejus facere, quia : *Ipse dixit et facta sunt*. Nos autem benedicendo Deo, non eum bonum facimus, sed tantummodo ejus bonitatem confitemur et laudamus; dicere enim hominis, non est suum facere, sed tantum fateri. Et addunt : ***Rex Israel***, in quo confitentur ejus potentiam, tamen diminute, quia credebant ipsum regnaturum temporaliter, et liberaturum eos a tributo; ipse autem venit ad regnandum spiritualiter, et ad liberandum totum genus humanum a diabolo, quod erat majus illo. Ad litteram ergo credebant quod venisset regnaturus temporaliter super eos in regno David, et redempturus ipsos a servitute Romanorum, et restituere regnum temporale quod a Romanis erat usurpatum, cujus contrarium ipse dixit coram Pilato : ***Regnum meum non est de hoc mundo***, sed, supple, de cœlo; et ideo applaudebant ei tamquam suo Regi,

rbæ subjungunt : Et *benedi-* *tod* scilicet *venit regnum patris* *'avid*, quod scilicet restitutum c adventu tuo. Quasi dice- lic est de quo dictum est : *li Dominus Deus sedem David* *jus*. Regem vero eum in te- um suæ damnationis vocave- r hoc enim patet, quod pro-)ominum occiderunt. Ubi *Au-* *s* : « Quid autem magnum fuit eculorum Regem fieri homi- lon enim Rex Israel Christus, igendum tributum, vel ferro um armandum, hotesque visi- debellandos; sed Rex Israel, entes regat, quod in æternum t, quod in regnum cœlorum es, et sperantes, amantesque it. Quod ergo Rex esse voluit dignatio est non promotio, ionis indicium, non potestatis tum; qui enim appellatus est i Rex Judæorum, in cœlis est is Angelorum. » Et iterum : imere, illum agnosce, qui a te r, et noli trepidare cum pati- ia ille sanguis funditur, per uum delictum deleatur, et vita limatur : » hæc *Augustinus*.

ristus totius mundi Salvator. ide iterum verba convertentes m, repetunt : *Hosanna*, id est *obsecro*. Bis dicunt hosanna, lvator est Christus secundum m utramque : secundum divi- ffective ; secundum humanam, rie. Et ad sciendum de qua sa- itelligatur, determinant ubi se salvari, scilicet *in altissimis*, n cœlestibus, non in infimis et s. Salva in excelsis, qui prius s ab inferis. Ecce duplex salus : liberatione pœnæ, alia in col- gloriæ; ubi manifeste osten- quod adventus Christi non tan- ominum, sed totius mundi sa- , in cœlis et in terris, et ter- onjungens cœlestibus : *Ut omne* *sibi flectatur cœlestium, terre-* *, et infernorum*. Christus enim at ad dandam salutem cœle- t æternam, et forte licet subli- m regni æterni et temporalis nt, tamen nescientes prophetice eum Regem cœli et Angelorum prædicabant. Et hoc divina ordinatione significabatur verbis laudantium, cum dicebant : *Hosanna in excelsis*, quod est salutem æternam a Domino petere, licet hoc non intelligerent; sicut et Caiphas dixit mortem Christi futuram pro salute mundi, licet non intelligeret quid diceret. Ubi *Chrysostomus* : « Ex his ergo verbis colligimus, quod Deus est. Hosanna enim salvos fac interpretatur; salutem autem Deo Scriptura attribuit. » Et notandum, quia quod dicitur in excelsis, signum est quod in inferioribus non est salus, sed multiplex periculum; sed in excelsis, quæ sola cœlestia sunt, salus sine periculo invenitur. Vel, in hoc quod dicitur hic, in excelsis, significatur per primum hosanna quod Christus est Rex in terra universa per fidem et gratiam; et per hoc quod hic ad secundum hosanna additur, in excelsis, significatur quod non tantum in terris, sed etiam in cœlestibus Christus regnat, quia per ipsum ea omnia, quæ in cœlis et in terris sunt, restaurantur.

5 Officia Domino exhibita in suo ingressu triumphali moraliter explicata. — Consideranda est autem, juxta ordinem personarum, qualitas meritorum. Qui enim vestimenta sua super asinam imposuerunt, ut Jesus mollius sederet, Apostoli fuerunt, qui sua doctrina mentes hominum, ut habitaculum Dei essent, præparaverunt. Per istos significari possunt, qui per suas exhortationes animam erudiunt, a peccatis abstrahunt, virtutibus ornant et componunt; ut sic ibi Dominus sedeat et quiescat. — Qui autem vestimenta sua in via straverunt, ne pes asinæ impingeret, sancti Martyres sunt, qui dum corpora sua, animarum videlicet tegumenta, propter Deum, ad supplicia tradunt, et proprio se carnis amictu exuunt, quasi vestimenta sua sternunt, iter simplicioribus suo sanguine ostendentes, per quod ad cœlestem Jerusalem pervenire possint. In via denique vestimenta sternunt, qui exempla Martyrum secuti, corpora sua per abstinentiam edomant, ut Domino iter ad

mentem parent, vel exempla bona sequentibus præbeant. Quia ergo vestimentum animæ est corpus, hoc vestimentum substernimus, aut per martyrium, aut per jejunium, aut etiam per boni operis exercitium et exemplum, aut per continentiæ propositum. Vel, vestimenta animæ diversorum colorum sunt varietates diversarum virtutum, quæ tunc in via sternimus, quando ea in exemplum aliis præbemus. Felix illius anima, cujus virtutes confundunt et exstingunt in aliis vitia contraria! Vestimenta etiam, ob adventum Christi in via sternere, est antiquam conversationem peccati deponere. — Qui vero ramos de arboribus cædebant, et sternebant in via, ut iter asinæ planum et decorum redderent, sancti Confessores sunt, qui dum verba et sententias vel exempla Patrum præcedentium, de Scripturis carpentes, in via Dei, ad auditoris animum venientis, humili prædicatione submittunt, quasi de spiritualibus arboribus ramos cædentes, cœlestis patriæ iter decorant. Vel, per illos qui ramos olivæ ferebant, significantur qui circa opera misericordiæ se exercitant; oliva etenim Dei misericordiam significat. Et per illos qui ramos palmarum ferebant, significantur qui circa victoriam tentationum intendunt; palma enim victoriam designat. Super hæc autem dicit *Bernardus* : « Hic triplex obsequium Christo exhibetur : primum quidem a jumento, cui Dominus insidet; secundum, ab his qui vestimenta in via prosternunt; tertium, ab his qui ramos de arboribus cædunt. Prælati ramos de arboribus cædunt, cum de fide et de obedientia Abrahæ, de castitate Joseph, de mansuetudine Moysis, ceterorumque Sanctorum virtutibus prædicant. Seculares vero homines vestimenta prosternunt in via, cum expendunt in Christi obsequium, non siquidem corpora, sed quæ adjacent et necessaria sunt corporibus, quasi vestimenta; cum videlicet eleemosynas largiuntur de terrena substantia. Religiosi sunt jumentum, juxta Apostolum, glorificantes et portantes Dominum in corpore suo : hi sunt qui dicere possunt : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum*; omnes reliqui, ex eo quod abundant, sibi mittunt, et quasi sine labore obsequuntur Domino, solum vero jumentum semetipsum exponit ejus obsequio. Omnes tamen, si suo quisque fideliter intentus fuerit ministerio, procul dubio in processione sunt Salvatoris, et cum eo in sanctam civitatem ingrediuntur. Tres enim Propheta vidit salvandos : Noe, in arcæ fabricam ramos cædentem; Job, hujus mundi substantiam bene dispensatem; Danielem, in vili edulio et labore abstinentiæ factum quasi jumentum. Cui autem in illa processione sit Jesus propinquior; cui de tribus ordinibus sit salus vicinior, facile credo quisque potest advertere : » hæc *Bernardus*.

6 Quos signant præeuntes et sequentes Christum? — Turbæ autem præcedentes et sequentes utriusque Testamenti significant fideles, una voce clamantes : *Hosanna*. Præcessit quippe Judaicus populus, secutus est Gentilis, et quia omnes qui fuerunt, vel sunt fideles, in Christum mediatorem Dei et hominum crediderunt et credunt, et qui præeunt, et qui sequuntur, clamant : Salva nos, obsecro. Unde *Beda* : « Sed qui præibant, et qui sequebantur, clamabant : *Hosanna*. Hosanna autem lingua Latina, salva nos dicitur, ab ipso enim salutem et priores quæsierunt, et præsentes quærunt, et benedictum qui venit in nomine Domini confitentur, quoniam una spes, una fides est præcedentium atque sequentium populorum : quem enim priores nostri ex Judaico populo crediderunt, atque amaverunt venturum, hunc nos et venisse credimus et amamus, ejusque desiderio accendimur, ut eum facie ad faciem contemplemur. » Unde et *Chrysostomus* : « Qui præcedebant, seniores erant, id est Patriarchæ et Prophetæ ceterique Sancti, qui ante adventum Christi de adventu ejus et prædixerunt, et cognoverunt. Sequentes autem, juniores, id est Apostoli, Martyres, ceterique doctores, qui post ascensum Christi, de resurrectione

ejus, et de ascensu, vel de operibus ejus prædicaverunt et prædicant. Et diversis quidem in temporibus fuerunt, tamen in omnibus unus exsultationis Spiritus fuit. Et illi quidem prophetantes, de Christo venturo clamaverunt : *Benedictus qui venit in nomine Domini!* Isti autem laudantes clamant de adventu Christi, jam adimpleto : *Hosanna*, etc. : » hæc *Chrysostomus*. Facta etiam Jesu Christi, quia quasi media inter facta Veteris Testamenti et Novi sunt, ideo tam turba quæ præcedebat, quam ea quæ sequebatur, eum laudabat, in quantum facta Christi sunt regula et exempla eorum, quæ in Novo Testamento fiunt, et quæ a patribus Veteris Testamenti præfigurata sunt. Unde *Bernardus* : « Præcedebant aliqui, et viam Domino parabant ; ipsi sunt qui viam parant Domino ad corda vestra, qui vos regunt, et dirigunt vestros gressus in viam pacis. Alii sequebantur ; et hi sunt qui propriæ inscientiæ conscii, devote sequuntur, et adhærent semper vestigiis præcedentium. Erant quoque discipuli tamquam domestici lateri ejus adhærentes ; ipsi sunt qui in claustris soli Deo vivunt, semper adhærentes ei, et ejus beneplacitum considerantes : » hæc *Bernardus*. Per istos etiam qui clamabant, dicentes : *Hosanna filio David*, etc., significantur contemplativi, qui magis devotioni per orationem sunt intenti. In præmissis ergo instruimur, ut operibus et officiis, quæ nobis magis competunt, insistamus. Non enim omnibus omnia competunt, et ideo in ista processione Christi, non unus omnia faciebat : sed alii asinam et pullum adducebant, alii vestimenta sua eis imponebant, alii vestimenta in via sternebant, alii ramos cædebant, alii jubilabant, et ideo unusquisque illud officium debet assumere, ad quod videt magis idoneum se esse. Surge igitur, Salvatoris filia, tamquam una de filiabus Jerusalem, intuens regem Salomonem in honore, quem sibi mater synagoga in Ecclesiæ nascentis ministerium reverenter exhibuit, ut insidentem aselli tergo universorum Dominum, velut cum ramis olivarum, atque palmarum pietatis operibus, virtutumque triumphis jugiter comiteris. Unde *Anselmus* : « Insidentem asello cœli et terræ Dominum comiteris ; tantaque fieri pro te obstupescens, puerorum laudibus tuas inseras, clamans et dicens : *Hosanna filio David! Benedictus qui venit in nomine Domini* : hæc *Anselmus*. »

7 Figura triumphi Dominici in rege David. — Quod populus Christo cum laudibus obviavit, hoc olim per regem David præfiguratum fuit, cui populus, post cædem Goliæ obvians, laudes exhibuit. David Christum præfiguravit, qui Goliam, id est diabolum adversarium nostrum superavit. Jerusalem *visio pacis* interpretatur, per quam fidelis anima designatur ; ad hanc Salvator noster omni hora paratus est venire, et nos ei in occursum per contritionem debemus ire. Cui etiam laudes decantamus, quando peccata nostra in confessione recitamus ; et ramos palmarum in manibus portamus, quando corpora nostra in satisfactione castigamus ; insuper et vestimenta nostra in via sternimus, quando temporalia pauperibus erogamus ; et eum floribus ipsum honoramus, quando misericordiæ operibus, et diversis virtutibus nos ornamus ; Christum Jesum, qui venit in nomine Domini benedicimus, quando pro beneficiis nobis collatis gratias agimus ; Regem eum et Dominum protestamur, si omnia opera nostra cum timore Dei et reverentia operamur.

8 Murmuratio Pharisæorum, et Christi responsio. — *Pharisæi ergo*, invidia concitati, *dixerunt ad semetipsos*, id est inter se, et ad invicem : *Videtis, quia nihil proficimus*, laborando et faciendo contra eum ; *ecce mundus totus post eum abiit*, sermo est hyperbolicus, ad exprimendum quod multi sequebantur Christum. Prophetabant, sed nescientes, per hoc enim significatur, quod totus mundus erat eum secuturus. Hoc quidem, secundum *Augustinum*, est verbum Pharisæorum invidentium ut dicant : Nihil proficimus, scilicet in malitia nostra, non valentes impedire eum. Et secundum eumdem, quid mirum ? Et quid

invidet cæca turba, quia post eum abit mundus, per quem factus est mundus? Vult autem *Chrysostomus*, quod hæc sunt verba Pharisæorum credentium, occulte tamen, propter metum Judæorum; et quod dicunt hoc, ut retraherent eos a persecutione Christi. Ac si dicerent : Quantumcumque insidiamini, tanto hic augetur, et gloria ejus intenditur. Quid ergo non desistitis a tantis insidiis? Quod quidem quasi idem est cum consilio Gamalielis, de quo habetur in Actibus. ***Et quidam Pharisæorum de turbis***, ex invidia quam contra ipsum conceperant, devotionem populi ad Dominum videre, et laudem ejus audire non valentes, *dixerunt ad illum* : ***Magister***, *increpa* et cohibe *discipulos tuos*, et turbas te laudantes. Magistrum vocant, quem tamen ipsi docere volunt. Quasi dicerent : Si tu justus et bonus esses, talem applausum sustinere non deberes. Vilescat in ore tuorum laus tua, ideo eos increpa. Ubi *Beda :* « Mira Judæorum dementia, quem magistrum appellandum non dubitant, quia vera docentem noverant, hujus ipsi discipulos quasi melius edocti redarguendos autumant eumque corrigere, quos instituit, suadent, quem signis approbantibus, Deum clarescere vident : » hæc *Beda*. Dolebant isti de laudibus Christi : et primo de hoc, quod turbæ dicebant ipsum benedictum, cum ipsi reputarent eum peccatorem; secundo, quia turbæ dicebant eum Regem, cum ipsi reputarent eum valde ignobilem; tertio, quia turbæ dicebant eum venisse in nomine Domini, cum ipsi reputarent eum non esse a Deo, vel missum ab eo. *Quibus ipse* respondens ***ait***, et prophetizando de futuro se rationabiliter excusavit : ***Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt***; quod et factum est. Nam quem homines vel timore, vel perfidia confiteri trepidabant; hunc durissima etiam elementa aperte prædicaverunt. Crucifixo enim Domino, discipulis et notis ejus, præ timore repressis, et laudem Christi tacentibus, ***terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt***; quasi perhibentes testimonium sanctitatis ipsius Christi morientis, eum Deum et totius mundi Dominum clamabant et protestabantur. In quo apparet duritia Judæorum et hominum, quia elementa compatiuntur Creatori suo, et recognoscunt eum. Vel mystice : ***Si tacuerint hi***, id est Judæi, *lapides*, id est Gentiles ad modum lapidis durissimi, ***clamabunt*** laudes Christi; quod factum est mortuo Christo, quia, Judæis mutis factis a laude ejus, Gentiles qui duri, steriles, et infructuosi erant, ac ligna et lapides adorabant, ad Christum conversi ipsum laudabant et prædicabant. Centurio enim et alii, qui erant cum eo, visis tot signis, sanctitatem Christi confessi sunt, dicentes : ***Vere Filius Dei erat iste ; ... vere hic homo justus*** *erat*, quotidie Gentiles clamant, et in Christi virtute laudare non cessant, Judæis ex magna parte cæcatis et laudem Christi tacentibus. Vel moraliter : *Si tacuerint hi*, id est clerici, *lapides*, id est laici, *clamabunt*, et Deum bonis operibus laudabunt; quod etiam quotidie in plerisque videmus impleri.

9 Mobilitas turbæ. — Sed illi qui Christum cum tanto triumpho susceperunt, non diu post contraria in eo fecerunt. Turba enim mobilis est, et more fluctuum et ventorum movetur; quem modo veneratur, contra eum postea clamat et insurgit. Unde *Bernardus* : « Ab eodem populo, in eodem loco, et fere ipso tempore, paucis diebus interpositis, primo cum tanto triumpho susceptus, postea crucifixus est. O quam dissimile est : ***Tolle, tolle***, *crucifige eum*; et : ***Benedictus*** *qui venit in nomine Domini*, ***hosanna*** *in excelsis!* Quam dissimile : ***Rex*** *Israel*; et : *Non habemus regem*, ***nisi*** *Cæsarem !* Quam dissimile, rami virentes et crux, flores et spinæ! Cui prius vestimenta prosternebantur aliena, ecce suis exuitur, et sors mittitur super ea. Væ tibi, amaritudo peccatorum nostrorum, propter quæ diluenda tanta amaritudo necessaria fuit! » hæc *Bernardus*.

10 Cur brevi moriturus honorem susceperit Christus ? — Et quamvis Christus sæpe Jerusalem ascenderit,

numquam tamen aliquem honorem **sibi exhiberi** voluit, nisi modo cum **ad Passionem** ivit; ut ex hoc detur **intelligi** quod in morte Sanctorum **non est** dolendum, sed potius gau**dendum, et** quod sua Passio erat sibi **in gaudium,** et in magnum festum. **Et persecutiones** propter Christum **debemus gaudenter** appetere, mun**danos autem honores** vitare; sicut **fecit ipse** qui regium honorem fugit, **et ad** locum Passionis gaudenter ac**cessit. Sed** cur Christus vadens ad **mortem,** tantum honorem recipere **voluit, cum alias** honorem regium **respueret?** Ad quod dicendum, quod **hoc ideo** fecit : **ut** se non meritum pati **demonstraret**; et ut ille qui est in **magnis** honoribus vel divitiis consti**tutus, semper** memoriam mortis ha**beat; quia** vadit ad mortem, et ni**hil hinc** præter saccum portabit se**cum; et** qui tenet corpus suum in **deliciis et** ornatibus, cogitet quia va**dit ad** mortem, ubi vermes corpus **comedent** et lacerabunt. Item, ut do**ceret quod** regnum suum de hoc **mundo** non esset, ad quod perfecto **triumpho** Passionis et gloria resur**rectionis** pervenit. Unde *Beda* : « Legimus in Evangelio Joannis, quia refectæ de quinque panibus et duobus piscibus turbæ, voluerunt rapere Jesum, et constituere eum Regem; sed ne hoc perficere possent, ipse in montem fugiendo prædicavit. Nunc autem ubi passurus Jerosolymam venit, non refugit eos, qui se Regem faciunt, qui agmine glorifico, et hymnis Dei Filio ac Rege dignis, ad civitatem regiam ducunt; non reprimit voces eorum, qui regnum Patriarchæ David in eo restaurandum, et priscæ benedictionis dona recuperanda concinunt. Utquid ergo quod prius fugiendo declinavit, modo libens amplectitur, regnumque quod adhuc victurus in mundo suscipere noluit, jam exiturus per passionem crucis de mundo, non negavit suscipere? Nisi ut aperte doceret, quia non temporalis et terreni in terris, sed æterni in cœlis Rex esset imperii, ad quod profecto regnum per contemptum mortis, et gloriam resurrectionis, et triumphum ascensionis perveniret : hinc est enim quod post resurrectionem apparens discipulis, ait : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*, etc. : » hæc *Beda*.

ORATIO

Generale gloriæ signum, Domine, fecisti, quando ante sex dies Paschæ veniens in Jerusalem, tuæ clementiæ et sereni vultus gloriam revelasti, ut occurrerent tibi obviam turbæ, cum floribus et palmis lætantes, et quam videbant majestatem confiterentur dicendo : *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.* Precor et obsecro, Domine, per sacramenta et opera tua, noli me reprobare a pueris tuis; sed ostende mihi lumen gloriæ tuæ, ut repleatur os meum tua laude, et cantem gloriam tuam tota die. Amen.

CAPUT XXVIII

DE FLETU DOMINI SUPER JERUSALEM ET INGRESSU IN EAM.

Matthæi cap. XXI, et Lucæ cap. XIX.

1 Miscet Dominus tristitiam cum lætitia, flendo super Jerusalem. — Immiscuit autem Dominus cum prædicta lætitia et fletum, nec suæ miserationis oblitus, cum turba depromeret canticum, ipse super excidium

civitatis assumpsit lamentum; miserebatur enim eorum, qui omnes homines salvari vult, quod nobis non patuisset, nisi per aliquod humanum signum evidens fieret. Effusæ enim lacrymæ sunt signum tristitiæ, unde istud Evangelium in mense Augusto decantatur; quia civitas Jerusalem in isto mense prius a Nabuchodonosor, deinde a Romanis destructa fuisse invenitur. Flevit etiam, et tanto honore sibi exhibito lacrymas voluit commiscere, ut ostenderet, quia humana lætitia cito in fletum convertitur; et, quod omnia gaudia et honores mundi lacrymis, et doloribus sunt admixta. In cœlo quidem sunt omnia pura; in mundo omnia mixta; in inferno omnia lugubria, id est flebilia, vel lutulenta, id est luto plena, sordida, vel fœtida. Item, ad dandum exemplum prælatis, quod, quando assumuntur ad honores, pro cura populi potius debent flere suam imperfectionem, et populi defectionem, quam gaudere de sublimatione temporali. Item, ut lætitiam mundanam, salubri tristitia, temperemus; est enim mundana lætitia, sicut vinum purum, quod cito inebriat, nisi temperetur meditatione mortis, vel recordatione adversi futuri; unde in Ecclesiastico: *In die bonorum, ne immemor sis malorum.*

2 Cur sic Christus fleverit? — *Ut* ergo *appropinquavit*, non solum corporis gressu, sed etiam compassionis affectu, Jerusalem, in qua diu viguerat cultus divinus, *videns* non tantum oculo corporis *civitatem*, et exteriorem ejus pulchritudinem, sed etiam oculo divinitatis ipsam impiam civitatem in suam necem conspirantem, prævidens ejus casum et subversionem; non de sua morte, quam illi machinabantur, sed de illius ruina et perditione *flevit*, scilicet fletu compassionis *super illam*: tum propter mala culpæ, quæ ibi multiplicata fuerant, tum propter mala pœnæ, quæ super civitatem et populum futura imminebant, sic *dicens*: *Quia, si cognovisses*, scilicet ea quæ ego super te ventura cognosco, *et tu*, scilicet fleres mecum ruinam tuam, quæ modo exsultas. Sicut ergo, inquit, fleo, ego qui omnia video et futura cognosco; sic, et tu, fleres, si nunc ventura videres, quæ modo, quoniam nescis quod imminet, exultas: fons enim pietatis erat, et ideo lacrymas continere non poterat, nec ædificia planxit parietum, sed subversionem animarum. Cur vero modo exsultat, ostenditur, cum subditur: *Et quidem in hac die tua*, id est in hac tua prosperitatis claritate, et in hoc modico tempore tibi prospero, in quo facies voluntatem tuam, adsunt tibi ea *quæ ad pacem tibi* sunt, non pectoris, nec æternitatis, sed temporis solum, et modico tempore duraturam; et ideo nunc gaudes, quia imminentia non vides Cum enim se carnis voluptatibus daret, et ventura non prospiceret, in die sua, quæ ad pacem ei esse poterant, habebant. Est namque mundana pax, quam diligunt impii, ut sine timore peccent, et libere suis voluptatibus vacent; de qua in politicis dicitur, quod rubiginem contrahunt sicut ferrum, pacem ducentes. Et attende quia tempus prosperitatis significat hic nomine *diei* singulariter; postea vero *dies* adversitatis pluraliter, quia modica fuit prosperitas in comparatione adversitatis. Cur autem bona præsentia Jerosolyma ad pacem habuerit, manifestatur, cum subditur: *Nunc autem* quasi modico præsenti tempore prosperitatis et pacis *abscondita sunt ab oculis tuis*, tam corporalibus quam spiritualibus, scilicet mala, quæ ventura sunt tibi; præsens enim prosperitas facit ne consideretur et præcaveatur futura adversitas, cito autem manifestabuntur et in brevi, quia gaudium hypocritæ instar est puncti. Si enim a cordis ejus oculis mala imminentia abscondita non essent, sic læta in præsentibus prosperis non fuisset.

3 Prophetat Dominus ruinam Jerusalem. - Cujus pœna, quæ de Romanis principibus imminebat, adjuncta est, cum dicitur: *Quia venient dies*, tribulationum, *in te*, id est contra te; *et circumdabunt te inimici tui*, scilicet principes Romani, *vallo* et circuitu, scilicet concatenatura de

gnis et palis facta; et hoc factum sit in vindictam, quia caput Christi Judæi circumdederunt spinea corona. *Et circumdabunt te*, sua potentia corporali; et hoc in vindictam, quia Judæi circumdederunt Christum in horto, cum gladiis et fustibus. *Et coangustabunt te undique*, scilicet concludendo, et prohibendo introitum atque exitum, ita ut nulla sit evasionis via, tanta autem fuit civitatis angustia, ut carnes filiorum manducarent; et hoc in vindictam, quoniam Judæi sitienti Christo acetum in cruce dederunt. *Et ad terram prosternent te* turres et loca munitiora diruendo, et cuncta ædificia ad terram dejiciendo; et hoc in vindictam, quoniam corpus Christi mortuum oportuit sepeliri in terra. *Et filios tuos*, id est Judæos, *qui in te sunt* geniti, seu habitatores tuos, prosternent ad terram, aliquos occidendo, aliquos captivando; et hoc in vindictam, quia Christi filios Apostolos persecuti sunt. *Et non relinquent in te lapidem super lapidem*, scilicet funditus evertendo, et post omnia in perpetuum sunt dispersi; quia noluerunt sub alis Christi, in le Ecclesiæ, congregari. Cui etiam qua culpa fuerit pœna allata, subjungitur : *Eo quod non cognoveris*, ia malitia et invidia excæcante, gnoscere noluisti; *tempus visitationis tuæ*, id est mei adventus in rnem; veni enim visurus et salvarus te, quod si cognosceres, esses ıcata Romanis, et ab omnibus erea periculis. Si enim tempus gratiæ, adventu Christi, Judæi cognovisnt, Christo credidissent, nec supraectas calamitates sustinuissent; sicomnes, qui in Christum crediderunt, tunc evaserunt.

4 Civitas Jerusalem in sensu allegorico et morali. -- Secundum sensum allegoricum, civitas hæc est Ecclesia, quæ tempore Antichristi, sic angustiabitur et prosternetur, quod pauci audebunt se Christianos confiteri. Quam Ecclesiam Christus visitat, quandocumque ad bonum eam excitat, sed Ecclesia pro majori parte non cognoscit hoc cum effectu; propter quod Antichristi persecutio super eam venit, ad purgationem electorum, et damnationem reproborum. Secundum vero sensum moralem, ista civitas est anima peccatoris, super quam flet Christus fletu compassionis. Si vero consideraret anima statum suæ culpæ, et quem statum pœnarum in futuro exspectet, ipsa cum Christo semetipsam plangeret. Sed peccati delectatio tollit mortis repentinæ considerationem, districti judicii timorem, et pœnarum inferni anxietatem. Quæ vallatur in morte, et angustiabitur a spiritibus malignis, ut evadendi aditum invenire non possit; et ejus filii prosternentur, id est cogitationes quibus promittebant sibi longam vitam, honores, divitias, et hujuscemodi frustrantur; et non relinquetur in ea lapis super lapidem, quia omnis ab illa cogitationum suarum constructio dissipabitur, eo quod non cognovit tempus visitationis suæ, cum Dominus eam invitaret ad emendationem vitæ. Unde, secundum *Gregorium*, quod juxta historiam Dominus semel egit, hoc quotidie per electos suos in Ecclesia agit : plangit enim reprobos qui nesciunt cur plangantur, sed in malis exsultant et lætantur; qui si damnationem suam, quæ eis imminet, prævidérent, semetipsos cum lacrymis electorum plangerent, qui in perversitate sua *diem suam hic habent cum pace*, quia transitorio gaudent in tempore, et nulla venturæ pœnæ terrentur formidine. Supplicia autem sequentia, nunc ad oculos eorum abscondita sunt, quoniam futura; quæ temporalem lætitiam perturbant, prævidere refugiunt. Unde, et si qua est præsentis temporis, ita est agenda lætitia, ut numquam amaritudo sequentis judicii recedat a memoria. Venient autem dies, quando ad ultionem et supplicia ducentur, quia non cognoverunt tempus visitationis suæ. Perversam enim animam Deus visitat quotidie præcepto, aliquando flagello, aliquando vero miraculo; ut et vera quæ nesciebat, audiat, et aut dolore compuncta redeat, aut beneficiis devicta, malum quod fecit erubescat. Sed, quia superbiens contem-

nit, et visitationis suæ tempus non cognoscit, illis in extremo vitæ inimicis traditur, cum quibus in æterno judicio damnationis perpetuæ societate colligatur. Unde nobis cogitandum valde est, quantum erit nobis terribilis hora nostræ resolutionis : qui pavor mentis! quanta tunc omnium malorum memoria! quæ obliviotransactæ felicitatis! quæ formido et consideratio Judicis! Quid ergo esse nobis de præsentibus ad delectationem debet, quando simul cunctis transeuntibus non valet transire quod imminet, quando et hoc funditus finitur, quod diligitur, et illud incipitur, ubi dolor numquam finitur? Præter hanc sententiam *Gregorii*, possunt prædicta et aliter accipi, nam moraliter in culpa peccator : primo, vallatur, per hostis suggestionem exteriorem; secundo, circumdatur, per interiorem carnis impulsionem; tertio, coangustatur, per delectationis inflammationem; quarto, ad terram prosternitur, per consensum interiorem; quinto, filii ejus occiduntur, per operum bonorum mortificationem; sexto, diruitur omnino, per peccati perpetrationem exteriorem. In pœna vero : primo, vallatur, per exteriorem tribulationem; secundo, circumdatur, per proprii corporis infirmitatem; tertio, angustiatur, per animi et conscientiæ anxietatem; quarto, ad terram prosternitur, per salutis desperationem; quinto, filii ejus occiduntur, per propinquorum dolorem et desolationem; sexto, totaliter evertitur, per mortem. In morte quoque vallatur et circumdatur a dæmonibus, coangustatur a peccatis; dæmones etenim omnia peccata non solum operis, verumetiam locutionis et cogitationis ad memoriam sibi revocant, ut ad desperationem trahant; tunc etiam ad terram prosternitur, quia corpus incineratur, et anima in infernum detruditur; et filii, id est opera vel imitatores ejus, similiter prosternuntur, ut sint secum in pœna, sicut fuerunt in culpa; et lapis super lapidem non relinquitur, id est cogitatio super cogitationem, quæ contra eum non adducatur, quia, secundum *Gregorium*, ab anima perversa omnis constructio cogitationum dissipatur, tunc enim, ut in Psalmo dicitur : *Omnes cogitationes impiorum peribunt*, et omnes machinationes cessabunt.

5 Quatuor fletus Salvatoris. — Flevit ergo nunc bonus Dominus Jesus; sed et pro summæ pietatis dulcedine reseranda, ipse fons totius misericordiæ non solum semel, sed pluries flevit et ex illis piissimis oculis ad omnium expiationem peccatorum lacrymarum fluenta uberrime manando effudit. Legitur enim Dominum Jesum quatuor vicibus flevisse : primo ex infantuli necessitate, in nativitate, secundum illud Sapientiæ: *Primam vocem similem omnibus emisi plorans*, unde cantat Ecclesia :

Vagit infans inter arcta
Positus præsepia;

secundo flevit Dominus, ex immenso amore, in Lazari suscitatione; tertio, ex nimia compassione, in hac solemni processione; quarto, ex intimo dolore, in sua Passione, preces cum lacrymis offerens ad Deum. Hæc sunt quatuor flumina de paradiso egredientia, ad totius mundi ablutionem, refrigerationem, potationem, et fœcunditatem. Hi quatuor fletus Salvatoris possunt referri ad quatuor species fletus, quæ quasi quatuor fluvii paradisi animam irrigant et fœcundant : primus est fletus, pro incolatu præsentis miseriæ; secundus est fletus compunctionis; tertius, est fletus compassionis; quartus, pro dilatione patriæ. Primam fletus speciem significat fletus infantiæ Salvatoris. Unde *Augustinus* : « Puer qui nascitur incipit a ploratu, lacrymæ sunt testes miseriæ; nondum loquitur, et jam prophetizat. » Fletus in cruce signat fletum compunctionis, quem debent habere illi, qui sunt in cruce pœnitentiæ. Unde ait idem *Augustinus* : « Sciat se culpabiliter durum, qui deflet mortem amici, vel damna rei temporalis, et dolorem peccati non ostendit in lacrymis. » Fletus super destructione civitatis signat fletum, quo flere debemus super miserorum calamitatibus, et animarum ruinis et

perditionibus. Unde in Job : ***Flebam super eo, qui afflictus erat***, etc. **Fletus** vero super Lazarum, qui ad vitam erat revocandus, et cui gloria **erat** differenda, signat fletum pro dilatione patriæ. Unde in Psalmista : ***Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!*** In fletu autem Domini, ostenditur quantum flere debeant qui peccant, quando sic flevit qui nunquam peccavit. Unde ait *Cassiodorus* : « Ubi princeps tanta afflictione plangebat, quis, illo flente, non fleret? Quis, eo gemente, non gemeret? » hæc *Cassiodorus*.

6 Septem mala peccatori ventura. — **Et notandum** quod septem mala quasi ventura sunt peccatori, per quæ, si ea cogitaret, ad fletum incitari posset : primum est spoliatio omnium, quæ fit ei in morte, de quibus nihil secum feret ; secundum est occursus inimicorum, qui apprehendent eum inter angustias ; tertium est amissio status pœnitendi, et misericordiam consequendi ; quartum est magna confusio, cujus confusionis causa poterit esse operum denudatio, vel beneficiorum Christi exprobratio, vel Dei et Sanctorum derisio; quintum est separatio reproborum ab electis ; sextum est exclusio a gloria ; septimum est gehennalis pœnæ miseria. Et valde flendum est pro peccatis, propter multa mala, quæ peccata inducunt peccantibus. Per peccata enim homo Deum offendit, consortium Sanctorum et Angelorum amittit, suffragia Ecclesiæ perdit, animam interficit, diabolo se subjicit, et in infernum se demergit.

7 Virtus compassionis. — Conspice igitur bene ipsum Dominum Jesum nunc flentem, et si potes, fleas cum eo ; flet enim largiter et fortiter, quia non simulate, sed vere de ipsis dolebat. Corde enim amaro dolebat et flebat illorum periculum æternale et excidium temporale, quia non cognoverunt tempus visitationis suæ, quando per Incarnationis mysterium visitavit eos oriens ex alto, ut ipsum Dominum ac prædicationem ejus reciperent; sed magis usque ad mortem cum persecuti sunt. O cor durum, vesanum et impium, et tamquam vera vita privatum, omnino plangendum ! Cur, more phrenetici, flente super te Sapientia Patris, in tantis miseriis lætaris et rides? Considera lacrymantem medicum tuum, et ut luctum Unigeniti fac tibi planctum amarum : *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem* ; *non des requiem tibi, nec taceat pupilla oculi tui*. Conspice etiam discipulos, quam libenter et diligenter vadunt semper juxta eum, cum timore tamen et reverentia. Ipsi sui barones et milites, comites, domicelli, et dexteratores. Nec debes credere quod, ipso flente, alii se potuerint a lacrymis continere. Nobis, fratres, istæ lacrymæ Domini fiunt, ut Magistrum imitemur, et ab hoc tanto præceptore nostro discamus quid in nostrorum inimicorum morte, et in ruina agere debeamus. Unde et ipse ait : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus vos, et calumniantibus vos*. Non tantum muros civitatis perituræ, sed et animarum ruinam et perditionem flebat Dominus Jesus, nobisque exemplum dabat quid in tali negotio facere debeamus, cum peccatorem aliquem in æternam damnationem ruere videmus ; de tali enim Domini nostri Jesu Christi exempla sequentes, nos quoque flere debemus, et tanto amplius flere, quanto ipse de seipso flere ignorat. Si enim suas infirmitates intelligeret, et calamitates quæ ei superventuræ sunt cognosceret, utique et ipse plus aliis de semetipso fleret. Iste fletus Domini compatientis civitati de miseria, quæ illi mox imminebat, præfiguratus fuit olim in lamentationibus Jeremiæ, qui desolationem ejusdem civitatis per Romanos futuram deflebat ; sic et nos in afflictione proximorum, quin etiam inimicorum, ex compassione flere debemus, exemplo Christi, qui compassus est suis inimicis. Plus est compati afflictis quam bona temporalia erogare ; et impossibile est illum gratiam et misericordiam non mereri, qui scit afflictis compati, et eorum peccata deflere.

8 Intrante Domino Jerusalem, com-

MOVETUR OMNIS CIVITAS. — Intravit ergo Dominus Jesus Jerosolymam, cum isto triumpho et honore turbarum, per supradictam portam auream, quæ est ad pedes templi, a parte vallis Josaphat. Hoc, secundum *Chrysostomum*, ipse faciebat, non pompam quamdam ostendens, sed et prophetiam implens, et discipulos, propter mortem contristatos, consolans, et monstrans quoniam hoc pati volebat. Ubi ait *Rabanus* : « Hic introitus ejus in Jerusalem fuit ante quinque dies Paschæ; ubi notanda est concordia, non solum in rebus, sed etiam in temporibus Veteris et Novi Testamenti. Decima enim die mensis primi, agnus qui in Pascha immolaretur, domum introduci jussus est; quia et Dominus decima die ejusdem mensis, hoc est ante quinque dies Paschæ, civitatem, in qua pateretur, erat ingressurus. » *Et cum intrasset Jesus Jerosolymam*, ut exhiberet salutem, *commota est universa civitas, dicens : Quis est hic?* Per hoc significatum fuit quod, intrante Jesu in Jerusalem cœlestem, Angeli dicturi erant: *Quis est iste Rex gloriæ?* Unde ait *Origenes* : « Sed et quando intravit Jesus Jerosolymam veram, admirantes Virtutes cœlestes, dicebant: *Quis est iste Rex gloriæ?* » hæc *Origenes*. Dicebant ergo, *quis est hic?* Quasi dicerent: Iste non est talis ac tantus quod talia deberent sibi exhiberi. Mirabantur enim turbæ frequentiam, nescientes de eo veritatem, cui obviam cum laudibus occurrunt. Unde *Chrysostomus* : « Merito commovebantur, videntes rem mirabilem. Homo laudabatur quasi Deus, sed Deus laudabatur in homine; puto autem quod nec ipsi qui laudabant sciebant quid laudabant, sed Spiritus subito ingressus in eos, nesciente anima, veritatis verba fundebat : » hæc *Chrysostomus*. Principes itaque sacerdotum, et majores indignabantur de reverentia Christo exhibita; et ob hoc universa civitas dicitur esse commota, quia factum majorum dicitur esse factum totius civitatis, vel alterius communitatis. *Populi autem*, id est simplices et vulgares, quasi rationem de contrario reddentes, *dicebant* : *Hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilææ;* imo Dominus Prophetarum et ideo scilicet, merito debet honorari. Ecce confessio Dei a minoribus incipit, ut ad majores perveniat. Ubi *Hieronymus* : « Aliis autem ambigentibus vel interrogantibus, vilis plebecula confitetur: Quia hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilææ. A minoribus incipiunt, ut ad majora perveniant; Prophetam enim eum dicunt, quem Moyses sui similem dixerat esse venturum, a Nazareth autem Galilææ, quia ibi educatus fuerat, ut flos campi nutriretur in flore virtutum : » hæc *Hieronymus*. Et, postquam Dominus ingressus est Jerusalem, remisit animalia ad locum suum.

9 HUJUS INGRESSUS DOMINI QUOMODO ECCLESIA MEMORIAM RECOLIT. — Memoriam hujus processionis Dominicæ recolit Ecclesia illa die. Egrediuntur enim fideles cum ramis, quasi obviam Domino, extra muros vel septa; usque ad crucem aliqui vadunt, in qua et ramos quos manibus gestant affigentes deponunt, quasi diceret Ecclesia : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Quandoque autem ideo eunt, et usque ad crucem, quasi sic ostendatur eis non esse sperandum in quantalibet gloria mundi, quia *extrema gaudii luctus occupat*, et deinde cum cruce in civitatem regrediuntur. Pro eadem significatione illa die, gaudio processionis subditur Evangelium Dominicæ Passionis, forte quoniam et Dominus exsultationi inseruit lamentum; et nos processioni Passionem, quia Passio fuit causa eversionis, pro qua flevit. In proximo ergo bella acturus, et de hostibus triumphaturus, cum triumpho et gloria, et ad impiam civitatem, et ad locum certaminis Dominus venit; et certus de victoria ante bellum, quod fieri non solet, triumphum suscepit, unde et rami palmarum, cum quibus gloriose susceptus est, propinquam victoriam super principem mundi signant. Hodie ergo mater Ecclesia duas recolit processiones. Prima fuit, quia Judæi Christum a monte Oliveti

usque Jerusalem, cum ramis olivarum et palmarum, et magnis canticis associaverunt; et ista processio magnæ reverentiæ et honoris fuit, et hanc Ecclesia in Evangelio hodierno repræsentat. Secunda est, quia Judæi Christum a Jerusalem ad montem Calvariæ, cum magnis opprobriis et irrisionibus deduxerunt; et ista processio fuit magnæ ignominiæ et doloris, et hanc repræsentat Ecclesia in Passione hodierna. In istis processionibus ostenditur magna in Judæis multiplicitas voluntatis : nam in prima cum magna reverentia et devotione ipsum supra asellum posuerunt, in secunda ipsum cum magna ignominia in patibulo suspenderunt ; in prima, vestimenta sua in via straverunt, in secunda, Christum suis vestibus exspoliaverunt; in prima ramos olivarum et palmarum sibi obviam portaverunt, in secunda spinas acutissimas ejus capiti affixerunt; in prima appellaverunt eum, Regem, in secunda negaverunt eum, dicentes : *Non habemus regem, nisi Cæsarem*; in prima appellaverunt eum mundi Salvatorem, dicentes : *Hosanna*, id est *salva, obsecro*, in secunda negaverunt ipsum Salvatorem, qui dixerunt quod seipsum salvare non poterat; in prima dixerunt ipsum esse benedictum, et in nomine Domini, scilicet Patris venisse in mundum, in secunda dixerunt ipsum esse malefactorem, et ideo se tradidisse eum, et crucis patibulo affigendum. Ecce quanta instabilitas in istis fuit! quia quem tantum honoraverunt, post modicum, ignominiose tractaverunt. Sed propter gloriæ processionem, majorem habuit ex consequenti vituperio confusionem. Unde *Bernardus* : « Quid fuit quod processionem habere voluit, qui mox futuram noverat Passionem ? Processio quidem merito repræsentatur hodie, quia hodie facta fuit. Passio vero cur addita est, quam sexta feria constat esse secutam ? Fortasse, ut amarior esset Passio, quam processio præcessisset. » Et iterum : « Non sine causa tam nova processio mira quadam conjunctione additur Passioni. Nam processio plausum habet; Passio vero planctum. Videamus quid conferat ista conjunctio. Utique ut discamus in nulla umquam hujus seculi lætitia habere fiduciam, scientes quoniam *extrema gaudii luctus occupat*; sed in die bonorum, non immemores simus malorum. His enim mixtum est præsens seculum, non secularibus tantum, sed etiam spiritualibus viris. Ideo, qui cœpit prius facere quam docere, non modo verbis, sed etiam exemplis ostendens, quia *omnis caro fœnum et omnis gloria ejus quasi flos fœni*, processionis voluit gloria sublimari, quando sibi imminere cognovit diem ignominiosissimæ passionis. *Spiritualibus* autem *spiritualia comparantur* : in processione quidem cœlestis patriæ repræsentamus gloriam; in Passione vero, monstramus viam. In processione *rapiemur in nubibus obviam Christo in aera*, quando suscipietur in cœlesti Jerusalem Christus Dominus, applaudentibus et acclamantibus undique populis utriusque Testamenti, quasi qui præcedebant et qui sequebantur : *Benedictus qui venit in nomine Domini*. In processione considerasti quo properandum sit, disce in Passione quo eundum sit. Tribulatio enim præsens via vitæ est, via gloriæ, via regni cœlestis. Tolerabilem proinde laborem Passionis reddit gloria processionis, quoniam amanti nihil est difficile : » hæc *Bernardus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui verbo et exemplo magis docuisti nos flere quam ridere, obsecro te per beatissimas lacrymas, et omnes miserationes tuas, doce me ut peccata mea et pericula imminentia semper videam et cognoscam; ne inimici mei, scilicet dæmonum suggestiones, temporalium rerum pulchritu-

dines, et carnales voluptates circumdent, coangustent, et ad terram prosternant me; ne filios, scilicet sensus, cogitatus et actus meos, et ordinem virtutum destruant : ut inde laudem te, et confitear nomini tuo, Altissime. Amen.

CAPUT XXIX

DE SECUNDA EJECTIONE VENDENTIUM ET EMENTIUM DE TEMPLO.

Matthæi cap. XXI.

1 Dominus intrat in templum. — Venit autem *Jesus* directe ad templum, *et intravit in* ipsum *templum Dei*. Ubi nota quod templum accipitur aliquando pro domo templi, quod dividebatur in duas partes : una pars vocabatur *sanctum*, ubi prope ostium sancti sanctorum erat altare incensi seu thymiamatis auro tectum, mensa propositionis, et candelabrum; alia pars vocabatur *sanctum sanctorum*, ubi erat arca Testamenti, et duo Cherubim. Illam partem quæ dicebatur sanctum, intrabant quotidie sacerdotes ad offerendum incensum, et nulli alii; intra sanctum sanctorum solus summus Pontifex intrabat, et semel in anno. Aliquando autem accipitur templum large, pro quadam platea quadrata ante templum, muro clausa; et dicebatur atrium sacerdotum, ubi sub dio erat altare holocaustorum ære coopertum, et istud intrabant non solum sacerdotes, sed etiam levitæ eos in excoratione, et ablutione hostiarum et in consimilibus adjuvantes; vulgares autem homines illud non intrabant, sed ad ostium illius atrii animalia viva sacerdotibus offerebant. Ista autem duo loca non intravit Christus, quia non erat sacerdos, neque levita. Sed præter ista duo loca erant adhuc duo alia, ubi homines sub dio in oratione erant : et in uno viri, et in alio mulieres orabant; et ista atria vocabantur nomine templi, et de hôc dicitur quod Jesus *intravit in templum Dei*, ac : *Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*. Intravit autem Jesus protinus in templum, præcipue propter tria : primo, secundum *Bedam*, ut doceret nos formam religionis, quam sequamur, scilicet ut quocumque pergimus, primo domum orationis, si ibi est, adeamus, et per orationes Deo commendati, sic ad agenda negotia secedamus; secundo, quia locus publicus erat ubi posset inveniri, ostendens se non invite, sed sponte sua pati; tertio, ut ostenderet quod ruina urbis et populi, pro qua fleverat, maxime ex sacerdotum culpa fuit, et inde radix perditionis processit.

2 Simonia et vitia sacerdotum. — Hoc profecto innotuit, cum post malorum imminentium enarrationem, protinus templum ingressus est, ut de illo vendentes et ementes ejiceret; in signum quod sacerdotes, tamquam indigni, essent de templo et officio ejiciendi. Sicut enim templum est in civitate; ita vita sacerdotum in plebe. Unde, secundum *Glossam*, simonia sacerdotum causa fuit destructionis Judæorum. Sacerdotes enim, avaritiæ suæ consulentes, in porticibus et atriis templi hostias cujuscumque generis vendebant, ne venientes, victimas non habentes, nihil offerrent, si hostias præsto non invenirent; et hoc faciebant ut vendita iterum oblata reciperent. Et ne pauperes non solum hostias, sed et unde emerent non habentes, excusationem pecuniæ non habitæ prætenderent, posuerant ibi nummularios, qui mutuam sub cautione et spe alicujus doni pecuniam darent. Sed, quia Lex non patiebatur, ut a fratribus suis usuras acciperent, ideo quod non audebant dare ad usuram, dabant nomine collibiorum, ut sic

iulariis collibistas facerent. utem dicitur apud eos vilia a, ut ciceris, et uvæ passæ, im, et his similia. Collibilicet pro illa accommodatioæ non reciperent pecuniam em, recipiebant tamen muenia; quasi quod in nummo it, in his rebus quæ nummis r liceret, quod prohibuerat vituperans eos, *munera, usuaperabundantiam* accepisse. die multi prædictis sunt siiram et simoniam sub notatis, vel gratitudinis pallilde periculosum est munera quia ad hoc est libertare. Unde ait *Seneca:* « Quæuita nobis videntur, quæ caonstant, pro quibus nosmetendimus, quæ emere nollenobis domus nostra pro illis da, si amœnum aliquod frue prædium; ideo nihil est vilius. Nostri essemus, si a non essent; quisquis notam agere vitam volet, ista eneficia devitet, in quibus i fallimur. Sapiens, cum primunuscula, a theatro surcit magna parvo constare; ædam, magno incommodo beneficium accipere libertaere est : » hæc *Seneca.* Ubi *stomus :* « Hoc erat proprium , ut veniens primo ad doreret Patris, et honorem illi qui genuit eum. Et tu, Christi factus, cum in aliressus fueris civitatem, prie omnem actum ad ecclesias. Et hoc erat boni medici, sus ad infirmam civitatem i, primum ad originem Pasenderet. Nam sicut de tembonum egreditur; sic et de nne malum procedit. Quemi medicus quando primum r ad infirmum, de stomacho rrogat, et eum componere quia, si stomachus sanus fun corpus validum erit, si aupatus fuerit, totum corpus est; ita si sacerdotium integrit, tota Ecclesia floret, si autem corruptum fuerit, fides marcida est. Cor enim et stomachus sacerdotium intelligitur, quia in rebus spiritualibus per eos totus populus gubernatur. Sicut enim cor sapientiæ locus est; ita sacerdotes receptacula sunt sapientiæ spiritualis. Et sicut stomachus accipiens cibum, coquit eum in semetipso, et per totum corpus dispergit; sic et sacerdotes accipiunt scientiam sermonis, per Scripturas ex Deo, et coquentes eam in se, id est tractantes et meditantes apud se, universo populo subministrant. Videte ergo, sacerdotes, quomodo vos componatis in verbo et opere, quoniam sicut in corpore, si aliquod infirmatum fuerit membrum, non omnino languet et stomachus, si autem stomachus languescit, omnia membra inveniuntur infirma; sic si aliquis Christianorum peccaverit, non omnino peccant sacerdotes, si autem sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccandum. Ideo, si unusquisque Christianorum pro suo peccato dat rationem ; sacerdotes autem non tantum pro suis, sed et pro omnium peccatis daturi sunt rationem. Vidit arborem pallentibus foliis marcidam, intellexit studiosus agricola, quia læsionem in radice habet. Nam vere quemadmodum cum videris arborem pallentibus foliis marcidam, intelligis quia aliquam culpam habet erga radicem ; ita cum videris populum indisciplinatum et irreligiosum, sine dubio cognosce quia sacerdotium ejus non est sanum : » hæc *Chrysostomus.* Valde ergo deflendi sunt clerici quando cadunt, quia eorum casus est magis periculosus. Unde idem *Chrysostomus :* » Nihil in tantum destruit Ecclesiam Dei, sicut clericos laicis esse deteriores. »

3 CIRCUMSTANTIÆ ET SIGNIFICATIO SECUNDÆ EJECTIONIS VENDENTIUM DE TEMPLO. — Cernens ergo Dominus in domo Patris sui negotiationem seu latrocinium istiusmodi, ardore Spiritus concitatus, fecit sibi flagellum de funiculis, *et ejiciebat* ipse Dominus templi, *omnes vendentes et ementes* de templo, cum hostiis suis, ***et mensas numulariorum, et cathedras venden-***

tium columbas evertit; nec aliquod vas Deo non dicatum et sacratum, mercandi gratia per templum transferri permisit. Interdixit quidem de vasis mercationis et humanis usibus applicandis; non de vasis Deo dicatis, quia vasa divino cultui deputata, debebant ibi, et non alia esse. Ergo nec cophini, vel alia utensilia communia, per ecclesiam debent deportari. Unde *Beda*: « De vasis dicit illis, quæ mercandi gratia inferebantur. Ceterum absit, ut vasa Deo dicata Dominus ejiceret de templo, vel introferri prohiberet in templum; sed potius ubi futuri sibi examinis insigne prætendit exemplum immunda et profana eliminat vasa de templo, ac ne amplius inferantur prohibet; quando non solum de Ecclesia omnes repellet, ac deturbabit reprobos, verumetiam ne ultra ad turbandam Ecclesiam intrent æterno eos verbere compescit. Sed et in præsenti hæc est vera domus Domini, id est cordis fidelium purificatio, ut non tantum peccata, quæ inerant, divinitus immissa compunctio tollat; sed etiam ne ultra repetantur, divina in eis gratia perseverans adjuvet : » hæc *Beda*. Et hæc fuit secunda ejectio. Bis enim legitur Dominus hoc fecisse, ad significandum, quod ejiciendi sunt tales ab Ecclesia militante per sententiam, nec non a triumphante per pœnam. Ubi *Theophilus* : « Hoc etiam Dominus fecit in principio prædicationis suæ; et nunc, iterum illud fecit, quod ad crimen et in maximam redargutionem Judæorum redundat, quia non fuerunt ex priori admonitione castigati, et cum Dominus hoc toties fecerit, ipsi minime se correxerunt. » Unde et *Chrysostomus* : « In quo minor est excusatio Judæorum; quoniam cum bis hoc idem fecisset, morabantur tamen in sua dementia : » hæc *Chrysostomus*. Unde in prima ejectione ejecit tantum vendentes, et ex hoc nobis datur fiducia impetrandi. Utquid enim vellet Dominus ibi nos orare, nisi ipse vellet non audire? Hic autem durius agendo, etiam ementes qui numero erant plures. In prima etiam expulsione, eos appellaverat negotiatores; sed ut statim patebit, hic acrius reprehendendo, appellat latrones, dans per hoc exemplum prælatis, quod durius debent arguere secundum peccatum, quam primum, quia gravius est, ceteris paribus, ratione ingratitudinis. Hic etiam et in prima ejectione major seriositas, et rigor et austeritas de Christo exprimitur, quam nusquam alibi de eo legitur : quia, secundum *Chrysostomum*, in propriis injuriis esse quempiam patientem, est laudabile; injurias autem Dei dissimulare, nimis est impium. Unde Christus injurias suas patienter sustinuit; injurias autem Patris sui nullatenus dissimulavit. Hæc flagellatio et ejectio malorum de templo, olim præfigurata fuit in Heliodoro, qui cum audacter, manu armata, templum intravisset, ut illud spoliaret, quidam advenientes eum flagellaverunt, et tamquam mortuum reliquerunt. Heliodorus flagellatus fuit propter templi spoliationem, Judæi propter usuræ palliationem.

4 Moraliter quotidie Dominus intrat ecclesias et quos expelli jubet. — Moraliter autem, per hunc actum Christi datur intelligi, quod Deus quotidie suam ecclesiam intrat, et qualiter ibi unusquisque conversetur attendit. Caveamus ergo ne in ea risibus et fabulis vel aliis illicitis vacemus, ne improvisus veniens nos flagellet, et de ecclesia sua ac demum de regno ejiciat et expellat. Nam, qui peccata peccatis addit, quasi funem quo hic vel in futuro flagelletur vel ligetur, connectit Funiculi ergo quibus mali ejiciuntur, sunt incrementa actionum malorum, quia *funiculis peccatorum suorum unusquisque constringitur*. Unde *Augustinus* : « Ergo quando aliquid patiuntur propter iniquitates suas, hi qui vel ficte bonum, vel aperte malum faciunt in ecclesia, agnoscant quia Dominus fecit flagellum de resticulis peccatorum suorum, et admonet eos ut mutent se, ne sint negotiatores; ne tandem audiant : Ligate illis manus et pedes, et projicite in tenebras exteriores : » hæc *Augustinus*. In hoc quod Dominus expulit de templo boves et oves; et

numularios, et vendente scolumbas evertit, mystice designatur quod prælati constanter debent reprimere hypocritas pelles ovinas simulantes, tyrannos cornu suæ potentiæ bonos ventilantes, usurarios et simoniacos dona Spiritus Sancti, quæ per columbam intelliguntur, vendentes. Maxime autem ex hoc facto Domini enormitas simoniacæ pravitatis ostenditur; quia nusquam alibi corporaliter restitisse, et alios impulisse vel ejecisse narratur. Si igitur eum in hoc quoque imitari volumus, si non aliter possumus, etiam violenter simoniacos ab Ecclesia pellere debemus; si tamen vires suppetant, quibus hoc sine Ecclesiæ detrimento facere valeamus. Audite hæc, simoniaci, audite, negotiatores nefandi; aut a negotiis cessate, aut de templo exite. Vos enim numularii estis, vos columbas et gratiam Sancti Spiritus venditis, vos sine nummo et pretio nihil agitis. Omnes quidem simoniaci a templo Dei vel ante humanos, vel ante Dei oculos ejiciuntur, et Dei dono privantur. Similiter clerici et religiosi, qui in templo Dei sunt deputati; si secularibus et terrenis negotiis se implicent, merito ejectionem a Deo, et ejus indignationem timere debent. O quanta mala gerunt hodie in Ecclesia, quæ si Dominus invenisset, utique graviter tunc punivisset! Unde ait *Beda :* « Ejecit commercia rerum humanarum de domo illa, in qua divinas tantum res agi, hostias et orationes Deo offerri, verbum Dei legi, audiri, et decantari præceptum erat. Et quidem credendum est, quia ea tantum vendi vel emi repererit in templo, quæ ad ministerium necessaria essent ejusdem templi; juxta quod alias factum legimus, cum idem templum ingrediens invenit in eo vendentes et ementes oves, boves et columbas, quæ nimirum omnia non nisi ut offerrentur in domo Domini, eos qui de longe venerant ab indigenis comparare credendum est. Si ergo Dominus nec ea volebat in templo venumdari, quæ in templo volebat offerri, videlicet propter studium avaritiæ, sive fraudis, quod proprium solebat esse negotiatorum facinus; quanta putas animadversione puniret, si invenisset ibi aliquos risui vel vaniloquio vacantes, aut alii cuilibet vitio mancipatos? Si enim ea, quæ alibi libere geri poterant, Dominus in domo sua, videlicet temporalia negotia geri non patitur; quanto magis ea quæ nusquam fieri licet, plus cœlestis iræ merentur, si in ædibus Deo sacratis aguntur? » hæc *Beda*.

5 Item moraliter, Christus intrans in animam hominis quatuor ex ea pellit. — Moraliter, tempore isto sancto, appropinquante Paschate Judæorum, id est confitentium, ascendit Jesus Jerusalem, id est cor humanum vel animam sanctam et devotam, per gratiæ sublimationem elevatam, nam Jerusalem in alto sita est; unde dicitur, quod ascendit. Templum in Jerusalem est eminentior pars animæ, puta superior pars rationis, quæ soli Deo et æternis debet intendere; illuc ascendit Deus per effectum sacramenti, vel etiam, sua præsentia spirituali animam visitando. Sunt autem quatuor præcipue quæ Christus in templo spirituali non patitur, designata per quatuor quæ invenit in templo materiali; et sunt quatuor defectus etiam in viris religiosis quandoque reperti. — Primum est nimia sollicitudo temporalium in acquirendo ipsa et conservando; hoc significatur per æs quod Christus effudit de templo. Non autem sollicitudo temporalium simpliciter prohibetur, sed nimia; et ne in templo sit, id est in mente, quæ solis æternis debet vacare. Unde quando temporalia in hoc templo habentur, peccatur mortaliter; quia creatura ponitur loco Creatoris, et temporalia, loco æternorum. — Secundum est incautus usus temporalium, et incircumspecta consideratio de evitandis periculis; quod significatur per bovem, qui cum libenter herbas comedit, quandoque nociva in herbis absconsa devorat et deglutit. Sic plerumque accidit, cum utimur temporalibus, volendo accipere id quod est necessarium, quia latet sub necessitate superfluitas, et voluptas. — Tertium est timor inordinatus et

stolidus ; quod signatur per ovem, in qua plus abundat privatio intellectus quam in aliis quadrupedibus, et si tempore tonitrui remanet sola et fuerit impregnata, abortit præ timore. Sic homines nimis timidi abortiunt fructum profectus spiritualis. — Quartum est inexpeditio, vel tarda progressio, in expletione operum virtuosorum ; et hoc significatur per columbam, quæ nimis deliberat de volatu, collum undique circumflectendo et circumspiciendo ad quam partem ire velit ; sed sæpe interim sagitta illam percutit, vel accipiter rapit, sic accidit hominibus pigris, tardis, et inexpeditis. Sed omnia talia a Christo in suo ingressu, a templo animæ expelluntur ; facit enim flagellum de funiculis tribus : quorum primus est infirmitas corporalis ; secundus, tribulatio cordialis ; tertius, ex instinctu divino admonitio spiritualis. Hoc flagello Christus prædicta quatuor ab anima fugat et ejicit ; et nihilominus cathedras et mensas evertit, ne facilem ingressum habeat.

6 QUOMODO ECCLESIA DOMUS ORATIONIS FIT SPELUNCA LATRONUM ? — *Et dicit eis,* quos de templo ejecerat : *Scriptum est,* scilicet in Isaia : *Domus mea,* id est nomini et cultui meo dedicata, *domus orationis vocabitur,* non rapinæ vel furti, non negotiationis, et vanæ locutionis, vel spectaculi. Et ex hoc datur nobis magna fiducia impetrandi. Utquid enim vellet Dominus ibi nos orare, nisi ipse vellet nos exaudire? In hoc etiam ostendit se illis Deum esse, quia templum solius Dei est domus. Ubi *Ambrosius* : « Deus enim templum suum non mercationis vult esse diversorium ; sed domicilium sanctitatis. » Ubi et *Origenes* : « In quo non debent vendere et emere ; sed orationibus tantum vacare, qui congregantur in domo orationis. » Nemo ergo, ut ait *Augustinus,* in oratorio aliquid agat, nisi ad quod factum est, unde et nomen accepit. Sed, heu ! nunc domus Dei domus dissolutionis et cupiditatis potest vocari. Ideo subditur : *Vos autem fecistis illam speluncam latronum,* latrones enim non curant nisi de lucris temporalibus, quocumque modo acquirant ; et ideo in speluncis se abscondunt. Unde ait *Gregorius* : « Domus orationis spelunca latronum facta fuerat, quoniam ad hoc in templo assistere noverant, ut aut non dantes munera studerent corporaliter persequi, aut dantes spiritualiter necare. Templum quoque et domus Dei est ipsa mens humana et conscientia fidelium. Quæ, si quando in læsione proximi, perversas cogitationes profert ; quasi in spelunca latrones resident. Et non jam domus orationis, sed spelunca latronum est, quando, relicta innocentia et simplicitate sanctitatis, illud conatur agere, unde valeat proximo nocere : » hæc *Gregorius.* Spelunca latronum dicitur esse locus, ubi spolia quæ latrones rapiunt congregantur ; et hoc fecerunt sacerdotes de templo, quia non curabant de cultu Dei, sed magis de excoriatione populi, et hoc per astutias varias et exquisitas. Similiter et hodie clerici plus curant de suo lucro, quam de Ecclesiæ servitio. Sicut enim magni latrones, in speluncis suis existentes, quando sciunt transire aliquos parum habentes, non exeunt de speluncis, sed mittunt famulos suos ad exspoliandum illos ; quando vero sciunt transire homines multum pecuniosos, currunt illuc de primis ad illos ; sic multi canonici et clerici , quando sciunt lucrum magnum, currunt ad ecclesiam; sed quando lucrum est modicum, remanent in domibus, et se subtrahunt, ac clericos suos ad ecclesiam mittunt. Et nota quadruplicem usum ecclesiæ : quia primo est domus reconciliationis, quoad pœnitentes, secundum illud Genesis : *Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta cœli;* secundo, domus orationis, quoad proficientes, sicut dicitur hic ; tertio, domus instructionis, quoad perfectos, secundum illud Isaiæ : *Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob et docebit nos;* quarto, domus jubilationis et laudis, quoad omnes, secundum illud Psalmistæ : *In ecclesiis benedicite Deo,* et illud : *Beati qui habitant in domo tua, Domine.* Sed fit spelunca latronum, se-

ıdum quadruplex latrocinium : vel ripturarum, quando corrumpuntur, ab hæreticis; vel gratiarum, quan- sacramenta venduntur, ut a simo- cis; vel præbendarum, quando untur, ut ab ambitiosis; vel pecu- rum, quando male expenduntur, a voluptuosis. Vel, secundum *Hie- ymum*, latro est, et templum Dei latrocinium, seu latronum spelun- n convertit, qui lucrum de religiosis tatur. Hoc lucrum sectantur aliqui studium scientiæ, ut quæstuarii ocati; aliqui per fortitudinem po- itiæ, ut nobiles; aliqui per obla- nem munerum, ut divites mundi. his omnibus dicit Joannes : *Quot- ot venerunt, fures sunt et latrones.*

7 MULTI IN TEMPLO SANANTUR. — *Et cesserunt ad eum cæci et claudi in nplo*, testes vocis et laudis puero- m, *et sanavit eos* ; ut quod pueri imabant verbis et ore, ipse osten- ret factis et opere, quasi etiam tis ipsorum. Clamabant enim *Ho- ına*, id est *salvifica*; quibus per era respondit, quia salutem tribuit. si diceret : Bene clamatis Salva- em, quia ecce do salutem. Morali- , cæci sunt ignorantes, claudi ve rectitudinem justitiæ dimittentes; isti curantur per Jesum, et per na consilia et hortamenta sectato- n ejus. Considera nunc quod Do- nus cum magno honore receptus, opter exhibitam sibi reverentiam n dimisit justitiam ; quia mox tem- um intravit, et omnes vendentes et nentes inde ejecit ; nec propter se- ram justitiam omisit suam miseri- rdiam, quia mox cæcos et claudos navit. Propter quod datur intelligi, od judex et prælati propter impen- m sibi favorem, non debent dimit- re justitiæ rigorem ; nec propter ri- rem justitiæ, debent dimittere dul- dinem misericordiæ.

8 INDIGNATIO PHARISÆORUM DE LAU- BUS PUERORUM, ET CHRISTI RESPON- O. — *Videntes autem et admirantes incipes sacerdotum et Scribæ, mira- lia quæ fecit Jesus*, in tantæ mul- udinis de templo ejectione, ac in ecorum et claudorum sanatione, *et ieros clamantes in templo*, ipsum scilicet esse verum Christum, *et di- centes Hosanna filio David*, ipsi enim pueri et ceteræ turbæ cum laudibus Christum usque in templum deduxe- runt, moti contra ipsum rancore et invidia, *indignati sunt*, quia mali de laude bonorum dolere consueverunt. Ubi *Chrysostomus* : « Qui ingredie- batur ut homo, laudabatur ut Deus. Qui celabatur in carne, demonstraba- tur in voce. Quem malitia sacerdo- tum, quasi hominem, blasphemabat; hunc innocentia parvulorum, quasi Deum, exaltabat. Quantum autem il- le glorificabatur, tantum sacerdotes invidia torquebantur ; et illius honor fiebat illis tormentum. Sic enim est res, quando boni in sua virtute lau- dantur, mali in sua invidia crucian- tur : » hæc *Chrysostomus*. Cumque manus non auderent timore populi in eum injicere, nec miracula sic ma- nifesta impugnare, arguebant tamen Dominum de applausu, quem susti- nebat circa se ; et testimonium po- puli atque puerorum clamantium : *Hosanna, filio David*, vertebant in calumniam, quod videlicet hoc non dicitur, nisi soli Filio Dei. Unde *et dixerunt ei : Audis quid isti dicunt?* Quasi dicerent : Talem laudem de et merito non deberes sustinere : quia si tu justus et bonus esses, talem gloriam talemque applausum declina- res. Ubi *Chrysostomus* : « Et nimirum hoc Christi erat dicere ad eos : Non auditis quid hi dicunt ? Sicut enim Deo cantabant illi pueri. » Et ite- rum : « Et vos videtis quæ ego facio; illos loquentes attenditis, et me faci- entem non consideratis ; ego factis in- terpretor voces illorum : » hæc *Chryso- stomus*. *Jesus autem dixit eis : Utique*, scilicet audio, et audire debeo quia hoc est ex divina præordinatione, secundum quod scribitur in Psalmo. *Numquam enim legistis* ibidem : *Quia ex ore infantium et lactentium per- fecisti laudem?* Et bene dicit, *perfe- cisti*, laus enim inchoata fuit a turbis in via. Profert autem de Psalmo ex- emplum ut, tacente Domino, testimo- nium Scripturarum firmaret dicta puerorum. Quasi diceret : Vos qui estis Legisperiti, debetis Scripturam

hanc scire; et per consequens me non reprehendere. Ubi idem *Chrysostomus*: « Intelligimus quia infantes dicebantur, non ætate, sed simplicitate cordis. Infantes enim lactentes nec intelligere aliquem, nec laudare possunt. Lactentes enim dicebantur, quoniam quasi lactis suavitate, ita mirabilium delectatione excitati, clamabant sicut scriptum est: *Sed exaltavi animam meam; sicut ablactatus est super matre sua*, etc. Lac enim dicitur opus miraculorum, quia miracula nullum laborem videntibus ponunt, sed videntes admiratione delectant, et ad fidem molliter invitant. Panis autem est doctrina perfectæ justitiæ, quam accipere non possunt, nisi exercitati sensus circa res spirituales: » hæc *Chrysostomus*. Et omnis simplex doctrina, secundum Apostolum, lac dicitur, quia delectat, et faciliter capitur, sicut lac sine dolore dentium sugitur.

ORATIO

Generale terroris tui, Domine, signum fecisti, quando flagello de funiculis facto, omnes de templo ejecisti, prætendens in oculis flammam tuæ divinitatis, precor et obsecro, Domine, te; da mihi te terribilem præsentem attendere, ut sancto te timeam timore. Magna enim sunt judicia tua, Domine, et inscrutabilia, quæ, cum considero, contremiscunt omnia ossa mea; quoniam non securatur homo vivens super terram, sed in futurum omnia reservantur incerta, ut semper serviamus tibi, pie et caste in timore, et exsultemus tibi cum tremore. Amen.

CAPUT XXX

DE DUOBUS MINUTIS VIDUÆ, ET DE PHARISÆI ET PUBLICANI ORATIONE.

Marci cap. XII et Lucæ cap. XVIII et XXI.

1 Duo minuta viduæ magis a Deo accepta quam divitum oblationes. — *Et sedens Jesus contra gazophylacium*, id est divitiarum repositorium, *aspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium*, et poneret munera sua, id est oblationes in illud. Erat autem gazophylacium arca foramen desuper habens, juxta altare ad dexteram posita, in qua mittebatur, et servabatur pecunia pro sustentatione ædificiorum templi, et pro aliis quæ erant ad templum et ministerium necessaria; nec non pauperibus et viduis inde nutriendis, ac pro sacerdotibus et ministris. Dicitur autem gazophylacium porticus, ubi tales arcæ et oblationes servabantur; de quo etiam alibi in Evangelio dicitur: *Hæc locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo.* Unde ait *Beda*: « Quia, sermone Græco φυλαχή servare interpretatur, et *gaza*, lingua Persica, divitiæ vocantur, gazophylacium locus appellari solet, quo divitiæ servantur; quo nomine et arcam, in qua donaria populi congregabantur ad usus templi necessarios, et porticus in quibus servabantur, appellabant: » hæc *Beda*. *Et multi divites jactabant multa. Vidit autem et quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo*, id est duos nummos æreos, valentes unum quadrantem, seu quartam partem sicli, scilicet obolos quinque, quos cum sudoribus ad diuturnum victum acquisierat; *Et dixit* discipulis quod plus omnibus misis-

set : quia miserat de penuria sua, et sibi necessaria omnia quæ habuit, et totum victum suum, id est omnia necessaria corpori, sine quibus non est vivere, se de cetero in totum committens Deo. Alii vero ex superabundanti sibi, et ex superfluo miserunt, quod non debebant retinere, sed erogare. *Dixit* ergo illis : *Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quam omnes misit. Nam omnes hi*, divites scilicet, *ex abundanti sibi miserunt in munera Dei*; *hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit.* Non dicit quod miserunt quod abundat; sed ex eo quod abundat illis et *ex abundanti*, ad denotandum quod non dederunt totum superfluum, sed partem modicam. Sacerdotes quippe, qui erant avari, docebant quod ille qui plus offerebat in templo absoluto loquendo, plus habeat de merito ; quod falsum est, quia quantitas meriti non accipitur secundum quantitatem doni absolute, sed per comparationem ad facultatem dantis, et promptitudinem suæ voluntatis et devotionis. Unde, secundum doctrinam sacerdotum, multi divites actabant munera multa et magna; sed secundum Christi sententiam, vidua hæc pauper *plus quam omnes misit*, non absolute loquendo, sed, considerata facultate et bona voluntate sua ; non effectu ponderis, sed affectu devotionis; non quidem plus in quantitate, sed *plus* in caritate, at dicatur *plus*, quia ampliori desiderio atque fervore, quod enim potuit, misit, et quod non potuit, desideravit ; item, *plus* comparatione, quia totum dedit ; item, *plus* dati qualitate, quia de sibi necessario ; item, *plus* divina acceptatione, quia Christus plus approbavit. Prælertur ergo divitibus vidua paupercula, quia plus est pauperi dare modicum, quam diviti dare multum, sicut plus est puero ferre pondus parvum, quam forti viro ferre magnum ; et Deus plus attendit dantis affectum, quam donum, et plus ponderat quantitatem devotionis quam muneris. Unde ait *Hieronymus* : « Non quantum, sed ex quanto dederis, considerat Deus. » Unde et *Gregorius* : « Cor namque et non substantiam pensat Deus, nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur. » Unde etiam *Chrysostomus* : « Non etiam paucitatem oblati, sed copiam affectus intuitus est Deus. Quod si nequis tantum offerre, sicut et vidua ; offer saltem totum superfluum : » hæc *Chrysostomus*.

2 Mystica et moralis hujus facti applicatio. — Si autem bina minuta, quæ vidua misit in arcam, plus omnibus muneribus Deo placuerunt ; sic amor Dei et proximi omnia vincit, qui semper in arca cordis servari debet. Per duo etiam minuta animam et corpus accipere possumus, quæ devote Deo offerre debemus. Moraliter autem, hæc vidua pauper dici potest persona simplex, carens divitiis et Scripturarum notitia, quæ tamen apud Deum plus meretur orationibus, et vita, quam potentes in temporalibus et magna scientia. Unde cum *Augustinus* legisset vitam Antonii, dixit : « Simplices et indocti rapiunt cœlum, et nos cum litteris nostris demergimur in infernum ! » Ista quoque vidua signat cujuslibet fidelis animam, quæ nunc debet se reputare viduam, quamdiu est ab amplexibus sponsi sui Christi separata ; et sicut vidua ducit semper vitam lugubrem, et induit vestes viduitatis suæ, sic anima devota debet esse in luctu pœnitentiæ, et corpore et mente in humilitate. Hæc debet offerre Christo duo minuta, scilicet : affectum compassionis verbi et facti ; et quandoque verbum compassivum bene valet factum, et quandoque melius est quam datum. Unde *Theophilus* : « Vidua ista anima hominis est, relinquens Satanam, cui fuerat adjuncta, quæ mittit in templi ærario duo minuta, carnem scilicet et mentem : carnem quidem per abstinentiam, mentem vero per humilitatem ut sic audire valeat : quod *totum victum suum* posuit, nihil de suo relinquens mundo. » Unde et *Beda* : « Hic nobis locus moraliter quidem intimat, quam sit acceptabile Deo, quidquid bono animo attulerimus. Juxta vero leges allego-

riæ : divites, Judæos designant de justitia Legis elatos. vidua autem pauper, Ecclesiæ simplicitatem designat, quæ recte *paupercula* vocatur, quia vel superbiæ spiritum, vel concupiscentias temporalium, vel peccata tamquam mundi divitias abjicit; *vidua* vero, quia vir ejus pro ea mortem pertulit. Hæc in gazophylacium æra *mittit duo minuta*, quia in conspectu divinæ majestatis, cum dilectione Dei et proximi. seu fidei orationisque munera defert; quæ considerata propriæ fragilitatis minuta, sed merito piæ devotis accepta, cunctis superborum Judæorum opibus præstant. Ex abundantia enim, sibi Judæus mittit in munera Dei, qui de justitia sua præsumens hæc apud se orat, quasi non apud Deum : *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum raptores, injusti* ; omnem autem victum suum Ecclesia in Dei munera mittit, quia omne quod vivit, non sui meriti, sed Dei esse muneris intelligit, dicens : *Deus, propitius esto mihi peccatori* : » hæc *Beda*.

3 PHARISÆI ORANTIS JACTANTIA. — *Dixit autem* tunc Jesus *et ad quosdam*, quasi singulares, et se aliis præponentes, *qui in se confidebant*, et de propriis meritis præsumebant *tamquam justi*, pro operibus suis exterioribus, *et aspernabantur ceteros*, tamquam injustos, et sic dupliciter superbiebant, scilicet : quia de suis meritis confidebant, et quia ceteros despiciebant, ideo justi non erant, quia humilitatem sine qua nullus justus est, non habebant ; *parabolam istam*, de Pharisæo apparente justo, et Publicano peccatore publico ascendentibus in templum et ibi orantibus. *Duo homines ascenderunt in templum*, quia templum in alto situm erat, et ascensum quindecim graduum habebat; *ut orarent*, quia hic est finis debitus eundi ad ecclesiam, scilicet ad orandum, non ad confabulandum, non ad vanitates videndum : *Unus erat Pharisæus et alter publicanus*. Pharisæis quippe loquebatur Dominus, qui inde Pharisæi, id est *divisi*, dicuntur, quia apparentes justi, se præ ceteris meliores esse putabant. His autem unum Pharisæum Dominus opposuit, in quo quasi in speculo ceteri quales erant videre potuissent ; et fortasse idem ipse præsens ibi erat, de quo Dominus ista dicebat. Ubi *Theophilus* : « Causa igitur confidentium in se, non autem totum attribuentium Deo, sed ob hoc ceteros contemnentium, parabolam istam proponit, ostendens quod justitia, quamvis hominem approximet Deo, si tamen assumat superbiam, ad infimum dejicit hominem. Est autem superbia Dei contemptus. Quoties etenim aliquis non Deo, sed sibi adscribit bona quæ facit, quid est aliud quam Dei negatio? » hæc *Theophilus*. *Pharisæus* superbus se jactabat, et justificabat; alios accusabat, et se eis præferens, *stans hæc apud se, orabat : Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum*, etc., *Jejuno bis in sabbato*, id est in septimana ; *decimas do omnium quæ possideo*. Hæc autem sunt indicia superbiæ, quam Deus a longe cognoscit, sed non ignoscit. De utraque parte justitiæ Pharisæus se laudat : quarum una est declinare a malo ; altera facere bonum. De prima se laudat, dicens : *Non sum sicut ceteri hominum;* de secunda, dicens: *Jejuno bis in sabbato*. Pharisæus ergo bene dicitur quasi *divisus*, quia gestu, habitu et conversatione erat a ceteris distinctus. Unde dicebat : Non sum sicut ceteri hominum ; et verum dixit, non quidem in justitia, sed in superbia. Male quippe incepit, debuit enim incipere a sui accusatione, secundum illud Proverbiorum : *Justus in principio accusator est sui*; in medio supplicare, et orare ; et in fine, gratias agere, sicut sacerdos facit in missa sua : primo enim accusat se in generali confessione; secundo, Deum suppliciter deprecatur multiplici oratione; ultimo, Deo regratiatur, dicendo: *Ite, missa est*, vel : *Benedicamus Domino*, et respondetur : *Deo gratias*. Iste autem non se accusavit, sed laudavit; non Deum rogavit, sed laudanti insultavit ; nec gratias agendo, Dei dona, sed sua merita pensavit. Publice quidem arguere vitia omnibus licet, nulli autem, nisi paucis, ut ad certam personam descendant ; in quo

Pharisæus reprehensibilis erat. Secundum *Bedam*, de verbis elati Pharisæi, quibus humiliari meruit, possumus e diverso humilitatis formam, qua sublimemur, assumere; ut sicut ille consideratis et pejorum vitiis et suis virtutibus, est elatus ad ruinam, ita nos non nostra solum pigritia, sed et meliorum virtutibus inspectis, humiliemur ad gloriam.

4 PUBLICANI ORANTIS HUMILITAS. — *Et Publicanus* humilis *a longe stans*, propter timorem, quasi non esset dignus appropinquare, *nolebat nec oculos in cœlum levare*, propter pudorem, quia judicabat se indignum præ verecundia peccatorum, quasi pro peccatis non audens respicere cœlum; *sed percutiebat* propter contritionis dolorem *pectus suum*, tamquam totius mali originem, *dicens*, per humilem confessionem: *Deus*, qui omnia potes, *propitius esto mihi peccatori*. Ecce sui accusatio, et pura confessio, et ista faciunt ad peccatorum remissionem; hæc enim sunt indicia humilitatis, quam Deus de prope aspicit et cognoscit. Merito autem pectus suum percutiebat, quia ibi peccaverat, ubi fons et fovea et origo mali erat. Ibi enim est cor bonorum omnium atque malorum secretarium; inde omnia bona et omnia mala procedunt. Hoc ergo publicanus percutiebat, quia, secundum *Augustinum*, est arguere quod latet in pectore, et evidenti pulsu occultum peccatum castigare; ac pectus percutiendo, se de ipso quodam modo vindicabat et dicebat: *Deus, propitius esto mihi peccatori;* non attendas hujus pravi cordis consilia, dele peccata, et propitius esto. Nihil in me est unde tibi placere et veniam consequi debeam, quoniam corde et corpore, cogitationibus et operationibus *tibi peccavi*. Omnibus iniquior ego sum, et nisi per misericordiam tuam salvari non possum; ideoque *propitius esto mihi peccatori*. Publicanus, quasi publicus peccator dicitur. Publicani enim dicebantur exactores vectigalium publicorum, et exactio tributi erat contra Legem; ideo exactores, peccatores vocabantur. Iste ergo sicut humilis appropinquare non audebat, ut Deus ad eum appropinquaret; non aspiciebat, ut aspiceretur; percutiebat pectus suum, pœnas de se exigens, ut Deus parceret; confitebatur, ut Deus ignosceret; et non minus se accusabat, quam Pharisæus se justificabat.

5 EXAUDITUR PUBLICANUS, DUM REJICITUR PHARISÆI ORATIO. Sed quo fructu? Qua mercede? Quia ignovit Deus quod ipse agnovit, et justificatus inde recessit Unde sequitur: *Amen*, id est vere, *dico vobis, descendit*, scilicet de domo Dei, *hic*, scilicet Publicanus, *justificatus*, id est de impio per gratiam factus justus, *in domum suam ab illo*, id est plus quam ille; vel, *ab illo*, id est præ illo' remanente in fæcibus suis. Et merito magis quam ille: quia habebat ille justitiam suam præsumptam, hic veram; ille apud se de operibus, hic vero apud Deum, ex fide justificatus est; ille enim superbe de bonis gloriabatur, hic vero humiliter mala confitebatur. Sed, secundum *Augustinum*, melior est in malis factis humilis confessio, quam in bonis superba gloriatio. Et hic est argumentum quod melior est peccator humilis, quam justus superbus, quia eo ipso quod peccator se humiliat, jam non est peccator; et justus eo ipso quod superbit, jam non est justus. Unde ait idem *Augustinus*: « Enumerationi meritorum præfertur confessio peccatorum, propter quod dicitur: *Ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia*, id est, qui non reputant se indigere illa. » In quo miro modo reprimitur superbia humana, ut non de suis meritis homines præsumant. Ubi *Beda*: « Quantam veniæ fiduciam digne pœnitentibus præbet, quod Publicanus qui reatum suæ nequitiæ perfecte cognovit, flevit, confessus est; etsi injustus ad templum venit, justificatus a templo rediit. » Ubi et *Ambrosius*: « Introduxit Pharisæum et Publicanum in templo orantes, et docuit etiamsi bona cetera habeat, quod magis superbus offendit, quam humilis, qui nulla virtutum dote subnixus sit. Studuit enim diabolus

supplantare bonis operibus intentos. Quantum laboravit Pharisæus ille ne raperet aliena, ne injustus esset, ne adulteraret, ne peccaret sicut Publicanus, ut bis in sabbato jejunaret, ut decimas daret omnium quæ acquireret! Quis nostrum hæc fecit? Advertit hoc diabolus, et perfodit eum ulcere gravi, ut mente carnis inflatus, in eo in quo laudabilis fore crederetur, ibi reprehensibilior judicaretur : » hæc *Ambrosius*.

6 NON EX OPERIBUS GLORIANDUM, SED HUMILITER IN GRATIA CONFIDENDUM. — Hic ergo ostenditur, non ex operibus esse gloriandum; sed humiliter in gratia confidendum. Unde *Basilius* : « Cum accesseris ad prædicandum Dominum, prosterne te humiliter in conspectu ejus; nec postules quidquam quasi ex gratia meritorum tuorum. Et si est tibi conscientia alicujus boni operis, cela illam, ut, te silentium agente, multipliciter tibi restituatur a Domino; et peccata tua cito produc in medium , ut deleat ea Dominus, cum confessus fueris ea. Non te justifices orans, ne sicut Pharisæus ille, exeas condemnatus. Memento Publicani, ut ita sicut ille veniam delictorum tuorum invenias: » hæc *Basilius*. Ubi et *Chrysostomus* : « Geminas aurigas et duas bigas, in stadio positas, sermo præsens proponit : in altera quidem justitiam cum superbia ; in altera vero peccatum cum humilitate. Et vides bigam peccati superare justitiam, non propriis viribus, sed humilitatis conjunctæ; illam vero devictam, non fragilitate justitiæ, sed mole et tumore superbiæ. Nam sicut humilitas per sui eminentiam peccati pondus superat, et saliens attingit Deum; sic superbia ob sui molem de facili justitiam deprimit. Si ergo plura facta strenue geras, putas autem te posse præsumere, tota caruisti oratione. Si vero mille feras in conscientia fasces reatuum, et hoc solum de te credas, quod es intimus omnium, multam obtinebis ante Deum fiduciam. Hæc igitur fastus inflatio ab ipsis cœlis potest deprimere non caventem; humilitas vero et ab ipso abysso reatuum hominem sublimare. Hæc enim præ Pharisæo Publicanum salvavit, Latronemque ante Apostolos in paradisum duxit; illa vero incorpoream ingressa est Potestatem. Ceterum si juxta delicta humilitas tam facile currit, ut superbiam justitiæ transeat; si justitiæ conjunxeris eam, quo non ibit? Assistit ipsi tribunali divino, in medio Angelorum, cum fiducia multa. Rursus, si fastus conjunctus justitiæ eam deprimere potuit, si conjunctus sit peccato, in quantam gehennam detrudet? Hæc dico non ut negligamus justitiam, sed ut fastum vitemus : » hæc *Chrysostomus*.

7 PŒNA SUPERBIÆ MERCESQUE HUMILITATI PROMISSÆ. — Deinde, Dominus suæ sententiæ causam assignans, scilicet quare Publicanus magis justificatus descendit, consequenter inferendo subjungit : *Quia omnis* generaliter sine exceptione, scilicet sive laicus, sive clericus, sive religiosus; item, sive parvus, sive mediocris, sive quantumcumque magnus, *qui se exaltat* superbiendo, sicut fecit Pharisæus, *humiliabitur*, et dejicietur, vel in hoc seculo per miseriam, vel in futuro per pœnam æternam; *et qui se humiliat*, sponte per veram pœnitentiam et peccatorum confessionem, sicut Publicanus, *exaltabitur*, in gloria per remunerationem. Nam, secundum Sapientem : *Ante ruinam exaltatur cor, et ante gloriam humiliatur*. Et ut vulgariter dicitur : Non est vallis quæ non habeat collem, nec et collis quæ non habeat vallem. Sicut ergo Publicanus, se humiliando, est exaltatus; ita et Pharisæus, se exaltando, est humiliatus. Sicut enim in statera materiali una parte depressa, altera elevatur, et e converso; sic in statera divinæ justitiæ decretum est, ut qui elevantur per superbiam in præsenti vita, deprimantur per pœnam confusibilem in futuro; et e converso, qui se deprimunt in præsenti ob Dei reverentiam, eleventur in futuro ad gloriam. Si ergo sic reprehenditur et sic confunditur, qui superbe gratias agit, et cetera bona facit; quid de illo erit qui gratiam impugnat, et non bona facit? Certum itaque tene, superbe, quia si humiliatus non fueris Deo,

velis nolis, humiliaberis diabolo. Et ideo caveat quisque ne sibi superbia dominetur; quia, ut ait *Augustinus* : « Væ homini cujus auriga superbia est! Necesse est enim ut in præceps eat. » Si consideremus exitum rei : in Lucifero superbiente, et in Christo humiliante ; in Eva elata, et in Virgine humiliata; in divite purpurato, et in Lazaro ulcerato; in Pharisæo se extollente, et in Publicano pœnitente, videbimus manifeste quam verum sit quod hic Dominus dicit, quia : *Omnis qui se exaltat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur.* Et ideo bene dicit quidam philosophus : Inter sapientes sapientior est, qui humilior est. Hic autem versiculus, scilicet : *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur*, toties a Domino in Evangelio iteratur : ut deprimat superbiam, quam super omnia vitia detestatur; et humilitatem commendet, quam super omnem virtutem, et sæpius laudare dignoscitur. Radix enim omnium malorum est superbia, et custos omnium virtutum humilitas est. Unde *Theophilus* : « Quia enim superbia plus quam aliæ passiones vexat hominum mentes, ideo crebrius de hac monet. » Unde et *Chrysostomus* : « Simus itaque humiles, ut simus excelsi, etenim cum abundantia multa humiliatur despectio. Nihil enim ita Deus avertit sicut superbiam, propterea et a principio omnia fecit ut hanc auferat passionem : propter hoc mortales facti sumus, in miseriis et planctibus, propter hoc in labore et sudore, in laboratione continua et miseria. Etenim a despectione peccavit primus homo, petens Dei æqualitatem; propter hoc neque quæ habebat mansit habens, sed ab his cecidit. Tale enim quid est despectio, quod non solum nobis adjicit correctionem vitæ, sed et quæ habemus abscindit, et his officit; sicut humilitas non solum eorum quæ sunt nihil abscindit, sed et quæ non sunt adjicit. Hanc itaque zelemur, hanc persequamur, ut et præsenti potiamur honore, et futura fruamur gloria : » hæc *Chrysostomus.*

8 Quosnam mystice et moraliter signabant Pharisæus et Publicanus ? — Mystice, per Pharisæum Judaicus populus designatur, qui ex beneficiis Legis et Prophetarum susceptis, de sua sanctitate præsumens Gentiles aspernabatur; per Publicanum vero Gentilis, qui peccata sua, Apostolis prædicantibus, recognoscens, humiliter ea confitebatur : propter quod Gentilis justificatus est per fidei Christi receptionem, et Judæus damnatus per suam obstinationem. Unde *Beda*: « Typice autem, Pharisæus est populus Judæorum, qui ex justificationibus Legis extollit merita sua; Publicanus vero Gentilis est, qui longe a Deo positus, confitetur peccata sua : quorum unus superbiendo recessit humiliatus, alter lamentando appropinquare meruit exaltatus. » — Moraliter, hi duo homines signant universitatem hominum, scilicet justos Pharisæus, et impios Publicanus : uterque debent ascendere in templum ad orandum, impius pro venia, justus pro perseverantia. In templum autem spirituale, quod est Deus, debemus ascendere orando, quia secundum *Damascenum*, oratio est ascensus mentis in Deum ; et, secundum *Augustinum*, oratio est pius affectus mentis in Deum directus.

9 Principes sacerdotum Jesum quærunt occidere. — *Principes autem sacerdotum*, scilicet pontifices, qui spiritualibus præerant, *et Scribæ*, id est, qui doctrinæ Legis et Prophetarum intendebant, *et principes plebis*, scilicet, qui in temporalibus disponendis præsidebant, moti contra Jesum invidia et rancore, *quærebant illum perdere*, qui tamen venerat eos salvare, excogitantes diversas vias et modos quomodo possent illum occidere. Unde *Bernardus* : « O bone Jesu, totus mundus videtur contra te conjurasse, et hi in persecutione tua primi sunt, qui videntur regere populum, dirigere principatum ! » *Et non inveniebant quid facerent illi*, id est causam rationabilem eum occidendi, cum esset justus et innocentissimus; nec etiam audebant, timore populi : *Omnis enim populus suspensus erat audiens illum,... et admirabatur super doctrina ejus.* Unde *Beda* : « Quæ-

rebant illum perdere, vel, quia quotidie docebat in templo; vel, quia latrones ejecerat de templo: vel, quia veniens illuc quasi Rex et Dominus, a credentium turba laudem hymni cœlestis accepit; vel, quia suo magisterio neglecto, plures ad eum audiendum confluere cernebant » Unde et *Cyrillus* : « Decebat autem, ex his quæ Christus dixerat et fecerat, eum adorare ut Deum ; sed ipsi nequaquam hoc facientes, quærebant eum occidere. » Sed, ut ait *Gregorius*, Redemptor noster prædicationis verba nec indignis, nec ingratis subtrahit. Nam subditur : *Et erat* tunc *docens quotidie in templo*, reddens eis bonum pro malo. Quia enim erat proximus Passioni, instabat docendo. Ecce optima commutatio, quia de domo negotiationis facta est schola veritatis, templum orationis, locus devotionis. Ubi idem *Gregorius* : « Nunc usque agitur quod factum fuisse perhibetur; cum enim mentem fidelium ad cavenda subtiliter erudit, et quotidie Veritas in templo docet : » hæc *Gregorius*.

10 Christus Bethaniam revertitur. — Et stetit Jesus publice in templo prædicans populo et respondens principibus usque quasi sero, et tota die ipse et sui jejunaverunt. *Et circumspectis omnibus, cum jam vespertina esset hora*, quæ erat hora declinandi ad hospitium ; et nullus eum invitaret, vel colligeret, relictis illis, *exiit* de civitate, et rediit *in Bethaniam cum duodecim*, ut quod in urbe magna non inveniebat, in agro parvo haberet hospitium ; ibique mansit apud Martham, et Mariam, et Lazarum, et docebat eos de regno Dei. Ubi arguitur durities et ingratitudo Judæorum, qui doctorem quem gloriose et honorifice ut Regem et gaudiose susceperant et qui per totam diem usque ad vesperam eos doctrina paverat, hospitio non susceperunt, et famescentem non paverunt. Circumspexit enim Dominus, qui nihil de proprio, ubi hospitaretur, habuit, sed omni benevolentia indiguit, si quis eum in domum suam vocaret aut reciperet; et nullus est inventus benedictione pacis Christi dignus. Unde in hoc quod dimisit eos corporaliter, ostendit facto, eos propter ipsorum cæcitatem esse dimittendos a Deo spiritualiter. Ubi *Hieronymus* : « Hinc autem intelligendum est quod Christus fuerit tantæ paupertatis, et ita nulli adulatus sit, ut in urbe maxima nullum hospitem, nullamque mansionem invenerit ; sed in vico parvulo apud Lazarum, sororesque ejus habitaverit. Eorum quippe vicus Bethania est. » Ubi et *Chrysostomus :* « Et relictis illis, tanquam excæcatis per invidiam, abiit foras extra civitatem, in Bethaniam, ut, recedendo compesceret, quos respondendo non potuit, quia malitia non instruitur sermonibus, sed excitatur. Malum enim hominem melius tacendo, dando potes vincere, quam respondendo. Nam, si contendis irrationabilem placare; et illum non placas, et teipsum subvertis. Et mansit ibi apud Lazarum, et sorores ejus; ut illic requiesceret corporaliter, ubi et spiritualiter repausabat. Nam sanctorum virorum est, non ibi quærere mansionem, ubi clariores sunt viri, sed ubi fideliores; nec gaudent ubi epulæ largæ sunt, sed ubi sanctitas floret : » hæc *Chrysostomus*. Ubi etiam *Beda* : « Bene autem, dicitur, quia, *circumspectis omnibus*, *exivit in Bethaniam cum duodecim*. Inspicit quippe internus Arbiter omnium corda, et cum in contradicentibus, ac resistentibus veritati, non invenit *ubi caput reclinet*, secedit ad fideles, et in eis qui obediunt verbo, mansionem sibi una cum Patre facere gaudet ; Bethania namque *domus obedientiæ* dicitur : » hæc *Beda*.

11 De tribus locis, quæ hac die intravit Dominus. — Nota ergo ex præmissis, quod Christus hac die tria loca intravit, scilicet : Jerusalem, templum et Bethaniam ; per quæ loca significatur mens humana : quæ debet esse pacifica, et tunc est Jerosolyma, quæ interpretatur *visio pacis* ; debet esse Dei habitatio grata, et tunc est templum Dei vivi acceptum ; debet etiam esse ad obediendum prona, et tunc est Bethania, quæ interpretatur *do-*

mus obedientiæ. Ingrediente autem Domino Jesu in primum locum, scilicet Jerusalem, commota est universa civitas, quia intrante Domino animam, per gratiam prævenientem, omnes vires animæ debent commoveri, per dolorem et contritionem peccati. Cum vero intravit templum, ejecit vendentes et ementes, ac mensas et cathedras evertit, quia postquam Christus intravit in cor hominis per gratiam prævenientem, movendo ipsum ad contritionem, intrat postea in ipsum per gratiam proficientem, purgando illud, et ejiciendo inde peccata per confessionem ; et tunc Christus sanat illud, dando indulgentiæ remissionem, unde subditur ibi de infirmorum sanatione. Deinde Christus intravit Bethaniam, quæ interpretatur *domus obedientiæ*, quia postquam intravit cor per gratiam prævenientem et proficientem, inducendo ipsum ad contritionem et confessionem, consequenter intrat per gratiam perficientem ipsum per bedieutiæ satisfactionem; ille enim vere obedit, qui de omnibus peccatis suis plene satisfacit. Conspice igitur nunc bene Dominum, quia valde humiliter vadit per civitatem cum illis paucis, qui sic honorifice venerat mane cum multis. Ex quo potes considerare, quia parum est curandum de humano honore, qui sic terminatur in brevi, et quia in cursu hujus vitæ *risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat*. Potes etiam considerare, quomodo sui gaudebant, quando honorabatur a turbis, et multo magis quando Bethaniam redierunt illæsi, quia maxime timebant quando Jerusalem ibat, quod tunc qualibet die faciebat. Quamvis enim alias sæpe, maxime tamen a præcedenti die sabbati, usque ad vigiliam cœnæ locutus est Judæis, et operatus est palam in Jerusalem.

12 Prædicatorum exemplum Christus. — *Erat autem* tunc quotidie, *diebus docens in templo*, propter doctrinæ auctoritatem, loci celebritatem, ac populi frequentiam et auditorum plurium utilitatem; *noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti*, scilicet in Bethania, quæ erat in latere montis ejusdem, vigilans, et orans, ac docens discipulos, eosque confortans. In hoc dedit exemplum prædicatoribus et doctoribus Evangelii ut diebus doceant, et noctibus sint in oratione Dei, ut ibidem hauriant quod auditoribus infundant in mane sequenti. Sive etiam in prosperitate simus, quæ per diem significatur; sive in adversitate, quæ per noctem intelligitur, semper doceamus et oremus, ac bonum faciamus in quantum valemus. Unde legitur in libro Ecclesiastes: *Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua, quia nescis quid magis oriatur, hoc an illud. et si utrumque simul : melius erit*. Per mane enim intelligi potest tempus pacis et prosperitatis, et per vespere, tempus tentationis et adversitatis; in quibus semper bonum operari, nec tempore hoc vel illo a bono opere cessare debemus, quia quid horum majorem fructum nobis afferat, ignoramus. Et hæc facere debemus in monte Oliveti, id est in culmine misericordiæ ad proximum ; non enim meretur impetrare misericordiam a Deo, qui non facit misericordiam cum proximo. Et est notabile, quod, imminente morte, magis instabat Christus prædicationi; quod est contra multos, qui in senectute dant se otio et quieti, cum adhuc possent multorum prodesse saluti. *Et omnis populus* attractus efficacia, atque dulcedine doctrinæ suæ. *manicabat*, id est mane festinabat, *ad eum, in templo, audire eum*, scilicet ut audiret ab eo verba vitæ, hoc est mane cum festinatione accelerabat venire ad locum prædicationis suæ ; a mane enim dicitur manicare. Ubi *Cyrillus* : « Populo autem ante lucanum venienti ad eum, congruum erat dicere : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* » Et, quia Dominus sic diebus et noctibus tunc præcipue laboravit, ideo tota illa septimana penosa dicitur, quia per totam illam laboravit recreando, sicut per primam mundi hebdomadam operatus est creando. Et, quia una septimana cuncta creavit, multo la-

bore hac septimana hominem refecit. Unde *Beda* : « Quæ verbis præcipit Dominus, suis confirmat exemplis. Nam, qui nos ante repentinum judicii universalis adventum, ante incertum singulorum nostrorum exitum, deliciis simul, et curis hujus vitæ neglectis, ad vigilandum hortatur et orandum ; et ipse, impendente suæ tempore Passionis, doctrina vigiliisque et precibus instruit, pariter et exemplo, insinuans hoc esse digne Deo vigilare, dicto vel facto proximis quibusque viam veritatis ostendere ; et eos, pro quibus passurus erat, vel verbo ad fidem provocans, vel Patri oratione commendans. Et nos quoque cum inter prospera sobrie, et juste, et pie conversamur ; inter adversa vero numquam de divinæ misericordiæ celsitudine desperamus, diebus profecto cunctis in templo docemus, et fidelibus operis boni formam præbemus ; noctibus vero in monte Oliveti moramur, quia in tenebris angustiarum gaudii spiritualis consolatione respiramus, juxta eum, qui dixit : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini, speravi in misericordia Dei* mei, id est sicut is qui misericordiæ fructum quibus voluit impendit, ei a Domino miserendum esse non ambigo. Et ad nos quoque, audiendos omnis populus manicat, cum vel discussis operibus tenebrarum, vel evictis Dei gratia nebulis pressurarum, *sicut in die honeste ambulantes, non in commessationibus et ebrietatibus*, etc ; nos filii lucis imitantur : » hæc *Beda*.

ORATIO

Deus omnipotens, præsta mihi pauperi tibi derelicto, ut duo minuta, scilicet corpus et animam, quæ de te habeo, tibi cum devotione offeram, ut utroque tibi servire et placere valeam. Miserere supplici tuo, quia non sum sicut innumeri servi tui, justitiæ merito gloriosi ; velut etiam multi post flagitia pœnitendo tibi facti devoti. *O Deus, propitius esto mihi peccatori*, et respice me oculis misericordiæ quibus publicanum respexisti, ut per veram cordis, oris, et operis humilitatem coram te merear justificari, et cum humilibus exaltari. Amen.

CAPUT XXXI

DE MALEDICTIONE FICULNEÆ, ET GRANO FRUMENTI, ET DE PRINCIPE MUNDI.

Matthæi cap. XXI et Joannis cap. XII.

1 QUOSNAM FIGURABAT FICULNEA MALEDICTA ? — *Mane autem*, *et* diluculo, *alia die*, scilicet feria secunda, *cum* iterum *exiret* Jesus a Bethania, et erat *revertens in Civitatem*, scilicet Jerusalem, *esuriit*, secundum suspicionem discipulorum, eo quod ad arborem accessit. Ubi nota morem studiosi operatoris, dum dicitur mane revertisse in civitatem ut prædicaret, et ut aliquos Deo Patri suo acquireret. Esuriit autem, non quasi homo, indigens cibum corporalem, sed quasi Deus misericors humanam salutem. Unde ista esuries naturalis non fuit. quia in sero præcedenti comederat, nec adhuc hora comedendi erat ; sed sicut maledictio arboris, de qua subditur, figurabat maledictionem infructuosi, sic ista esuries significabat desiderium Christi de salute populi. Et ideo adhuc mane esurit, qui

justitiam esurit. *Et videns fici arborem unam*, inter Bethphage et montem Oliveti, *secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea* fructus, *nisi folia* ; *tantum*; maledicens ergo ei, *ait*: *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea.* Venit Dominusad ficulu eam, non causa inveniendi fructus, quibus esuriens reficeretur, sciebat quod in martio, tempus ficuum non esset, sed adivit propter miraculum, ut Apostolos ad fidem confirmaret. Unde, secundum *Chrysostomum*, maledixit Dominus ficulneæ, non quoniam fructum in illa non invenit, cum non esset tempus ficuum, sed discipulorum gratia, ut confiderent, et ut discerent, quod possit etiam Judæos persequentes siccare, et in momento exterminare. Ideo neque in alia planta, sed in omnium humidissima miraculum hoc fecit, ut et hinc majus appareat hoc miraculum. Ad hoc enim Dominus miraculum fecit, ut discipulos in fide solidaret, quia, ut ait *Hieronymus*, Dominus passurus in populis, et bajulaturus scandalum crucis, voluit discipulorum animos signi anticipatione firmare. Quod etiam in signum synagogæ maledictæ, et arefactæ Jesus fecit, in qua fructus justitiæ non invenit. Arbor enim fici est synagoga, propter multitudinem granorum sub uno cortice, id est hominum sub Lege, et una, scilicet propter uniformitatem ritus; quæ *secus viam* erat, quia Legem habebat, sed non in via, quia non credebat in Christum, qui est via; ad quam venit, per præsentiam corporalem, et per doctrinam spiritualem ; et nihil invenit in ea, licet multum quæsierit exemplis, doctrinis, signis et miraculis; nisi folia, id est verba Legis et traditiones Pharisæorum, absque ullis fructibus. Sancti enim habent et folia verborum, et flores morum, et fructus operum. Per talem etiam arborem virentem foliis, et carentem fructibus, possunt intelligi hypocritæ et simulati existentes extra viam justitiæ, et non in via positi, per simulationem virtutum foliis circumdati, sed a fructu justitiæ alieni; quia exteriorem apparentiam sanctitatis habentes, interius sunt vacui ab operibus veritatis, et infructuosi, et ideo a Domino maledicti, sunt aridi et humore devotionis privati. Unde ait *Chrysostomus* : « Folia veritatis sunt species tantummodo sanctitatis in homine, aut sine ullo fructu verba religiosa. Quicumque ergo religiosus, id est arbor rationabilis, profitetur se esse Dei, et justitiam non operatur, est arbor tantummodo folia habens sine fructu ; secus viam autem est, juxta mundum, mundus enim via est communis, per quam omnes transeunt, qui nascuntur. Quicumque ergo homo fidelis, id est arbor rationabilis, juxta mundum vixerit, numquam potest in se justitiæ fructus tenere. Transeuntes enim et retranseuntes dæmones, vel ministri ipsorum per viam, id est vagantes per mundum istum, excutiunt eos. Sicut ergo difficile est arborem juxta viam positam fructos suos usque ad maturitatem servare ; sic difficile est virum fidelem juxta istum mundum viventem, in ramis, id est in actibus suis justitiam immaculatam usque ad finem servare. Si vis ergo fructus justitiæ ad finem tenere, recede de via, et plantare in loco secreto, ut nec mundus tecum aliquid habeat commune, nec tu cum mundo : » hæc *Chrysostomus*. Cum itaque esuriens Dominus ficus quæsivit, aliquid aliud se quærere significavit, non enim ficus, sed fidem, neque fructus arboris, sed fructus operis quæsivit. Ex hoc ergo, secundum *Bedam*, patet quod sicut Dominus multa dixit in parabolis, ita et fecit. Cur enim in ficu fructum quæreret, cujus tempus nondum esse quilibet homo sciret, et ob id eam æternæ sterilitatis maledictione damnaret? Quia plebem, quam docebat verbo, terruit facto, ne quis habens folia, id est verba justitiæ sine fructu operum, mereatur excidi et in ignem projici. Unaquæque enim arbor non de floribus, non de foliis, sed de fructu suo cognoscitur; sic unusquisque homo non de æstimatione famæ, vel de sermonis pompa; sed de suarum testimonio probatur

actionum. Hæc autem maledictio ficus maxime in nobis timenda est, quia folia, id est verba, non vertimus in opera. *Jam enim securis ad radicem posita est.*

2 Desiderium Gentilium videndi Jesum. — Et ingressus Jesus in civitatem, venit in templum, secundum suam consuetudinem, qui semper locum Dei visitare consueverat, et Patri exhibere honorem. *Erant autem quidam Gentiles, ex his qui ascenderant* in Jerusalem, *ut adorarent in die festo*; quia templum pro sui sanctitate in reverentia a Gentilibus in circuitu Judæorum erat, et ejus famositas non tantum Latinos et Judæos, sed etiam Gentiles trahebat, ut de Eunucho Candacis reginæ patuit. *Hi ergo*, qui Christi miracula audierant, ideo eum videre, et ejus doctrinam audire volebant; *et accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ*, qui videbant eum pium et mansuetum, et se non reputabant dignos, ut venirent per semetipsos, *et rogabant eum, dicentes* : *Domine, volumus Jesum* et Salvatorem omnium *videre*. Et congruenter ad Philippum accesserunt prius, quia ipse prius prædicavit Gentilibus, scilicet Samaritanis. In his Gentilibus præfigurabatur conversio Gentium, per prædicationem Apostolorum in proximo secutura, et quod Gentes ministerio eorum ad fidem conversæ desiderent Jesum glorificatum in patria. *Venit Philippus et dicit*a *Andreæ*, qui Andreas primus Christi erat discipulus, et magis familiaris Domino quam Philippus, et etiam quoniam Philippus per Andream conversus fuerat, et ideo de consilio et auxilio ejus circa hoc agere volebat ; in quo datur nobis exemplum omnia faciendi de consilio majorum. *Andreas rursum et Philippus* hoc *dixerunt* ambo simul Domino *Jesu*, tanquam Superiori. Mystice, Philippus, qui *os lampadis* dicitur, signat veritatem ; Andreas autem, *virilis virtutem* : quæ duo intellectum et affectum Christo adducunt in conversione animarum.

3 Granum frumenti in terram cadens erat Christus. — *Jesus autem* audiens devotionem Gentilium, qui jam erant dispositi ad credendum, vidensque eos properare ad fidem, et intelligens in eis quodammodo inchoari Gentium conversionem, prænuntiavit suæ Passionis tempus imminere, post quam Passionem immediate Gentes erant ad fidem recipiendæ, *respondit* ergo *eis dicens* : *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis*. Quasi diceret : Judæi nolunt credere, quos primum voluit lucrificare, plenitudo Gentium creditura est, quia veniunt Gentes ad credendum, quibus Filius est clarificandus. In Passione quippe sua fuit Filius clarificatus per signa ostensa, fuit etiam clarificatus in sua Resurrectione et in sua Ascensione; itemque in Gentium conversione, quia divinitatem ejus confitentur ubique. Verumtamen per congruum ostendit exemplum, quod mors ejus debeat prævenire conversionem Gentilium, dicens : *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet* ; quia non facit fructus multiplicationem, nisi per sui corruptionem. Ac si dicat : Nisi ergo ego moriar, fructus conversionis Gentium non sequetur. *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*, id est, me mortuo per humanitatem, multiplicabitur fides per Gentium conversionem. Ac si expresse dixisset : Isti Gentiles, qui modo volunt venire ad me per præsentiam corporalem, post mortem meam venient ad me per fidem. Ipse enim erat granum jaciendum in corpore terræ per Passionis humilitatem, unde messis copiosa debebat statim exsurgere. Passio quippe Christi multum attulit fructum, scilicet : fructum remissionis peccatorum, fructum conversionis Gentium, fructumque gloriæ regni cœlorum. Et, quia Christus se comparavit grano frumenti, mos est Ecclesiæ de hoc grano, scilicet tritico, tantum confici corpus Christi. Moraliter, homo in terra cadit, quando per humilitatem se deprimit, sed eam non cooperit, quando vult humilitatem manifestari, et non occultari, et talis humilitas non fructificat ; sed quando talis humilis vult quod humilitas lateat, tunc

fructificat. Ad hoc enim quod granum frumenti fructificet, non sufficit quod in terram cadat, sed oportet quod agricola ipsum cooperiat. Prædicit etiam Christus suam Passionem et ejus fructum, ut videntes morientem non ideo perdant fidem, et ex Passione non terreantur; sed magis imitentur, quoniam oportet nos imitari eum, qui reliquit nobis exempla ut sequamur ipsum.

4 Sequendus est Christus. — Unde consequenter discipulos atque omnes exhortatur ad Passionis suæ sectanda vestigia, dicens : *Qui amat animam*, id est vitam *suam*, scilicet in hoc mundo, et ad bona mundana, et ad carnis desideria, volendo sibi hujuscemodi delectabilia, ut mundo vivat, et non Deo, vel eam cum necesse est pro Deo non ponendo, *perdet eam*, scilicet in vita æterna, et quantum ad bona æterna possidenda. *Et*, per contrarium, *qui odit animam suam*, id est vitam, *in hoc mundo* denegando sibi bona præsentia, et sustinendo mala, vel etiam, cum necesse est ponendo pro Deo, *in vitam* scilicet *æternam custodit eam*, id est vivet æternaliter cum eo. Ubi *Augustinus* : « Si male amaveris; tunc odisti, si bene oderis, tunc amasti. Felices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando ! » Et quod debeamus ipsum imitari in Passione, ostendit per rationem, inducens exemplum de se, ut sicut ipse fecit, ita et nos, si opus fuerit faciamus, et dicit : *Si quis mihi ministrat*, hoc est nomine et affectu quærit esse meus minister, *me sequatur*, id est me imitetur ; sequi enim imitari est. Quasi diceret : Rationabile est quod minister sequatur Dominum, si quis ergo me non sequitur, non mihi ministrat ; quia, secundum *Chrysostomum* oportet eum, qui ministrat, sequi eum cui ministrat. Oportet ergo discipulos Christi qui ei ministrant, sequi Christum per mortem, si oportuerit, et per bona opera, imitando ipsum. Illi quippe Christo ministrant, qui non sua, sed quæ Jesu Christi quærunt, et quæcumque bona sive in temporalibus, sive in spiritualibus propter Deum faciunt. Ministrant autem Christo Episcopi et clerici, in quantum ejus sacramenta fidelibus dispensant ; unde ait Apostolus : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* vivi. Item, quilibet fideles in quocumque ordine constituti qui mandata servant Christi ei ministrant ; unde Apostolus : *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros*. Ministrat enim Christo unusquisque monendo, docendo, corripiendo, benevolentiam, eleemosynam, et cetera misericordiæ opera impendendo. Et subjungit hujus sequelæ bravium, seu præmium, quia, si quis Christo digne ministraverit, et ipsum secutus fuerit, erit ubi Christus est : *Et ubi sum ego, illic et minister meus erit*. Et certe magnum est præmium esse cum Christo, sine quo nusquam est bene, et cum quo nusquam est male. Et deinde manifestius hoc dicit : nam, *si quis mihi ministraverit*, mandatis meis obediendo, me sequendo, et vestigia mea imitando, *honorificabit eum Pater meus* cœlestis, scilicet, in cœlis, ut sit cum Filio ejus, non æqualis divinitati, sed consociatus æternitati. Et certe magnus honor est, quod homo miser efficiatur beatus, exhereditatus heres Dei, coheres autem Christi. Beatus ille quem Deus honorificabit, ille enim ditabitur illis bonis, de quibus dicit Apostolus : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum !* Honor enim datur homini ab aliis hominibus in vita præsenti, in testimonium virtutis ; sed honor datus hominibus a Deo in gloria cœlesti, in præmium virtutis. *O Deus meus, misericordia mea, auctor et dator omnium virtutum, da nobis nunc in eis exercitium continuum, et tandem pro eis præmium sempiternum !*

5 Passiones in Christo aliter erant quam in nobis. — Et, quia discipulos hortatus fuerat ad tolerantiam mortis, exemplo sui, quem sequendum proposuit, consequenter confortat eos ut non turbentur et retrahantur propter infirmitatem naturæ ; quia recta ratio, non obstante turbatione animæ, secundum passiones partis sensitivæ, dirigit eam in bonas e

virtuosas operationes, ut velit fortis sustinere mortem, et etiam quæcumque contraria propter Deum et bonum virtutis; sic enim in Christo fuit,quod, non obstante turbatione sensualitatis, passus est, quod recta ratio suadebat.Unde ait:*Nunc anima mea*, sensualis, *turbata est*, id est affecta est quantum ad sensitivam, passionibus timoris et tristitiæ, ac naturali horrore, qui tamen est de voluntate. Anima enim hic accipitur pro sensualitate, id est pro appetitu sensitivo, in quo sunt passiones, non autem in ratione. Ac si dicat : Non vos turbet vel retrahat sensualitatis turbatio a recta et debita operatione, quia etiam anima mea turbata est, imminente Passione, et tamen hoc non obstante, mori eligo, obediens Patri pro vestra salute. Quia enim hortatus fuerat alios imitari mortem suam, ne forte aliquis ei diceret: Secure potes mortem subire, quia nihil mali sentis; ideo contrarium voluit ostendere per talem animæ turbationem, et per consequens non esse recedendum ab ejus imitatione propter naturalem animæ horrorem. Nam, si nullam passionem sensisset in anima, non fuisset sufficiens exemplum hominibus ad mortem sustinendam. Hujuscemodi autem passiones aliter fuerunt in Christo, et aliter sunt in nobis. In nobis enim sunt ex necessitate, in quantum quasi ab extrinseco commovemur et afficimur; in Christo non fuerunt ex necessitate, sed ex imperio rationis, ad ostendendum humanæ naturæ veritatem, et ad dandum nobis exemplum non recusandi mortem, et ad merendum nostram redemptionem, cum in eo nulla passio fuerit, nisi quam ipse voluntarie concitavit. Nam in tantum inferiores vires erant subditæ rationi in Christo, quod nihil aliud agere et pati poterant, nisi quod ratio volebat, quæ permisit agere animæ et viribus inferioribus quæ propria erant. Sic ergo turbata est anima Christi, quod nec supra rationem, nec contra eam, sed secundum rationis ordinem turbatio in ea fuerit.

6 Triplex utilitas turbationis in Deum supportatæ. — Deinde, volens ostendere quod non venit voluntatem infirmæ carnis, sed voluntatem Patris sui facere, ait : *Et quid dicam*, in hac et de hac turbatione? Non dicit : Quid faciam? quoniam sciebat quid esset facturus ; sed docet quid dicere, et quo fugere, et quem invocare, et in quem sperare debeamus, scilicet in Patrem qui salvat solus. Quasi diceret : Non habeo quid dicam ereptionem quærens, sed scio quid agam, quia passurus sum. Unde non recedam a cœpto proposito propter timorem periculorum, sed ex ratione sensualitatem superans, voluntatem meam voluntati divinæ conformabo; in quo dat exemplum nobis, ut similiter faciamus. Et hoc est quod subjungens dicit : Et, o tu *Pater*, *salvifica*, et salvum fac *me, ex hac hora* Passionis. Non dicit : in hac hora, in qua Pater eum morti exposuit, sed *ex hac hora*, quia inde eum glorificavit. *Sed propterea* voluntarie *veni in hanc horam*, scilicet Passionis et mortis, propterea veni in mundum, ut patiar, propter Patris obedientiam et humani generis salutem. Quasi diceret : Salvationem quæro, sed Passionem non recuso. Et, tu *Pater*, per hanc Passionem *clarifica nomen tuum*, me suscitando, quod est gloria nominis tui et clarificatio. Ubi ait *Augustinus* : « Docuit te quem invoces, cujus voluntatem tuæ voluntati præponas. Hominis suscepit infirmitatem, ut doceat dicere contristatum : *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* » Ex hac autem supportatione turbationis in Deum, homo triplicem percipit utilitatem. Prima est, quod sic turbatio alleviatur; si enim ex eo, quod quis amico conqueritur turbationem suam, alleviationem inde recipit, quanto fortius propter compassionem mutuam a Deo recipiet? Secunda est, quod turbatio meritoria efficitur ; si enim meritorium est Deo offerre rem temporalem, quam portas in bursa, multo magis, si offers id quod geris in animo. Tertia est, quod homo postea notabilem recipit consolationem, sicut patet de multis a tribulatione liberatis, sicut et hic.

7 Vox Patris æterni Christum glorificantis. — Nam statim venit vox de cœlo pro consolatione; unde sequitur: *Venit ergo vox de cœlo*, scilicet a Deo Patre, dicens: *Et clarificavi, et iterum clarificabo*, id est clarum genui ab æterno secundum divinitatem, et clarum etiam faciam, secundum humanitatem. Vel, secundum hominem *clarificavi* in Nativitate, quando Angeli cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo*, et Magi adoraverunt; clarificavi et in Baptismo, et in Transfiguratione, et in miraculis in vita per eum factis; *et iterum clarificabo*, per signa deitatis, in Passione, in qua triumphabit de diabolo, et in Resurrectione, et in Ascensione, et in totius mundi conversione, et maxime in judicio. *Turba ergo*, id est quidam magis rudes, stantes et audientes, sonumque vocis non significationem percipientes, *dicebant tonitruum esse factum*, id est, aliquid per modum soni confusi, tamen hoc dicebant factum propter Dominum; *alii* autem, magis perspicaces articulationem vocis intelligentes, *dicebant* quod *Angelus ei locutus est*. Credebant enim eum esse hominem purum, et ideo dicebant Angelum ei esse locutum, sicut aliquando in Scriptura dicitur, quod Angeli Prophetis loquebantur. Sed vox illa fuit paterna, et formata a tota Trinitate, cum ejus opera sint indivisa; verumtamen fuit specialius vox Patris quæ fuit formata ad repræsentandum personam ejus. *Et respondit Jesus, et dixit*: *Non propter me*, scilicet instruendum, qui testimonio vel consolatore vel clarificatore alio a me non indigeo, *hæc vox* testificans *venit* de cœlo; *sed propter vos*, id est in instructionem vestram, qui instructione indigetis et testimonio, scilicet ut credatis, quia ego ex Deo sum. Unde ostendit hanc vocem nihil sibi indicasse quod ante nescisset; sed ignorantibus quibus indicari oportebat, et propter instructionem populi circumstantis, ut cognoscerent ipsum Jesum esse Christum, cui de cœlo dabatur testimonium. Sicut ergo anima ejus non propter eum, sed propter alios voluntarie turbata est; sic ista vox non propter eum, sed propter alios aliqua dispensatione divinitus facta est.

8 Judicium principis hujus mundi. — Et, quia dixit vox: *Et iterum clarificabo*, consequenter modum ostendit clarificationis, dicens: *Nunc*, scilicet in hoc tempore Passionis, rectum *judicium est*, non condemnationis, sed discretionis, *mundi*, id est pro mundo contra diabolum, hoc est nunc pro mundo a potestate tenebrarum liberando judicabitur, et separabitur mundus a potestate diaboli, et eripietur: et hoc est judicium discretionis quo discernuntur et separantur multi a potestate inimici; a tempore quoque Passionis Christi discreti sunt fideles credentes, ab obstinatis contra fidem. In futuro autem, erit judicium condemnationis infidelium, et præmiationis credentium. Unde exponendo subdit effectum judicii: *Nunc princeps hujus mundi*, id est amatorum mundi, et malorum hominum qui habitant in mundo, scilicet diabolus, qui ab Adam usque nunc fuit dominatus, et adhuc dominatur in malis mundo deditis; et dicitur princeps mundi, non quia sit dominus substantiæ mundi, sed hominum mundialiter viventium, in quantum se subjiciunt ei per peccatum, *ejicietur*, et repelletur *foras*, a redemptis et liberatis, et potestatem homines post se trahendi perdet hoc judicio, per Christum et virtutem Passionis ejus, per quam aperta est janua gloriæ; a cujus consecutione diabolus non potest impedire, et post se trahere Sanctos, sicut ante faciebat. Per Passionem etiam Domini data est homini virtus resistendi diabolo, quia per eam fortiores sumus ad resistendum; nec modo ita facile homines seducere vel adeo tentare potest ut prius, nec permittitur facere quantum potest et vellet. Justum est enim quod sicut princeps mortis per peccatum hominem sibi subjecit ad mortem; sic, qui Christum procuravit interfici injuste, merito et digne ejiciatur, ne deinceps justis hominibus per Christum redemptis, principetur. Permittitur tamen tentare homines, ad exercitium, et meritum ele-

ctorum. Et declarat modum per quem ejicitur foras, quia per mortem crucis et resurrectionem; unde subdit: *Et ego, si*, id est cum, non dubitat futurum esse quod venit adimplere, *exaltatus fuero a terra*, scilicet in cruce, *omnia*, scilicet electa et prædestinata ad salutem, ex quibus diabolus ejicitur, *traham ad meipsum*, ut sim caput, et illa membra, spoliando illum qui decipiendo injuste deprædatus fuerat. Vel, *traham* omnia genera hominum, quia de omnibus generibus hominum aliqui sunt tracti, scilicet de omnibus linguis, de omnibus ritibus, de omnibus ætatibus, et de omnibus gradibus; et sic traxit ad se omnia quia homo dicitur omnis creatura. Nam amore, quo pro nobis passus est, trahit nos ad seipsum; ex amore enim ostenso in cruce ad genus humanum, habet vim attractivam mentium, sicut lapis magnes attrahit ad se ferrum. Christi autem crucifixio ideo dicitur exaltatio, quia corpus ejus fuit exaltatum in cruce, sicut vexillum in aere, ad debellandum aereas potestates, et quia semet humiliavit usque ad mortem crucis, ideo Deus exaltavit illum, et ipse exaltatus exaltavit suos. Per Passionem ergo habuit victoriam de diabolo; unde hoc ipsum omnia trahere, est principem mundi hujus ejicere. *non enim est conventio Christi ad Belial, et lucis ad tenebras.*

9 Cur Christus in aere exaltari et in cruce mori voluerit? *Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus*, scilicet per supplicium crucis exaltatus in aere; unde nota quod Christus noluit mori in aliqua domo, nec sub tecto, sed in aere voluit exaltari ex causa triplici; aer quidem elementum est commune, et idcirco potest homo habere propriam terram, aquam, vel proprium ignem, sed nemo potest habere proprium aerem. Christus ergo voluit in aere exaltari: — Primo, ad innuendum quod sicut aer est communis, sic et Christi Passio, nam passiones aliorum Sanctorum fuerunt propriæ quia quilibet passus est propter se; Passio autem Christi communis fuit: Angelis, quia sunt reparati; hominibus, quia inde sunt salvati. — Secundo, ad innuendum quod sicut aer est medius inter cœlum et terram; sic Christus etiam fuit mediator inter Deum et hominem, quia cum Deo convenit ratione naturæ divinæ, cum homine ratione naturæ humanæ. Erat autem quædam discordia inter Deum et hominem, et ideo venit Jesus, et se ostendit mediatorem. — Tertio, ut ipsum aerem mundaret; sanctificaverat etenim terram triginta annis super eam ambulando, sanctificaverat et aquam in ipsa se baptizari faciendo, sanctificaverat et ignem Spiritum Sanctum in specie ignis mittendo; restabat ut sanctificaret aerem, non sub tecto, sed in aere moriendo. Pluribus etiam de causis voluit mori morte crucis: una, propter mortis turpitudidem, ut hominem nec ipsa mortis turpitudo a perfectione justitiæ repellat; item, quia hoc genus mortis per modum exaltationis conveniebat fructui, causæ et figuræ Passionis. Fructui quidem conveniebat, quia per Passionem exaltandus erat a Patre. Causæ autem Passionis conveniebat dupliciter, scilicet: et ex parte hominum, pro quorum salute moriebatur; ipsi enim perierant, quia dejecti et demersi erant ad terrena. et ideo voluit mori exaltatus, ut nos elevaret ad cœlestia; et ex parte dæmonum, ut scilicet eos, qui, in aere, principatum et potestatem exercebant, ipse elevatus in aere conculcaret. Figuræ vero conveniebat, quia Dominus serpentem æneum in deserto fieri præcepit, et sicut ille serpens exaltatus fuit in palo, ita et Dominus in cruce.

10 Paucitas Christo credentium eumque confitentium. — *Cum autem* Dominus *tanta* et tam magna *signa fecisset coram eis*, in miraculis, et in doctrina, et in revelatione secretorum cordis, et futurorum contingentium, per quæ declarata erat divinitas ejus, *non* tamen *credebant in eum*, scilicet pro majori parte; et in hoc completæ sunt Scripturæ Phophetarum, eorum obstinationem et excæcationem prædicentium. Consueverant enim dicere: Quod signum os-

endis nobis ut credamus tibi? Sed cce, cum tanta signa fecisset, non idirco crediderunt ei. *Verumtamen, et x principibus*, id est Legisperitis et acerdotibus, *multi crediderunt* tunc n *eum*, propter miracula et impletioem Scripturarum, sicut et Nicodeus. unus eorum, qui alias venerat d Jesum nocte, et Gamaliel, et Joeph ab Arimathia, et alii quamplues; *sed propter Pharisæos non confiebantur* manifeste, *ut e synagoga eoum non ejicerentur:* quia jam consiraverant quod confitentes ipsum ese Christum, de societate Judæorum xpellerentur, quod apud os valde gnominiosum erat. Ejectio enim de ynagoga reputabatur magna, sicut pud nos ejectio per excommunicationem de Ecclesia. Causa vero et radix ujus defectus, scilicet, quare Judæi on confitebantur, erat superbia et nanis gloria: *Dilexerunt enim gloriam hominum*, et honorem mundanum in lignitatibus et in laudibus humanis, *nagis quam gloriam Dei*, et meritum ro Dei gloria sperandum, cui soli lebetur honor et gloria. Ex hoc enim uod publice confitebantur, amittebant gloriam hominum, licet ex hoc onsequerentur gloriam Dei; isti autem magis elegerunt privari gloria Dei, nolentes publice confiteri, quam gloria hominum, cupientes a mundanis honorari, non attendentes ad dictum Apostoli: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Isti hodie multos habent sequaces, scilicet pro mundi gloria se et sua prodigaliter exponentes, et parum aut nihil pro Dei gloria promerenda facientes. Unde eorum fides insufficiens erat; non enim sufficit corde credere ad justitiam, sed oportet etiam ore confiteri ad salutem. Et in hoc, humana gloria est parvipendenda, et omnis pœna patienter toleranda, quia omnis pœna, quæ pro justitia sustinetur, est meritoria, ut cum Apostolo quilibet dicat: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Et, ideo secundum *Augustinum*, Dominus crucem suam in frontibus credentium fixit, ubi quodammodo sedes est verecundiæ, ut de nomine ejus fidelis non erubescat, et ut magis Dei gloriam quam gloriam hominum diligat; unde ille, qui in missa, Evangelium legit, et etiam illi qui illud audiunt, signo crucis se signant.

11 A JUDÆIS ABSCONDIT SE DOMINUS. — Postquam autem *hæc locutus est* Dominus *Jesus*, qui scrutatur corda hominum, cognoscens furorem illorum, et malitiam quam jam de eo occidendo conceperant, et volens eos prævenire, non exspectavit ut in opus irent; sed *et abiit*, recedendo a persecutoribus suis, quia jam non recipiebant ejus doctrinam, *et abscondit se ab eis*, sic mitigans illorum invidiam et furorem, quia nondum venerat hora Passionis suæ. In quo nobis exemplum dedit, ut cum de aliquorum malitia nobis constat, etiam antequam patrare opere tentent, fugere debeamus. *Abscondit se ab eis*, faciem cognitionis suæ eis subducendo, quod excæcationem ipsorum, et transitum fidei a Judæis ad Gentes significabat. *Et cum vespera facta esset, egrediebatur* Dominus cum discipulis duodecim *de civitate*, et rediit in Bethaniam, ibi mites et justos de regno Dei docens; in die vero, contra perversos et malos aspere loquens, eosque pro moribus pravis redarguens; et nos eum in hoc imitari erudiens.

ORATIO

Domine Jesu Christe, da mihi ut non solum folia, hoc est verba et æstinationem justitiæ; sed ut fructus operum habeam, ne a te umquam maleditionem incurram. Da mihi, ut tamquam verus tuus minister, pro modulo neo te sequar, ut ubi tu es, et ego esse merear. Trahe me post te, bone Jesu; on trahat dulcedo seculi, sed trahat me suavitas amoris tui. Sit tecum in

cœlo jugiter intentio mea, sit mecum in terra continuo protectio tua; adhæream tibi inseparabiliter, serviam tibi perseveranter, quæram te fideliter, inveniam te feliciter, possideam te æternaliter, Rex meus et Deus meus. Amen.

CAPUT XXXII

DE DUOBUS FILIIS, QUORUM UNUS IN VINEAM IVIT, ALIUS IRE NEGLEXIT.

Matthæi cap. XXI.

1 EFFECTUS MALEDICTIONIS CHRISTI IN FICULNEAM. — *Et cum* tertio sabbati, hoc est feria tertia, iterum *mane*, revertendo ad civitatem Jerusalem, *transirent* Dominus et discipuli ejus circa locum ubi ipse maledixit ficulneæ, *viderunt* discipuli *ficum aridam factam a radicibus*, id est a fundamentis, quæ erant sacerdotes et Scribæ, amplius quam prima die; et mirati sunt de subita arboris exsiccatione. Nec mirum si continuo aruit, quia sermo Domini maledicentis quasi flamma ad radices descendit.

2 QUÆSTIO PRINCIPUM SACERDOTUM DE CHRISTI POTESTATE. — *Et cum venisset in templum*, id est in atrium templi, ubi conveniebant homines ad orandum, et verbum Dei audiendum, ut doceret, oraret, et exemplum daret, *accesserunt*, non ut docerentur cum populo, sed ut docentem caperent in verbo, *ad eum docentem*, id est dum doceret, quando præcipue impediendus non erat, *principes sacerdotum*, quos non excusat ignorantia, *et seniores populi*, a quibus egressa est iniquitas. Nam, secundum *Chrysostomum*, dicebant sacerdotes, apud se metipsos: Nos sumus columnæ templi, ecce super illum tota recumbit Ecclesia; nos, sumus quasi tacentium Scripturarum lingua visibilis, et ecce ille resonat in medio templi et nos contempti quasi cithara dissipata tacemus; nos fuimus patres, modo iste generat filios, et nos steriles sumus. Quasi dicerent: Multum vilificamur. Hi ergo accesserunt, *dicentes*: *Dic nobis*, quia ad officium nostrum pertinet hoc inquirere et scire, *in qua potestate hæc facis*, an propria, scilicet an aliunde tibi commissa? *Et quis tibi dedit hanc potestatem*, ut ista facias? Quasi ei dicerent: Quid est quod ejicis de templo quos vis, cum non sis ostiarius, et quare doces, nobis inconsultis? Quærunt qua auctoritate ista facit: quia auctoritatem ejiciendi de templo habebant ostiarii, et autoritatem docendi in templo sacerdotes et Legis doctores, ad hoc a principibus sacerdotum assignati, et non alii. Christus autem neutram auctoritatem videbatur habere; sed magis usurpare. Subintelligunt enim eum operari per diabolum et diaboli esse quod facit, sicut supra dixerunt, quod in Beelzebub dæmonia ejiceret. Quasi, secundum *Chrysostomum*, vellent dicere: Tu de sacerdotali familia non es, senatus hoc tibi non donavit neque Cæsar; in qua ergo potestate hoc facis? Numquid in Beelzebub principe dæmoniorum? Jesus autem oppositioni reddidit oppositionem, non solutionem, quasi clavum retundens. *Respondens* enim Dominus *Jesus dixit eis*: *Interrogabo vos et ego unum sermonem*; *quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in qua potestate hæc facio*. Qui ergo aperta responsione tentatorum calumniam confutare poterat, prudenter eos interrogat, ut ipsi vel suo silentio, vel sua responsione et sententia convincantur. Calumnians enim melius interrogatione, quam directa ratiocinatione vel responsione, ad inconveniens ducitur. Ille namque est optimus modus respondendi et concludendi contra malignantes, quando ex suis propriis verbis et responsis arguuntur. Per hoc quoque ostendit Christus quod malignantibus quales

isti erant, non sunt secreta Dei revelanda; sed eorum malitia prudenter est declinanda.

3 Interrogatio Domini de Joannis baptismo. — Interrogavit ergo eos sic : *Baptismus Joannis, unde erat? E cœlo, an ex hominibus*, id est ex Dei præcepto et divina ordinatione, an ex hominum adinventione, et ex humana institutione? *At illi* stupefacti ad interrogationem, *cogitabant intra se*, viam respondendi; sed non habebant, videntes ex quacumque responsione suam confusionem. Nam si dixissent baptismum Joannis esse de cœlo, id est ex cœlesti et divino instituto esse, patenter convincebantur, quia non crediderunt Joanni dicenti ipsum Dominum de cœlo venisse, et perhibenti ei testimonium de potestate. Qui enim credit Joanni, credit utique et Christo, quia Joannes Christo testimonium perhibuit ipsum prædicando, et Dei Filium esse nuntiando. Quasi vellet dicere : Ille mihi testimonium perhibuit, quem confitemini habuisse prophetiam de cœlo, et ab illo audistis in qua potestate hæc facio, quia ille hoc demonstravit, testimonium mihi perhibendo. Si autem dixissent baptismum Joannis esse de terra et institutione humana, periculum mortis incurrissent ad populum, et tamquam blasphemi essent lapidandi; quia populus, qui pro majori parte Joannis baptismum susceperat, eum ex vita et doctrina, ac Christi testimonio Prophetam sanctum et verum, a Deo missum reputabat, et per consequens verba ejus et facta a Deo esse sentiebat. Viderunt ergo, ut ait *Beda*, quodlibet horum respondissent in laqueum se casuros, timentes scilicet plebis lapidationem; sed magis timentes veritatis confessionem. *Respondentes* igitur *Jesu dixerunt : Nescimus*, ast mendaciter dicentibus eis se nescire ait Jesus: *Neque ego vobis dico, in qua potestate hæc facio.* Non dico vobis quod scio, uia non vultis fateri quod scitis. Quia ergo dicebant, se nescire quod tamen sciebant, noluit eis de se apere veritatem de hoc quod quærebant; et justissime confusi sunt. Ex sua enim taciturnitate compulsi sunt a sua petitione cessare. Nam, secundum *Chrysostomum*, mendacia, si non habent quem decipiant, ipsa sibi mentiuntur. Duabus quippe de causis, secundum *Bedam*, occultatur veritas : vel, quia auditores minus capaces sunt ad intelligendum, unde dicitur : *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*; vel, quia ex odio et contemptu indigni sunt quibus aperiatur, unde dicitur : *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos*: et hic utrumque concurrebat. Et tertia causa addi potest, scilicet assiduitas prædicandi; assidua enim prædicatio vilescit. Voluit ergo Christus ostendere de facto et exemplo, quod licet uti cautelis contra cautelas malorum insidiantium bonis. Unde dicit *Chrysostomus*, quod interrogantem oportet docere, tentantem confundere.

4 Parabola de duobus filiis Judæis et Gentibus applicata. — Quod autem aperienda erat veritas suæ potestatis et prædicationis aliis et non ipsis, et quare, indicavit per parabolam duorum filiorum. *Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea. Ille autem respondens, ait : Nolo. Postea autem, pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum dixit similiter. At ille respondens, ait : Eo, domine, et non ivit.* Homo iste, qui duos filios habuit est Deus, scilicet Pater, qui dicitur homo ratione mansuetudinis quam ad hominem habuit, qui etiam omnes homines paterno affectu creavit; et cum sit natura Dominus, tamen magis vult diligi quasi Pater, quam timeri quasi Dominus. Primus filius tempore et origine, non tamen dignitate et Dei cognitione, est populus Gentium, alter populus Judæorum; quia Gentes erant ex tempore Noe, Judæi autem ex tempore Abraham. Operari autem vineam est facere justitiam, quam generaliter quidem in natura omnium hominum Deus plantavit, specialiter autem Judæis eam in libro vitæ dedit; cujus diversæ vites sunt diversæ justitiarum species. Primo filio primum dixit per naturalis legis

impressionem et notitiam : *Vade, operare*, id est in tempore hujus seculi, fac legis naturalis justitiam quæ est : Hoc facias alii quod tibi vis fieri, et quod tibi non vis fieri ne feceris alteri. *Operare*, inquam, *in vinea mea*, id est in Ecclesia, extra quam non est locus operandi meritorie. Locutus est autem ei non facie ut homo, sed in corde ut Deus ingerens intellectum sensibus; quia numquam Deus destitit homines incitare ad bonum per occultos instinctus. Unde ait *Chrysostomus :* « Posuit Deus spiritum scientiæ boni et mali in hominibus, ut quotiescumque peccamus, ille in silentio, quasi factum nostrum accuset, qui in conscientia tacite ad animam loquitur, dicens : Malum est hoc, et hoc bonum est. » Ille autem, scilicet primus filius licet in cogitatu, superbe respondens, ait : *Nolo*, quia bonum relinquendo et malum eligendo aperte contumax fuit; legi enim naturali non obedivit, et libero arbitrio abusus est. Unde ait idem *Chrysostomus :* « Quomodo dixit : *Nolo?* In cogitatu. Qui ergo habens intellectum boni et mali relinquit bonum, et sequitur malum in cogitationibus suis, contra præceptum Domini respondere videtur: Nolo, id est contra intellectum suum creatum sibi a Domino facit : » hæc *Chrysostomus*. Sed postea in adventu Salvatoris; ad prædicationem Christi atque Apostolorum credens, pœnitentia motus, operatus est in vinea Dei, et sermonis contumaciam labore correxit, quia summo Deo colla submisit, et nunc cultu fidei ipsi placet. Alteri autem filio Deus postea dixit, per Mosaicæ Legis dationem : Vade, et operare in vinea mea; et fac justitiæ opera. Qui respondens, ait : Eo, quia primum Deo servire vovit, et se ad serviendum Deo, per susceptionem Legis Mosaicæ, obligavit, dicens Moysi : *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus*; sed non ivit, et quod ore respondit, opere non implevit, quia in servitio Dei non remansit, et Legem susceptam non observavit, nec non ad idololatriam et ad infinita mala declinavit, et nunc Christi cultum negat. Induxit autem Dominus hanc parabolam, eos interrogando, ut propria responsione illos impietatis ministros argueret, et proprio judicio condemnarentur.

5 Publicani et meretrices sæpe alios præcedunt in regno Dei. — Cum ergo quæsisset : *Quis ex duobus fecit voluntatem patris?* illi respondentes : *dicunt ei : Primus*, non intelligentes de semetipsis dictam parabolam, et nescientes, quia in responsione exprimerent condemnationem suam. Intulit ergo Dominus, et ex responsione propria illos confutavit, confirmans prolatam ab ipsis sententiam ; sequitur enim : *dicit illis Jesus : Amen, dico vobis, quia publicani et meretrices*, scilicet non qui tales sunt, sed qui fuerunt, *præcedent vos in regnum Dei*, id est in Ecclesiam militantem, per fidem et pœnitentiam, et in Ecclesiam triumphantem, per gloriam, vobis extra derelictis, per infidelitatem. Primus enim filius, quia fecit voluntatem patris, dignus est misericordia; secundus, quia neglexit, dignus est reprobatione et pœna. Quia illis diceret : Non solum Gentiles meliores sunt vobis Judæis, sicut et ipsi judicastis ; sed et pessimi de Gentilibus, scilicet publicani atque meretrices, qui inter vos manifeste sunt turpissimæ vitæ, erunt majoris meriti apud Deum quam vos, quia melius est non promittere, et facere justitiam Dei, quam promittere et mentiri. Et, secundum *Augustinum*, simulata æquitas duplex est iniquitas; et hoc vitium potissime tunc vigebat in sacerdotibus et levitis. Igitur, secundum *Origenem*, potes uti parabola ista ad eos qui modicum quidem aut nihil promittunt, operibus autem ostendunt; et contra eos qui magna promittunt, nihil autem vel parum, secundum suam promissionem, agunt. Nam hodie, heu ! multi, etiam religiosi, non solum legis Scripturæ. sed etiam legis naturalis justitiam derelinquunt; et ideo non misericordia cum filio primo, sed potius pœna cum secundo filio digni sunt. Ubi *Chrysostomus :* « Puto autem quod ex persona omnium virorum peccatorum, publicani ponantur; et ex persona omnium mulierum meretricum, me-

retrices. Quamvis enim multa sint peccata in viris et mulieribus, præter ista, præcipue tamen avaritia in viris abundat, fornicatio autem in mulieribus. Mulier enim quæ in domo sua sedet inclusa, facile peccatum fornicationis incurrit; quia hoc vitium facile ex vacantia et otio nascitur. Nam qui sollicitudinibus animum habet occupatum, non facile fornicationi operam dat; diffinitio enim amoris hæc est vacantis passio. Vir autem, qui in actibus rerum diversarum est assidue, avaritiæ peccatum facile incurrit; in fornicatione autem non facile, nisi forte multum sit lascivus. Nam occupatio virilium sollicitudinum suggestionem voluptatis plerumque excludit; unde proprium est hoc adolescentium nihil agentium: » hæc *Chrysostomus*. Deinde, subjungit Dominus causam reprobationis Judæorum, quæ est contemptus credendi, quem aggravat et sanctitas Joannis, et exemplum conversionis peccatorum; quia, publicanis et meretricibus Joanni credentibus, et ad prædicationem ejus pœnitentiam agentibus, ipsi non crediderunt Joanni doctrinam ejus audiendo, et opera ejus imitando, qui venit ad eos in via justitiæ, qui opera perfectionis faciebat, et Christum, qui est ipsa justitia, annuntiabat. Et non solum hoc non fecerunt; sed nec postquam publicanos et meretrices credentes et pœnitentes viderunt, confusi sunt, aut compuncti, ut crederent, vel illorum exemplum sequerentur, quibus ipsi exemplum esse debuerant; ex quo sequitur aggravatio peccati ipsorum, quia nec præcedere, nec sequi illos in fide et pœnitentia voluerunt.

6 Applicatio ejusdem parabolæ ad laicos et clericos. — Laici etiam et sacerdotes duo filii possunt intelligi: et sic populus prior filius; sacerdos autem secundus. Unde *Chrysostomus*: « Duos etiam filios dicit: laicorum conditionem, et ordinem sacerdotum. Quis est prior filius? Populus. Prior enim populus creatus est; deinde sacerdotes, qui regerent populum. Non enim populus propter sacerdotes creatus est; sed sacerdotes propter populum. Denique populus Dei ex tempore Abrahæ cœpit; sacerdotes autem, de tempore Aaron. Et populares, per hoc ipsum quod singularem suscipiunt vitam, denegare videntur obedientiam Deo. Sacerdotes autem magis videntur obedientiam promittere Deo, præcipue per hoc ipsum quod specialiter in ministerio Dei constituuntur. Nam, qui doctor populi constituitur, sine dubio profitetur talem se fore, qualem oportet esse doctorem. Sacerdos ergo, et omnis clericus, etsi specialiter non promittat; tamen per hoc ipsum quod doctor constituitur aliorum, tacite promittere Deo videtur in omnibus obauditurum se Deum. Et melior est laicus, qui in prima facie secularem profitetur vitam, revera autem studet vivere spiritualiter, quam sacerdos, qui in prima quidem facie profitetur vitam spiritualem, revera autem complectitur vitam carnalem. Et melior est etiam laicus ante Deum pœnitentiam agens, quam clericus permanens in peccatis. Laicus autem in die judicii stolam sacerdotalem accipiet, ideo et in chrismate sic unguntur omnes sicut in sacerdotio; sacerdos autem peccator, spoliatus sacerdotii dignitate quam habuit, erit inter infideles et hypocritas. Unde et modo, secularis homo post peccatum facile ad pœnitentiam venit; nam occupatus negligentia seculari, dum Scripturis non satis attendit, semper quæ in Scripturis posita sunt nova ei videntur, ideoque, cum audierit aliquid de gloria Sanctorum, aut de pœna peccatorum, quasi novum aliquid audiens expavescit, et dum bona concupiscit, aut mala timet, compunctus ad pœnitentiam cito recurrit. Nihil autem impossibilius, quam illum corrigere, qui scit omnia, et tamen contemnens bonum, diligit malum. Omnia enim quæ sunt in Scripturis, propter meditationem quotidianam ante oculos ejus inveterata et vilia æstimantur; nam et quidquid terribile est, usu vilescit. Propterea clericus, qui semper meditatur, Scripturas: aut omnino eas observaturus est, et erit perfectus; aut si semel cœperit illas con-

temnere, numquam excitatur in illis ut timeat. Quis enim aliquando vidit clericum cito pœnitentiam agentem? Et, si deprehensus humiliaverit semetipsum non ideo dolet, quia peccavit; sed confunditur, quia perdidit gloriam suam. Putasne Dominus, quasi crudelis, clericis pœnitentiam denegavit, dicens : *Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* Sed quasi naturale esse considerans, hoc dixit, quia non est qui doceat illum errantem qui alios corrigebat. Ideo, non dico populares, quia secundum rationem verbi vitam suam dispensant; sed publicani et meretrices, qui desideriis mundialibus et voluptatibus carnalibus seipsos mancipaverunt, præcedent vos in regnum Dei, quia illi conversi desinunt esse quod erant, vos vero denegatis in opere, quod videmini profiteri in verbo, tamquam arbores folia sine fructu habentes, non pascentes Dominum suum, sed deludentes : » hæc *Chrysostomus.* Per proprium etiam filium, qui primo renuit patris præceptum, sed postea fecit, significantur peccatores, qui male vivendo Deo servire negant; sed postea pœnitentes viriliter operantur. Per secundum vero filium, qui facere voluntatem patris promisit, et non fecit, significantur illi qui operari virtuose promittunt, sed non faciunt, de quibus sunt multi religiosi, profitentes servare magna, scilicet evangelica consilia, cum tamen non servent etiam præcepta; propter quod seculares, etiam peccatores, sed tamen postea pœnitentes, eis coram Domino præponuntur, cum dicitur : *Quia publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Nullus ergo peccator diffidat, nullus e converso justus præsumat, cum peccatores, per pœnitentiam, quandoque alios in regno Dei præcedant.

ORATIO

Domine Jesu Christe, Doctor bone, da mihi veritatem corde credere, et ore atque opere, prout oportet, confiteri; malignorum spirituum et hominum cautelas, et astutias sapienter declinare. Da mihi legis naturalis cordibus nostris impressæ, et legis scriptæ in libris nobis datæ, justitiam facere; et tuam in omnibus voluntatem adimplere, ut non cum secundo filio pœnam, sed cum primo misericordiam apud te merear consequi; ac cum vere pœnitentibus gratiam in Ecclesia militante, et gloriam in triumphante misericorditer invenire. Amen.

CAPUT XXXIII

DE LOCATIONE VINEÆ ET SANGUINARIIS VINITORIBUS.

Matthæi cap. XXI.

1 PARABOLA VINEÆ LOCATÆ JUDÆIS INGRATIS APPLICATA. — Ad idem Jesus aliam parabolam proposuit eis, scilicet principibus sacerdotum et senioribus populi. *Audite,* ait, *alium parabolam : Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis,* seu colonis; *et peregre profectus est.* Illi autem, scilicet agricolæ servos suos ad recipiendum fructus missos male tractaverunt, et occiderunt; et novissime filium missum heredem cognoscentes, et hereditatem habere volentes, apprehenderunt, et extra vineam ejicientes, etiam occiderunt. Et interrogati, quid faceret

dominus vineæ colonis istis, *aiunt illi: Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Quibus ipse ait: *Ideo dico vobis, quia auferetur* ab eis, scilicet *a vobis regnum Dei ; et dabitur genti facienti fructus ejus.* In hac parabola describit multipliciter malitiam et ingratitudinem Judæorum, quibus Deus pater familias, qui natura Dominus, benevolentia pater, homo mansuetudine non natura, similitudine non veritate, multa beneficia contulit. Domus autem Israel, et synagoga vinea est, ex electis personis Patriarcharum et Prophetarum, sicut ex vitibus optimis quam de Ægypto transtulit, et in terra promissionis plantavit; cui sepem circumdedit, custodiam quidem triplicem, scilicet: angelicam super muros Jerusalem ; et humanam, scilicet protectionem bellicorum virorum; et terrenam, scilicet munitionem murorum. Et fodit in ea torcular, id est legem justitiæ, ac timorem comprimentem, et malos torquentem, et hoc fodit : signis, minis et promissis ; et ibi ædificavit turrim, scilicet templum ad cultum divinum, quod dicitur turris, propter securitatem refugii, respectu aliarum nationum. Et locavit eam agricolis et operariis, scilicet sacerdotibus et principibus, qui debent exstirpare vitia tamquam spinas, et inserere virtutes tamquam bona semina, ac servare cultum divinum, et justitiam in hominibus. Et pergere profectus est, non loci mutatione, quia Deus est ubique, sed quoniam vinitoribus liberum arbitrium reliquit; vel, propter longanimitatem, quam in spectando ut a peccatis converterentur habuit; vel, propter ipsorum negligentiam, quia, secundum *Ambrosium*, qui ubique præsens est, diligentibus præsentior, et negligentibus absentior, est. *Cum autem tempus fructuum appropinquasset,* quia post Legem susceptam debebant facere fructum bonorum operum, *misit servos suos*, id est primos Prophetas *ad agricolas*, id est ad reges et sacerdotes principaliter, et ad alios subjectos eis consequenter; *ut perciperent fructus ejus*, eos per prædicationem suam, ad fructum bonorum operum reducendo. *Et agricolæ, apprehensis servis ejus*, quoniam multi reges et sacerdotes Prophetas ad se missos a Domino turpiter comprehendentes, eos male tractaverunt : *alium enim ceciderunt, alium occiderunt alium vero lapidaverunt. Iterum misit alios servos plures prioribus,* multiplicando scilicet Prophetas, ad populi correctionem; *et fecerunt eis similiter*, quia ipsi ingrati Deum inhonoraverunt, et similiter illos Prophetas persecuti sunt et interfecerunt. *Novissime autem*, id est in ultimis temporibus, *misit Filium suum,* pro nobis incarnatum quem heredem universorum et principem cognoscentes, *ejecerunt extra vineam*, negando, vel, quia extra portam Jerosolymorum *occiderunt* crucifigendo, volentes habere hereditatem ejus temporalem, scilicet possessionem ; cogitabant enim intra se: Si istum populus habeat Dominum, necesse est ut amittamus consuetudinem victimarum et hostiarum, quæ ad nostrum parata est lucrum; si autem occidamus eum, sic semper tenebitur consuetudo offerendarum hostiarum, et sic fiet nostra possessio, et erit nostra hereditas. Venit autem Dominus ad judicandum, et istud factum vindicandum, quando ex ejus ordinatione venit contra Judæos exercitus Romanorum ; et malos male perdidit, quando civitatem eorum et templum per Romanos destruxit, ac populum occidi et captivari fecit.

2 Item Ecclesiæ, quæ est Christi hereditas. — Hereditas Christi est etiam Ecclesia quam Judæi præcipue moliebantur, dum, fide ejus exstincta, justitiam quæ ex Lege est, persuadere Gentilibus conabantur. Hæc fecerunt, ut sic ingrati mali male perdantur, et merito damnentur, et ab eis regnum Dei, scilicet : Christus, Scriptura sacra, seu Scripturarum intelligentia, fides, Ecclesia, et vita æterna auferatur; et hoc pertinet ad Judæorum reprobationem. Sed quod sequitur, pertinet ad Gentilium conversionem : vinea enim Ecclesiæ loca-

tur aliis agricolis, quia, Ecclesiam suam Christus regendam tradidit Apostolis et aliis discipulis, *qui reddant ei fructum temporibus suis*, quia ob prædicationem eorum credidit multitudo Gentium, ut regnum cœlorum detur aliis, scilicet Gentibus ab Oriente et Occidente, ab Austro et Aquilone venientibus, qui facient fructum cordis credendo, et oris confitendo, et operis serviendo, et corporis patiendo, *et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno Dei*; et ipsi Judæi *ejicientur in tenebras exteriores*. Mystice, totum potest exponi de Ecclesia, hoc modo : quia *homo*, id est Christus, *plantavit vineam*, id est Ecclesiam sanguine suo, et de latere suo formatam, in qua tot sunt differentiæ palmitum, quot sunt differentiæ hominum ; *et circumdedit ei sepem*, id est evangelicam doctrinam, vel Angelorum custodiam; *et fodit in ea torcular*, id est crucem Christi, vel Martyrum patientiam; *et ædificavit turrim*, scilicet matrem Christi, vel contemplationem Christi, Confessorum et Doctorum, vel fidem de qua Ecclesia se defendit contra hostes; *et locavit eam agricolis*, id est prælatis, quorum variis ministeriis regitur et gubernatur ; *et profectus est*, ut supra exponitur. *Et misit servos*, id est bonos ad arguendum malos; *et aliquos cæciderunt, et alios occiderunt*, ut patet de multis. Deinde mittitur Christus Filius invisibiliter a Patre, quando aliquem instigat ad bonum ; sed aliqui sunt ingrati, ejus instinctum non solum repellentes, sed etiam pessime agentes, propter quod, quantum in eis est, occidunt eum. De quibus dicit Apostolus: *Rursum crucifigentes Filium Dei*, et sic ex Dei justitia perduntur, et vinea aliis locatur, cum eorum loco boni subrogantur.

3 Applicatur etiam animæ rationali et statui religioso. — Potest etiam per vineam istam intelligi anima rationalis, homini per Deum locata, quia ad hoc infunditur corpori, ut, ipso mediante, faciat fructum bonorum operum, et multa merita acquirat; quæ bona facta per hominem, sunt tamquam vites. Et in quolibet bono hominis, sive sit bona cogitatio, vel bona operatio, vel bona locutio, crescunt quinque uvæ, quarum quatuor remanent homini, quinta vero debetur Deo. Quæ uvæ sunt: cordis jucunditas, culpæ remissio, æternæ mortis vitatio, æternæ gloriæ acquisitio ; quinta uva est gloria Dei, istam non nobis, sed Deo dare debemus. — Potest insuper exponi de religione, cujus fundatio est maxime in triplici voto, quod dicitur divina plantatio; sepes, regula et constitutiones ; torcular, lectio et studium Scripturæ ; turris, prædicatio; agricolarum locatio prælatorum præfectio est. Felices qui bene colunt et non negligunt, augent et non diminuunt, conservant et non destruunt! Quilibet etiam nostrum de populo est vinea, et idem est etiam cultor, quilibet enim nostrum colit seipsum. Unde *Hieronymus* : « Locata est autem nobis vinea, et locata est ea conditione, ut reddamus fructum Domino temporibus suis, et sciamus unoquoque tempore quid oporteat nos vel loqui, vel facere. »

4 Irritatio et timor Pharisæorum. — *Principes* autem *sacerdotum*, et Scribæ, *et Pharisæi, cognoverunt* quod de ipsis dixerit parabolam istam, *et quærentes eum* quasi mendacem *tenere*, ad occidendum, sed divinæ reverentiæ humanum timorem præferentes, *timuerunt turbas*, et non processerunt in factum, *quoniam* turbæ *sicut Prophetam eum habebant*. Sed, quem nunc turbæ quasi Prophetam habent, et colunt, postea contra ipsum *crucifige, crucifige eum* clamabunt, quia turba mobilis est, nec in proposita voluntate persistens. Ubi *Chrysostomus* : « Omnis homo malus, quantum ad voluntatem suam, et manus suas mittit in Deum, et occidit eum. Qui enim Deum ad iracundiam excitare non dubitat, qui præcepta ejus conculcat, qui nomen ejus contemnit, qui blasphemat, qui murmurat contra Deum, et turbato vultu aspicit contra cœlum, qui in ira sua manus audacter sublevat contra eum, nonne si posset fieri, manus mitteret in Deum, et occideret eum, ut jam licenter peccaret? » Vide nunc obstinationem Pon-

tificum, et majorum, in malo, quia audientes doctrinam Christi, non fuerunt contriti; sed magis ex hac indignati, et ad occidendum eum incitati. Multi sunt tales hodie, qui indignantur quando reprehenduntur, quia pauci sunt qui veritatem suæ correctionis velint audire, imo et persequuntur reprehendentes eos, pro ipsorum salute. Vide etiam quomodo Pontifices et majores retrahebantur a malo propter populum, cum tamen deberet esse per contrarium. Hæc plebs quasi asina Balaam fuit, quæ ipsum errantem corripuit. Hoc quotidie geritur in Ecclesia, cum quilibet solo nomine fatetur eam quam non diligit ecclesiasticæ fidei et pacis unitatem; sed erubescit vel timet impugnare propter bonorum multitudinem. Sed licet ab occidendo Dei Filio ad modicum, donec veniret hora ejus timore humano potuerunt retardari; numquam tamen divino amore voluerunt cohiberi. Prædicationem enim Christi contemnentes, propter cupiditatem temporalium, conspiraverunt in ipsius mortem, ne perderent civitatem et templum, in quo quidem templo hauriebant pecuniam populi, sub obtentu cultus divini. Unde occiderunt Filium, ut haberent hereditatem, et pacifice possiderent templum et civitatem, ne occasione ejus Romani venirent, et eis locum et gentem auferrent; contrarium tamen eis accidit, quia in vindictam mortis Christi et locum et gentem perdiderunt. Ubi ait *Chrysostomus :* « Quandoque igitur detentus, per medios eos transiit, non apparens, quandoque autem apparens dolentem eorum concupiscentiam detinet, per multitudinis metum; hi autem non emendabantur, ita semel eos dilectio principatus, et vanæ gloriæ cupido, obcæcarat, quod temporanea quærerent! Nihil ita adversus proximum caput impellit, et in præcipitationes fert, et nihil ita facit a futuris excidere, sicut affixum esse temporaneis; nihil ita et præsentibus et futuris jucunde uti tribuit ut futura omnibus anteponere. *Quærite* enim, ait Dominus, *primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Ne itaque de tuis sollicitus sis, sed illa committe Deo. Nam si tu sollicitus es, ut homo curas; Deus vero, ut Deus providet. Ne ergo de eis sollicitus sis, præstantiora relinquens, alioquin Deus illa minus curabit; ut illa igitur diligenter curet, ipsi soli omnia committe. Si enim, relictis spiritualibus, illa tractes, non magnam eorum Deus geret providentiam. Ut igitur et tibi hæc recte composita sint, et sollicitudine omni libereris, hære spiritualibus, secularia despice; sic enim et terram cum cœlo obtinebis, et futura bona consequeris, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi : » hæc *Chrysostomus.*

5 Monachorum et secularium instituta quantum differant. — Hæc per *Chrysostomum* jam dicta, maxime et præcipue ad monachos spectant, de quorum vita idem *Chrysostomus* hoc loco narrat, eamque ad secularium vitam comparat, dicens : « Quæ videtur ita onerosa esse vita et difficilis, eam, quæ monachorum est, dico et crucifixorum, multum hac quæ videtur esse mitis et mollis, dulcior est et delectabilior. Tantum etenim inter utramque vitam intervallum quantum inter portum et fluctibus agitatum pelagus. Ex habitaculis statim ab exordio, horum felicitatem considera; fora enim et civitates, et eos qui in medio sunt tumultus fugientes vitam, quæ est in montibus, elegerunt, quæ nihil habet commune ad præsentia. Jam autem hic, quæ ad cœlorum regnum pertinent meditantur, cum quiete multa; præcipue autem Domino hærent. Opus autem illorum idipsum est, quod Adam initio habuit, antequam peccaret, quando gloria indutus cum Deo libere loquebatur, et locum illum multa beatitudine refertum incolebat. In quo enim hi pejus quam ille degunt, cum ante inobedientiam positus est in paradiso, ut operaretur? Nulla ipsi secularis sollicitudo, nulla etiam monachis illis; Deo loquebatur cum pura conscientia, et hi similiter, imo multo majorem quam ille fiduciam habent, utpote majori fruentes gratia Spiritus. Hi orbis terrarum luminares, surgentes

a lectulo, clari et lætantes, et chorum unum facientes, in præclara conscientia consonant universi, et sicut ex uno ore, hymnos ad universorum canunt Deum, laudantes eum, et ei gratiam solventes pro omnibus sive propriis sive communibus beneficiis. Quare, si videtur, Adamo dimisso, interrogemus, in quo hic differat chorus ab Angelis qui in terra cantant, et dicunt : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Deinde, postquam cantica illa dixerunt, genua flectentes Deum quem hymnis laudaverunt, rogant et petunt. Præsentium quidem nihil petunt; nulla enim eis horum est cura, sedut cum fiducia stare possint ante terribile tribunal, cum Unigenitus Dei Filius venerit judicare vivos et mortuos; et ut nemo audiat illam terribilem vocem quæ dicit : *Nescio vos;* atque ut cum pura conscientia, et multis directionibus laboriosam hanc expleant vitam, et cum tranquillitate difficile navigent hoc pelagus. Deinde surgentes, et perficientes jam sanctas illas et continuas orationes, oriente sole, ad opus adit unusquisque, multum stipendium egentibus hinc congregantes. Magnus est illic qui vile opus rapit. » Et iterum : « Non est ibi meum et tuum, sed abjectum est inde hoc verbum, quod decem millium est causa præliorum. » Et iterum : « In nullo eorum tabernacula deterius cœlis disposita sunt; etenim Angeli descendunt ad eos, et Angelorum Dominator. Et mensa apud eos est ab omni avaritia munda, et philosophia plena. Non sanguinum torrentes sunt apud eos, neque carnium incisiones, neque condimenta, neque vapor coctorum indecenter implens odoratum, neque fumus inconveniens, neque cursus et tumultus, et turbationes, et clamores onerosi; sed panis et aqua: hæc quidem ex fonte puro, ille autem ex laboribus justis. Si autem et aliquid lautius voluerint epulari, baccæ lautitiam implent; et major hic est voluptas quam regiis mensis. Angelorum est hæc mensa ab omni turbatione eruta. Et sedile eis fœnum simpliciter supponitur, sicut in eremo prandens Christus fecit, Multi autem neque tegmen hic faciunt, sed pro tecto cœlum habent, et lunam pro lumine lucernæ, non indigentes oleo, neque ministro; illis certe solis condigne luna ministrat lucem. Hanc et Angeli mensam de cœlo contemplantes lætantur et exsultant. Hæc igitur scientes, deposita omni avaritia, quæ sunt desuper, cœleste scilicet regnum cum studio omni rapiamus, ut et futuris fruamur bonis : » hæc *Chrysostomus.*

ORATIO

Domine Deus, paterfamilias omnipotens, qui vineam Ecclesiæ tuæ prælatis locasti ad colendum, ut vitia tamquam spinas exstirpando, et virtutes tamquam bona semina inserendo, fructum in se, et in subditis facerent bonorum operum, da propitius omnibus et prælatis, et singulis subditis, ut fructum cordis, oris, et operis tibi reddant; ut ubertate fructuum majestati tuæ placeant; ac tandem post laborem præsentis vitæ cum electis tuis, qui bene et fideliter laboraverunt, in regno tuo, te miserante, requiescant. Amen.

CAPUT XXXIV

DE INVITATIS AD NUPTIAS, ET NON HABENTE VESTEM NUPTIALEM.

Matthæi cap. XXII.

1 Parabolæ de invitatis ad nuptias scopus. — Et quia majores Judæorum, intelligentes de se dici parabolas, quærebant Dominum tenere et occi-

dere, hanc eorum sciens voluntatem, nihilominus increpat sævientes, nec timore superatur, quominus arguat peccatores. Hinc habes argumentum, quod, si prædicatio tua non fuerit semper consecuta effectum, non ideo desistas a prædicatione et a redargutione; maxime si spes est tibi de eorum, quibus prædicas, correctione. Quia igitur ostenderat Dominus, quod regnum auferetur a Judæis, et dabitur genti facienti fructus ejus, ideo subjungit nunc parabolam de invitatis ad nuptias regis, quas fecit filio suo : quorum quidam venire neglexerunt, quidam vero servos missos contumeliis affectos occiderunt; et de aliis bonis et malis vocatis qui venerunt, et ad nuptias intraverunt. Hanc parabolam inducit : ut Dei longanimitatem, et patientiam multam ad Judæos ostendat, quos præ ceteris honoravit, et primo ad nuptias Filii sui vocavit, cui carnem nostram, et Ecclesiam desponsavit; et ut reprobationem Judæorum, et vocationem Gentium demonstraret. Quia enim Judæi ad fidem vocati venire noluerunt, merito ipsis reprobatis, alii introducti sunt; et impletæ sunt nuptiæ discumbentium, quia fides catholica diffusa est per orbem universum.

2 NUPTIÆ FILII DEI TRIPLICES. — ***Simile ergo factum est regnum cœlorum homini regi***, id est negotium præsentis Ecclesiæ, seu factum in Ecclesia militante circa Christum, simile est negotio, quod potuit fieri per hominem regem in celebratione nuptiarum. Iste homo-rex est Deus Pater, qui dicitur *Rex*, quia regnat in cœlo per gloriam, in mundo per gratiam, in inferno per justitiam; et dicitur homo propter conformitatem, quæ est inter Deum et hominem. *Qui fecit nuptias filio suo* triplices : primas celebravit in Virginis utero, in copulatione divinæ naturæ et humanæ, de quibus dicit *Gregorius*, quod nuptiarum thalamus fuit uterus virginalis; secundas fecit in mundo, in conjunctione Christi et Ecclesiæ, de quibus dicit Apostolus : *Sacramentum hoc magnum est, ego dico, in Christo, et in Ecclesia*; tertias fecit in fideli amico, in conjunctione gratiæ et fidelis animæ, de quibus Oseas : *Sponsabo te mihi in fide.* Aliæ sunt nuptiæ cœlestes, in quibus et multa fercula apponentur, secundum *Augustinum*, scilicet : vita, et salus, et virtus, et copia, et gloria, et honor, et pax, et omnia bona.

3 QUOSNAM SERVOS MISIT AD INVITATOS. — *Et misit servos suos* præcedentes, scilicet Prophetas, *vocare invitatos ad nuptias*, per Scripturas Legis, in qua est promissio de Incarnatione Christi, scilicet ipsos Judæos; ad nuptias, id est ad fidem Incarnationis Christi, promissam in Patriarchis, figuratam in Lege, prædicatam in Prophetis. Prophetæ namque clarius denuntiaverunt ea de Christo, quæ obscurius positæ erant in Lege; hortabantur enim populum Judaicum exspectare Christi adventum, ac per fidem et opera tendere ad ipsum; et nolebant venire, credendo Scripturis invitantibus, obediendo servis vocantibus, congaudendo nuptiis regalibus. *Iterum misit alios servos* sequentes, scilicet Joannem Baptistam, suosque Apostolos, *dicens* : *Dicite invitatis*, scilicet Judæis jam vocatis a tempore Abrahæ : *Ecce prandium meum paravi*, id est mysterium Incarnationis implevi, ac sacramenta Ecclesiæ et doctrinam Christianam quibus reficiantur animæ, disposui; *tauri mei*, scilicet patres Veteris Testamenti, qui sub jugo Legis laborabant, et inimicos cornibus ventilabant, *et altilia*, quasi alitilia, ab alendo dicta, scilicet patres Novi Testamenti pinguedine caritatis saginati, pennis virtutum alati, ad superna mente erecti, *occisa sunt*, quia Sancti occiduntur pro salute populi; *et omnia parata sunt*, quia quidquid quæritur ad salutem, jam adimpletum est in Scripturis, vel, omnia quæ pertinent ad mysterium nostræ Redemptionis, vel, introitus regni, est per fidem meæ Incarnationis apertus, qui ante fuerat clausus ; *venite ad nuptias* credendo, diligendo, et operando. *Illi autem neglexerunt*, quia Judæi prædicationem Christi et Apostolorum contempserunt, nam pauci, comparative, de

Judæis crediderunt; neglexerunt quidem, quia Dominum non timuerunt : *Qui enim Deum timet, nihil negligit.* Subdit autem : *Et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam,* ambitione seculi tamquam villæ Domino detenti, et ob pecuniæ cupiditatem negotiatione occupati. Ubi *Chrysostomus* : « O miserrimus mundus, et miseri qui eum sequuntur! Semper enim mundialia opera homines excluserunt a vita. » *Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt* : quia Joannes Baptista est ab eis incarceratus et occisus, necnon Stephanus et Jacobus, et alii discipuli, et similiter multi in Testamento Veteri; et quia, quod est multo gravius, nonnulli vocati gratiam non solum respuunt, sed etiam persequuntur. *Rex autem cum audisset, iratus est,* quia a Domino merito pro talibus sunt puniti; *et missis exercitibus suis,* scilicet Romanorum, sub Principibus Vespasiano et Tito, qui ex divina ordinatione venerunt contra Jerusalem, quadragesimo secundo anno post Christi Passionem, *perdidit homicidas illos,* qui in ultionem sanguinis Christi et suorum discipulorum ab exercitu Romanorum sunt trucidati et captivati; *et civitatem illorum succendit,* quia tunc Jerusalem est succensa, et templum in ea.

4 JUDÆIS VENIRE NOLENTIBUS, INVITANTUR GENTILES. — *Tunc ait servis suis,* scilicet Apostolis et discipulis per revelationem : *Nuptiæ quidem paratæ sunt,* id est mysteria Christi impleta sunt, et omne sacramentum Incarnationis, et humanæ dispensationis jam peractum est, et completum : ut nativitas, prædicatio, Passio, et hujusmodi; *sed, qui invitati erant* per Legem, per Prophetas, per Apostolos, scilicet Judæi, *non fuerunt digni,* propter suam incredulitatem. *Ite ergo ad exitus viarum,* id est ad Gentiles, extra viam errantes, et dispersiones Gentium, *et quoscumque inveneritis,* id est cujuscumque sexus vel ætatis, cujuscumque status vel dignitatis, cujuscumque professionis vel conditionis, sine acceptione personarum, *vocate ad nuptias,* id est ad fidem Incarnationis, quia nullus volens fidem Christi recipere, est repellendus. *Et egressi servi ejus congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos,* quia in Ecclesia militante admixti sunt mali cum bonis; *et impletæ sunt nuptiæ discumbentium,* quia, ut prædictum est, fides catholica diffusa est per orbem universum; vel, *impletæ sunt,* et quantum ad numerum, et quantum ad meritum, et quantum ad præordinationem divinæ Providentiæ, quod erit in fine mundi, quando complebitur numerus electorum.

5 CUR CARITAS VESTIS NUPTIALIS DICATUR? — *Intravit autem Rex,* scilicet Deus, ad judicium, tota enim Trinitas judicabit, id est reddet unicuique pro meritis; *ut videret discumbentes,* id est in fide quiescentes, attendendo scilicet vitam fidelium, et discernendo merita et demerita eorum; fideles enim pertinent ad judicium, nam: *qui non credit, jam judicatus est.* Intrat autem dupliciter, scilicet : generaliter in futuro judicio, et specialiter in morte cujuslibet hominis. Et nota, quod discumbere in nuptiis Christi, est sacramentis Ecclesiæ participare, fidem Christi habere, et beneficiis Dei atque gratiis ejus perfrui. *Et vidit ibi hominem,* id est totum cœtum malorum, qui in malitia sociati sunt in unum, *non vestitum veste nuptiali,* id est habentem fidem Christi, non opera. Nam, secundum *Hieronymum,* vestis nuptialis præcepta sunt Domini, et opera quæ complentur ex Lege, et Evangelio, novique hominis efficiunt vestimentum. Iste homo habens fidem sine operibus, ad nuptias Ecclesiæ portat os et dentes, omittens vitæ compositionem et mores Vel, *non vestitum veste nuptiali,* id est habentem fidem sine caritate. Dicitur autem caritas vestis nuptialis : quia tegit turpitudinem peccatorum; quia protegit a frigore tentationum; quia ornat munere donorum et virtutum; et, ut dicit *Augustinus,* dividit inter filios regni et perditionis. Ubi *Gregorius* : « Recte caritas nuptialis vestis vocatur, quia

hanc in se Conditor noster habuit, dum ad sociandæ sibi Ecclesiæ nuptias venit. Qui ergo, per caritatem, venit ad homines, eamdem caritatem innotuit vestem esse nuptialem. Sciendum vero est, quia sicut in duobus lignis, superiori videlicet et inferiori, vestis texitur ; ita in duobus præceptis caritas habetur : in dilectione scilicet Dei, et in dilectione proximi. Duo ergo necesse est habeat, ut caritatis præcepta custodiat, quisquis habere in nuptiis vestem nuptialem curat : quatenus nec ex compassione proximi, contemplationem relinquat Dei ; nec plus quam debet inhærens contemplationi Dei,compassionem abjiciat proximi. Sciendum quoque est quod ipsa dilectio proximi in duobus præceptis subdividitur, cum quidam Sapiens sic dicat : *Omne quod tibi oderis fieri, vide ne alteri facias;* et per semetipsam Veritas prædicat, dicens : *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines et vos eadem facite illis.* Caritas autem vera est, cum et in Deo diligitur amicus,et propter Deum diligitur inimicus. Magna sunt hæc, alta sunt hæc, et multis ad exhibendum difficilia ; sed tamen ista est vestis nuptialis. Quisquis hanc recumbens non habet, jam sollicitus metuat, ingrediente rege, quin mittatur foras : » hæc *Gregorius. Et ait illi*, unumquemque enim hominem in judicio particulari, cum moritur, universorum Judex interrogat, quomodo in fide Christiana se habuerit ; sed in fine mundi loquetur toti humano generi : *Amice*, fidei participatione, sed non operatione ; debiti obligatione, sed non solutione; nomine, non re. Vocatur ergo peccator amicus, propter fidem informem, quæ notitia quædam est, et Dei donum, licet non sufficiat ad salutem ; vocatur etiam amicus, propter naturam, qua ad imaginem Dei est factus ; vel, quia fuit invitatus. *Quomodo huc intrasti* inter congregationem, scilicet fidelium, sacramenta Ecclesiæ suscipiendo, fidem Ecclesiæ confitendo, et *non habens vestem nuptialem*, scilicet opera, sine quibus fides est mortua ? vel, vestem nuptialem, scilicet caritatem, quia absque tali veste nemo ad communionem fidelium debet accedere, quoniam dignum est, ut convivantes ipsi sponso in habitu sint conformes, qui vestem induit caritatis? Caritas dicitur *vestis :* tum quia operit delicta, tum quia calefacit desideria,tum quia sine ea non placent Deo opera nostra. Dicitur autem *nuptialis* : quia marimonia fiunt propter amicitiam reformandam, confirmandam et augendam. In matrimonio igitur Filii Dei, quod fecit cum natura humana, amicitia inter Deum et nos est reformata, perpetuo confirmata, et etiam augmentata. Et nota quod existentium in nuptiis Christi : plurimi sunt induti sacco avaritiæ ; aliqui sunt induti purpura superbiæ ; aliqui auro inanis gloriæ ; aliqui pellibus ovium simulatæ justitiæ ; aliqui armis iracundiæ ; aliqui habent vestimentum sordidatum peccato luxuriæ ; aliqui laceratum dissecatione invidiæ ; aliqui incompositum negligentia accidiæ ; aliqui molli intuitu complacentiæ ; aliqui nimis affluentes, voracitate gulæ. De quibus omnibus in Sophonia dicitur : *Visitabo super, omnes qui induti sunt veste peregrina.*

6 Tenebræ exteriores paucitasque electorum. — *At ille obmutuit :* propter timorem accusationis, propter erubescentiam iniquitatis, propter ignorantiam excusationis, præ confusione non habens quid responderet; etenim Deo nullus respondere potest, sed propria arguente conscientia, convincitur et mutus efficitur. Per hoc ergo quod ille obmutuit, monstratur quod in illo ultimo examine omne genus excusationis cessabit. *Tunc dixit rex ministris*, id est Angelis divinæ justitiæ exsecutoribus, vel, isti ministri sunt maligni spiritus, qui deputati sunt ad pœnam damnatorum, quia secundum *Origenem*, merito sunt pœnæ auctores, qui fuerunt culpæ suggestores : *Ligatis manibus et pedibus ejus*, id est, ablata potestate bene operandi, et ad salutem revertendi, ac gratiam recuperandi ; vel, pedes sunt facultas liberi arbitrii, manus vero sunt potentia

operis, et utrumque est ligatum in damnatis; *mittite* et projicite illum sic ligatum, *in tenebras exteriores*, a visione Dei, et quia sunt extra omnem diem, et extra ambitum divinæ misericordiæ; vel, exteriores, id est corporales, et localiter extra ipsum positas, quia habuerat in semetipso, dum hic viveret, tenebras interiores, id est mentales. Tenebræ enim ignorantiæ ducunt ad tenebras culpæ; et hæ ad tenebras pœnæ. Unde, secundum *Gregorium*, interiores tenebras dicimus cæcitatem mentis; exteriores vero tenebras, æternam noctem damnationis. Qui ergo nunc in vitio ligantur sponte, tunc in supplicio ligabuntur invite; et ligabit ibi pœna, quos hic, a bonis operibus, ligavit culpa. Et quid ibi sustinebit, qui hic bene vivere contempsit, subjungit, dicens : *Ibi erit fletus*, scilicet oculorum, per illicitas concupiscentias et in vanitate mundi hic vagantium; *et stridor dentium*, in edacitate modo gaudentium, quatenus singula membra supplicio subjaceant, qui hic singulis vitiis subjecta serviebant. Vel, fletus et stridor, id est dolor mentis et corporis, ad quæ reducitur omnis pœna infernalis : fletus enim e tristitia originatur, et stridor dentium causatur a contrariis causis, scilicet ex ardore ignis, et frigore infernali, unde dicitur in Job : *Ad nimium calorem transibit, ab aquis nivium*. In fletu etiam et stridore, magnitudo tormentorum, et doloris immensitas significatur. Vel certe, stridor dentium prodit indignantis affectum, eo quod sero unumquemque pœniteat, sero ingemiscat, sero sibi irascatur, quod tam pervicaci improbitate deliquerit. Et, quia in convivio nuptiali non initium, sed finis quæritur, consequenter repulso uno, in quo omne malorum corpus imprimitur, generalis sententia, et parabolæ conclusio infertur : *Multi enim sunt vocati*, ad fidem catholicam; *pauci vero electi*, ad gloriam, scilicet comparative, respectu illorum qui vocati sunt ad fidem, quia inter multos fideles habentes fidem, pauci sunt electi qui habent fidem formatam. Rursus, omnes homines vocantur ad fidem; sed pauci sunt electi, quia pauci sunt fideles respectu infidelium. Tale est quod dicit : Non unus tantum de vocatis ejectus est de nuptiis, sed intelligendum est de multis, quia per illum unicum intelligitur universitas malorum, qui habent fidem sine operibus caritatis. Nam, secundum *Augustinum*, homo ille qui inde projectus est, non unum hominem significat, sed multos, quia ille unus corpus malorum est. Unde alibi dicitur : *Lata est via quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui ingrediuntur per eam ; et arcta est via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam*. Et hoc multum deberet nos terrere, et ad humilitatem movere, quia est nobis incertum, utrum simus de illo parvo numero electorum nec non. Unde ait *Gregorius*: « Tanto ergo sibi unusquisque metuat, et in humilitate se deprimat, quanto si sit electus ignorat, quia, quod sæpe dicendum est, et sine oblivione retinendum : *Multi sunt vocati, pauci vero electi* : » hæc *Gregorius*.

7 Fletus et stridor dentium septies in Evangelio leguntur. — Et notandum quod hoc verbum : *Ibi erit fletus et stridor dentium*, in septem locis Evangelii legitur, et hoc contra septem vitia maxime prælatorum, secundum quod ubique in præcedenti littera redditur causa. Prima causa est, quoniam male intraverunt, scilicet per nummum, non per Deum, per cupiditatem, non per caritatem, unde dicitur hic : *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem ?* et sequitur : *Ibi erit fletus et stridor dentium*. Secunda, quia male vixerunt, non sicut pastores, sed sicut prædones, non sicut Episcopi, sed sicut epicurei, unde supra de sagena dicitur : *Malos autem foras miserunt*, et sequitur : *Ibi erit fletus et stridor dentium*. Tertia, quia alios scandalizaverunt, sicut lapis subito occurrens pedi, facit ipsum cespitare et offendere, unde dicitur supra : *Et colligent de regno ejus omnia scandala*, et sequitur : *Ibi erit fletus et stridor dentium*. Quarta, quia in docendo et regendo inutiles fuerunt,

unde infra dicitur : *Servum inutile projicite in tenebras exterioers*, et sequitur : *Ibi erit fletus et stridor dentium*. Quinta, quia subditos et superbia verbi et avaritia facti oppresserunt, unde et infra dicitur : *Si dixerit servus malus, moram facit Dominus meus*, etc. ; *partem suam ponet cum hypocritis*, et sequitur : *Ibi erit fletus et stridor dentium*. Sexta, quia magna de se præsumpserunt credendo et majora jactando, unde supra dicitur : *Nonne manducavimus coram te, et bibimus*, etc. ; et sequitur : *Ibi erit fletus et stridor dentium*. Septima, quia non pœnituerunt, elatio enim superbiæ repugnat humilitati pœnitentiæ, unde supra de Centurione dicitur : *Filii autem regni ejicientur foras in tenebras exteriores*, et sequitur : *Ibi erit fletus et stridor dentium*.

8 Quinam Christiani vocantur. — Has ergo Christi et Ecclesiæ nuptias tota mente diligamus, harum gaudiis cœlestibus indefessa bonorum intentione jungamur; has quia per fidem vocati intravimus, mundo dilectionis habitu celebrare curemus, nostræque actionis simul et cogitationis maculas ante diem extremi discriminis, ipsi sollicitius examinando diluamus, ne forte tunc ingrediens rex, si viderit nos nuptialem caritatis vestem non habentes, ejiciat nos, et ligatis a facultate bene agendi manibus nostris, ac pedibus, in tenebras mittat exteriores. Si quis enim, in tempore judicii, fuerit inventus sub nomine Christiano non habens opera Christiani, statim corripietur, et audiet istud a Rege sibi dici : *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Quasi diceret : Utquid Christianus es effectus, cum opera tua non sint Christiani? Nullus itaque de vocatione præsumat, donec de adeptione finis securus existat. Omnes quidem vocat Deus voluntate antecedente, secundum quam *omnes homines vult salvos fieri*; et tamen *pauci sunt electi*, quia pauci beatitudinem consequuntur, respectu eorum qui condemnantur. Nonnulli quidem vocati, nec incipiunt; nonnulli vero in bonis, quæ incœperunt, minime persistunt; et multi fidem percipiunt; sed respectu malorum pauci sunt, qui in gratia usque in finem perseverant. Nemo autem Christianum se judicet, nisiis qui Christi doctrinam sequitur, ejusque imitatur exemplum. Qui enim male vivit et Christianus vocatur, injuriam Christo facit. Unde *Augustinus* : « Nemo sine causa quodcumque nomen sortitur. Sutor ut dicatur, necesse est ut calceamenta conficiat. Vocetur quis faber, aut alius artifex, artis peritia fiat. Hujusmodi exemplis cognoscimus nullum sine actu nomen, sed omne nomen ex actu. Christiani ergo nomen ille frustra sortitur, qui Christum non imitatur. Quid enim tibi prodest vocari quod non es, et nomen usurpare alienum? Sed si Christianum te esse delectat, quæ Christianitatis sunt gere, et merito tibi nomen Christiani assume. Tu ergo quomodo Christianus diceris, in quo nullus Christiani est actus? Christianus, justitiæ, bonitatis, integritatis, patientiæ, modestiæ, castitatis, pudicitiæ, pietatis, humilitatis et inocentiæ est nomen; et tu, istud nomen quomodo tibi defendis et vendicas, cui de tam pluribus rebus nec paucæ subsistunt? Christianus ille est, qui non nomine tantum sed opere est, qui viam Christi sequitur, qui Chrlstum in omnibus imitari conatur, sicut scriptum est : *Qui dicit sese in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare*. Christianus est, qui die noctuque Deo deservit, qui indesinenter ejus præcepta meditatur et cogitat, qui pauper mundo efficitur, ut Deo locuples fiat, qui inter homines habetur inglorius, ut coram Deo et Angelis gloriosus appareat, qui in corde suo nihil simulatum videtur habere nec fictum, cujus simplex et immaculata est anima, cujus conscientia fidelis et pura est, cujus tota in Deo mens, cujus omnis spes in Christo est, qui cœlestia potius quam terrena desiderat, qui humana spernit ut possit habere divina : » hæc *Augustinus*. Unde et *Leo Papa* : « Frustra appellamur Christiani, si imitatores non sumus Christi, qui ideo viam se esse dixit, ut conversatio Magistri esset

forma discipulis, et illam humilitatem eligeret servus, quam sectatus est Dominus. » Unde etiam *Cyprianus* : « Christianus nemo recte dicitur, nisi qui Christo moribus coæquatur. » Unde etiam *Anselmus* : « Inter infideles computantur, qui quod voverunt non impleverunt. » Quicumque etiam non Christum sequitur, non solum Christiani nomen amittere, sed et Antichristus dici meretur. Unde ait *Augustinus* : « Quisquis factis negat Christum, Antichristus est; et magis mendax est Antichristo, qui ore profitetur Christum, et factis negat. Ideo mendax, quia aliud loquitur et aliud agit. Quis est qui non credit quod Jesus sit Christus? Qui non vivit quomodo præcipit Christus. Multi enim dicunt : Credo, sed fides sine operibus non salvat. » Et iterum : « Omnes negant Christum in carne venisse, quia violant caritatem Jesu; non enim opus erat ut veniret, nisi per caritatem. *Majorem hac dilectionem nemo habet*, quam, *ut animam suam ponat pro amicis suis*. Quisquis violat caritatem, quodlibet dicat lingua, vita ipsius negat Christum in carne venisse; et iste est Antichristus ubicumque fuerit, quocumque intraverit : » hæc *Augustinus*. In hoc ergo maxime nos Christiani Gentiles scandalizamus, quia caritatem et vitam virtuosam non habemus. Unde *Chrysostomus* : « Nihil aliud est quod scandalizat Gentiles, quam quod non amor est. Cum enim multiplicata fuerit iniquitas, frigebit amor; vitam autem nihil ita facit claram, ut amor. » Et iterum : « Nihil enim Gentiles ita afficit ut virtus; nihil ita illis offendiculo est, ut improbitas : et jure quidem. Cum etenim viderit avarum et rapientem contraria præcipientem, eumque qui inimicos diligere jubetur in contribules suos, tamquam in feras sævientem, nugas præcepta illa vocabit. Cum viderit quempiam mortis formidine captum, quo pacto immortalitatis doctrinam accipiet? Cum ambitiosos viderit, aliisque animi morbis captos, potius in sua manebit sententia, nihilque de nobis magnum putabit. Nos ergo, nos utique in causa sumus, cur illi in suo errore persistant. Nam doctrinam illam olim suam repudiaverunt et nostra admirantur; sed ex vita nostra arceantur. Verbis enim philosophari facile est, et multi etiam apud illos id quidem fecerunt; adhuc vero requirunt opera bona. Veteres illos, qui apud nos fuerunt recogitent, dicet aliquis. At illis non credunt, sed nos præsentes observant; ostendite nobis, inquiunt, fidem per opera. Hæc autem nusquam sunt; sed, cum nos vident plus quam feras proximos nostros discerpere, nos orbis perniciem vocant. Hæc Gentiles retinent, ne ad nos transeant. Itaque nos horum pœnas dabimus, non solum quod mala perpetremus, sed etiam quod propter nos nomen Dei blasphemetur et quod multi ab ingressu Ecclesiæ arceantur. Quousque ergo pecuniis, deliciis, alterisque vitiis dediti erimus? Abstineamus denique, et virtutem omnem exerceamus, ut futura consequamur bona : » hæc *Chrysostomus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, Rex cœlestis gloriæ, qui nos per nuntios tuos, scilicet per sacram Scripturam, infirmitates, periculum vivendi, mutationem fortunæ, et gratuitam voluntatem, ad nuptias tuas vocasti, da nobis caritatis vestem nuptialem, ne a confessione peccati, et a laude Dei umquam obmutescamus, ne a resurrectione spiritualis gaudii, scilicet pace, et securitate, separemur; et da nobis vestem pietatis, et bonæ operationis, ne, ligatis manibus et pedibus, in tenebras exteriores mittamur. Amen.

CAPUT XXXV

DE QUÆSTIONE SUPER TRIBUTO SOLVENDO, ET DE MULIERE SEPTEM VIROS HABENTE.

Matthæi cap. XXII et Lucæ cap. XX.

1 HYPOCRITÆ DETRACTORES ET ADULATORES QUAM SINT DETESTABILES! — Tunc, scilicet post prædicta, et eadem feria tertia, *abeuntes Pharisæi* ad Herodianos, *consilium inierunt, ut* ex collatione communi melius perpenderent qualiter Jesum decipere possent; et *eum*, quem capere non poterant in malo opere, *caperent in sermone*, quia facilius capitur homo in verbis, quam in factis. *Et mittunt ei discipulos*, de secta sua, *cum Herodianis*, id est ministris Herodis, qui ex parte Cæsaris præerant tributis: ut discipuli caperent in sermone, et ministri raperent eum ad puniendum in corpore Secundum *Chrysostomum*, ne forte Pharisæi, Christo noti et suspecti, circumvenire eum non possent, quia coram eis sibi in verbis caveret, mittunt de secta sua discipulos, quasi ignotos, ut facilius deciperent, et minus erubescerent deprehensi; et propter hoc, eos et Herodis ministros simul mittunt, ut quodcumque dixerit Jesus, reprehendatur. Et circumdant eum, sicut apes mel in ore et aculeum in tergo portantes, et adulatorie commendant in eo triplicem veritatem, sic *dicentes*: *Magister, scimus quia verax es*, quantum ad vitam non hypocrita, ecce veritas vitæ; *et viam Dei*, qua scilicet itur ad Deum, *in veritate doces*, quantum ad sanam doctrinam, ecce veritas doctrinæ; *et non est tibi cura*, id est timor vel favor, *de aliquo*, quantum ad justitiam, id est non attendis aliquem, ut accipias personam, unde quod dixerant exponendo, subjungunt: *Non enim respicis personam hominum*, sed distincte dicis majoribus et minoribus veritatem, ecce veritas justitiæ. Sed e contra multi moderni faciunt, qui pauperes delinquentes publice arguunt, et confundunt, sed divitibus majora peccantibus nec nutum faciunt. Ideo, secundum *Chrysostomum*, inter omnia peccata sacerdotum, maximum est quod personas respiciunt, et non causas Et ideo justos et pauperes despicientes, iniquos et divites promovent atque exaltant. Ut autem dicit idem *Chrysostomus*: « Magistrum Dominum vocant, et veracem Magistrum, ut quasi venerando eum deciperent, et ut quasi honoratus et laudatus mysterium sui cordis simplicitei eis aperiret, tamquam volens eos habere discipulos. Hæc est enim hypocritarum prima simulatio, laudatio; laudant enim quos perdere volunt, ut per delectationem laudis paulatim corda hominum ad simplicitatem benignæ confessionis inclinent: » hæc *Chrysostomus*. Istis similes sunt, qui hominibus in præsentia adulantur, et in absentia detrahunt. O quam plenus est mundus his, et illis pestiferis hominibus, a quibus custodiat suos Deus! Unde, secundum *Augustinum*, duo sunt genera persequentium, scilicet: vituperantium, et adulantium, et plus persequitur lingua adulatoris, quam manus interfectoris.

2 QUÆSTIO DE TRIBUTO SOLVENDO, VEL NON. — Et mellitis verbis, eum interrogare volentes, subjungunt: *Dic ergo nobis, quid tibi videtur?* Quia certi sumus quod non dimittis propter majestatem Cæsaris, vel propter timorem aut favorem cujuscumque hominis, quin veritatem, et juste quod verum est, diffinias. Et interrogant eum.

dicentes : *Licet censum dare, Cæsari an non?* Hanc quæstionem, apud Judæos ortam, Christo malitiose proposuerunt, ut, si tributum negaret, et diceret non esse licitum, caderet in manum Pilati Præsidis, et statim caperetur tamquam contrarius Imperatori; si autem tributum concederet, et diceret esse licitum, caderet in manum populi, tamquam contrarius eorum libertati et divino honori : et sic totum eorum artificium erat undique habens præcipitium. Dicebant quidam, quia Romani pro republica militabant, eos in securitate et quiete tenentes, quod licebat dare tributum. Sed e contra Pharisæi asserebant, quod qui serviebant summo Deo, et sibi oblationes et decimas reddebant, nulli homini tributa solvere debebant. Sed sapientiæ fons dolos eorum fugit, sic enim respondit, ut Deo et Cæsari sua jura servaret.

3 Responsio Christi plena sapientiæ. — Unde sequitur : *Cognita autem Jesus* et deprehensa, *nequitia* et dolositate *eorum*, nihil enim latet Deum, qui scrutatur renes et corda, laudes ipsorum respuit, et dure eis respondens, *ait : Quid me tentatis, hypocritæ?* Quasi illis diceret : Non quæritis veri atem addiscere, sed me verbis capere, et propter hoc eos hypocritas vocat, quia aliud prætendebant, et aliud intendebant. Ubi *Chrysostomus* : « Respondet non secundum verba eorum, blande, sed secundum conscientias eorum, aspere, docens nos dure refellere adulantes. » Et secundum eumdem *Chrysostomum*, Pharisæi blandiebantur, ut perderent; Jesus autem confundebat, ut salvaret, quia utilior est Deus homini iratus, quam homo propitius. Et subjungit : « In hoc autem quod Christus laudes respuit, dat intelligere quod nullus debet velle laudari, et in hoc quod adulatores suos dure reprehendit, docemur ut adulationes vitemus. » *Ostendite mihi numisma census*, id est denarium qui pro censu datur annuo; et erat de argento, vocabaturque denarius, quia valebat decem nummos usuales, et habebat imaginem Cæsaris, et nomen ejus. Proprie tamen numisma est ipsa inscriptio imaginis, et nummus est, cui inscribitur. *At illi obtulerunt ei denarium* censualem ; *et ait illis Jesus: Cujus est hæc imago*, quantum ad figuram, *et superscriptio*, quantum ad scripturam? Non de ignorantia interrogat, sed ut competenter ad eorum verba respondeat. Voluit Dominus videre materiam quæstionis, ut nos tacite informaret ne simus præcipites in sententiando, sed mature inquiramus, et prius examinemus antequam diffiniamus. *At illi dicunt ei: Cæsaris*, scilicet Tiberii, privigni Augusti Cæsaris, sub quo Augusto natus est Dominus. *Tunc*, ex præmissis inferendo quæstionis determinationem, *ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari*, scilicet tributum et pecuniam, per quam confitemini vos illi subjectos, ubi, secundum *Chrysostomum*, illa dicit solum quæ non nocent pietati, quia si aliquid tale est, non Cæsaris sed diaboli est vectigal. *Et quæ sunt Dei Deo*, scilicet, secundum *Hieronymum* : decimas, primitias, oblationes et hostias; sicut et ipse reddidit tributa pro se et Petro, et Deo reddidit quæ Dei sunt, Patris faciens voluntatem. Vel, debemus reddere mundo suos honores, eos despiciendo, suas delicias, eas abhorrendo, suasque divitias, eas contemnendo, Deo autem decimas atque oblationes. Vel, ut dicit *Ambrosius*: « Sicut Cæsar exigit impressionem suæ imaginis, sic et Deus animam lumine vultus sui insignitam. Sicut enim denarius imagine regis, sic signatur homo ad imaginem et similitudinem Dei, quam peccando corrumpit. » Et iterum : « Cum alia sit imago Dei, alia mundi, si non vis esse obnoxius Cæsari, noli habere quæ sunt mundi. Si vis terreno regi nihil debere, omnia tua relinque, et Christum sequere. Et bene prius quæ Cæsari sunt reddenda decrevit, neque enim potest esse quis discipulus Domini, nisi prius renuntiaverit mundo. Sed omnes renuntiamus verbis, non renuntiamus affectu. Nam cum sacramenta recipimus, renuntiamus. Quam gravia sunt vincula, promittere Deo, et non solvere? Major est con-

i, quam pecuniæ. Redde dum in hoc corpore es veniat exactor et mittat rem : » hæc Ambrosius. ronymus : « Nummum hasaris imaginem red ite i, vosmetipsos autem lite Deo. Signatum est enim s Dei super nos, non Cæc *Hieronymus*.

SUNT REDDENDA DEO? —) quæ mundi sunt, corn, intellectum, voluntam, et omnia quæ in noo, a quo accepimus. non us, sed tamquam debius, ut non comparati betionabiliter in omnibus Quia, secundum *Hila*:num est, ut ei nos totos ui debere nos recolimus et profectum. Non est reniens, nec contradictio, sit subditus homini in s. et Deo immediate in : utrumque enim bene se nec alterum alteri præ:st. Sed magis felix est et ι temporalibus et a peritute eorum est erutus, subjectus, quia hic maer, et princeps, et regi; et neque divitiarum tidem, neque principatus ystice autem Deo debe: triplex tributum, sive uam postulat, scilicet : :rfectam dilectionem; de m et frequentem gratiam; de corpore, voluntam mortificationem. In :iam tria mystice notanquæritur ostensio denainterrogatur superscriertio sequitur diffinitio, :ddi. In denario sunt tria: idus et superscriptio cum iteria est operatio bona, gentea vel stannea; ponentio recta vel prava; ditur in affectu interiori, >tio, in effectu exteriori. diaboli est culpa; imago superscriptio est exterior , et humilis ad imitationem Christi, vel superba ad imitationem diaboli. Hujus denarii ostensio fit in morte. O quam metuenda quæstio! *Ostendite mihi numisma census*, hominem scilicet interiorem, sacco carnis velatum, exteriori simulatione obumbratum, diu ad pœnitentiam exspectatum. Felix qui poterit dicere : *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me cum lætitia!* Sed in judicio interrogatio fiet et de imagine. O quam horrenda interrogatio, imo increpatio, malorum! *Cujus est imago hæc, et superscriptio?* Quilibet enim portat imaginem ejus cujus habet opera. scilicet vel Dei, vel Imperatoris, vel mundi, vel diaboli. Sed diffini io fiet in retributione : *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo;* quia ibunt hi in supplicium, illi in gaudium.

5 TRES SECTÆ JUDÆORUM. — *Et* qui missi fuerant a Pharisæis, *audientes* sapientissimam responsionem Domini, *mirati sunt*, quia calliditate et insidiis prævalere non potuerunt, et ideo, *relicto eo*, sicut confusi, *abierunt*. Unde ait *Hieronymus* : « Qui ad tantam credere sapientiam debuerant, mirati sunt quod calliditas eorum insidiandi locum non invenisset, et, relicto eo, abierunt, infidelitatem pariter cum miraculo reportantes. » Deinde, cum abiissent Pharisæi, *in illo die accesserunt ad eum Sadducæi*, ut quia ratione eum superare non poterant, saltem per ipsam frequentiam sensum ejus subverterent, et tædio eum superarent. Tres erant sectæ inter Judæos ab aliis differentes, scilicet : Pharisæi, qui erant ab aliis divisi quantum ad habitum et traditiones, qui traditionibus Moysis traditiones suas præferebant, et secundum Legem vocabantur Pharisæi, id est *divisi* a voce Phares, id est *divisio*. Alii erant Sadducæi, qui ab aliis differebant quantum ad doctrinam, qua ipsi sibi justitiam, et quod non erant vindicabant, unde et justi propter exteriorem sanctitatem appellati sunt; ipsi enim resurrectionem negabant : *Qui dicunt resurrectionem non esse*, animam autem mortalem esse, et cum corpore interire dicebant, ac

neque Angelum, neque spiritum esse credebant; attamen libros Moysis recipiebant. Alii erant Esseni, qui ab aliis differebant in vita et modo vivendi, quia fere monasticam vitam ducebant, conjugia vitabant, omniaque in communi habebant. De duabus autem primis sectis hic dicitur.

6 QUÆSTIO SADDUCÆORUM DE MULIERE SEPTEM VIROS HABENTE, ET CHRISTI RESPONSIO. — Sadducæi ergo accedentes ad Jesum quamdam fabulam fictam de muliere, quæ septem viros habuerat, ei proponebant, quærentes ab eo cujus esset in resurrectione, per quam ostendere volebant resurrectionem non esse. Putabant enim quod si futura esset resurrectio, tunc celebrandæ essent nuptiæ sicut fit modo; et quia inconveniens videbatur quod detur omnibus septem simul, quia uni mulieri numquam licuit plures viros habere, sed bene e converso, propter fœcunditatem, vel quod detur alicui eorum determinate, quia qua ratione esset unius, eadem ratione esset et alterius; intendebant concludere resurrectionem nullam esse. Quam quæstionem eis solvendo, evacuat Dominus ipsorum opinionem, et ostendit errorem, *respondens* enim *Jesus ait illis : Erratis*, in hoc, scilicet quod resurrectionem negatis, *nescientes Scripturas*, quæ resurrectionem asserunt, ac modum resurrectionis instruunt, atque ostendunt; unde etiam sequitur : *Neque virtutem Dei*, qua poterit corpora suscitare, et post mortem vivificare : quia potuit omnia de nihilo facere. Errabant ergo, quia et Scripturis contradicebant, et virtuti Dei derogabant. Erratis etiam putantes ibi celebrandas esse nuptias sicut nunc. *In resurrectione enim* generali, *neque nubent*, scilicet viri, id est non accipient uxores; *neque nubentur*, scilicet mulieres, id est non accipientur a viris. Latina consuetudo, ut dicit *Hieronymus*, hic Græco idiomati non respondet Nubere enim proprie dicuntur mulieres, et viri uxores ducere; sed hic simpliciter intelligamus quod nubere de viris, et nubi de mulieribus dictum sit, unde non erit carnalis, sed spiritualis conversatio. Et hoc est quod subditur : *Sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo*, non in natura Angeli, in proprietate spiritualitatis, et immortalitatis, incorruptibiles scilicet, et ingenerabiles, nec quod sint spiritus; sed quod sint spirituales, ac vitam et conversationem spiritualem habentes, et sine labe corruptionis visione, amore et fruitione Dei viventes. Cessante enim causa, cessat effectus, nuptiæ autem ordinatæ sunt ad procreationem filiorum educandorum ad cultum Dei, quousque numerus prædestinatorum sit completus, qui completus erit in resurrectione; et propter hoc tunc erimus *sicut Angeli*, semper contemplationi vacantes, et hoc est quod debet corda movere ad devotionem, videlicet consideratio illius beatæ vitæ, quam post modicum exspectamus.

7 SEPTEM VIRORUM MYSTICÆ SIGNIFICATIONES. — Mystice, secundum *Bedam*, per septem viros reproborum universitas designatur, quorum uxor est mundana conversatio, qui discedunt sine liberis, quia tota hac vita, quæ septem diebus agitur, steriles sunt a bonis operibus, quibus morte misera præraptis, ad ultimum et ipsa mundana conversatio quam illi sine vitali opere transegerant, quasi uxor infœcunda transibit. — Potest etiam nomine hujus mulieris intelligi Ecclesia, quæ viro desponsatur, quando prælato committitur; septenarius autem virorum non generantium ex Ecclesia filios significat universitatem malorum prælatorum, vel clericorum, secundum differentias septem ordinum ecclesiasticorum : quorum primus est Ostiariorum, secundus Lectorum, tertius Exorcistarum, quartus Acolythorum, quintus Subdiaconorum sextus Levitarum seu Diaconorum, septimus Sacerdotum. Hi filios non generant, quia in Ecclesia Dei fructum non quærunt; et ideo dæmonum eos occidit. — Mulier quoque ista, moraliter loquendo, potest dici peccatrix anima, septem capitalium vitiorum universitati desponsata. Resurrectio autem spiritualis est a morte culpæ ad vitam gratiæ,

quæ est arrha gloriæ; et ideo quando hæc resurrectio firmata est, per propositum cavendi recidivum, firmatum professione religionis, et etiam observatum, tunc est similitudo ad angelicam vitam, quia per castitatem fit conformitas angelicæ puritati. Angeli quoque similiter nihil possident in hoc mundo, et obediunt continue ipsi Deo. Mali ergo sunt desides, qui ex suis operibus bonis non reliquerunt semen, et aliquid memoria dignum; et adhuc pejores sunt qui memoriam sui de malis operibus suis reliquerunt.

8 **Immortalitatem animarum corporumque resurrectionem probat Dominus.** — Postquam autem Dominus respondit ad eorum interrogationem, et ipsorum confutavit errorem, statim subdit de resurrectione, confirmando veritatem resurrectionis auctoritate Scripturæ. Probaturus ergo resurrectionem corporum, inducit auctoritatem de Exodo sumptam, et probat primo perennitatem animarum, quam illi negabant; qua probata consequenter probat et resurrectionem corporum, quæ cum animabus bona malave gesserunt. *Non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis,* in Exodo scilicet : *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob?* Quando hoc Deus dicebat, jam illi mortui erant; ille autem *non est Deus mortuorum,* id est omnino non existentium, *sed viventium,* et existentium, ergo ipsi vivunt et existunt. Ratio talis est : Deus non dicitur Dominus rerum non existentium, vel eorum quæ sunt nihil, quia creaturæ ad Deum est realis relatio, quæ non potest fundari in nihilo; sed dicitur Deus Abraham, et Deus Isaac et Deus Jacob, qui mortui sunt, ergo ipsi existunt; non enim dixit : Ego fui Deus, sed : *Ego sum,* tamquam illi præsentes existant; at non corpore, ergo anima, et ideo anima non moritur cum corpore, sed est æterna. Et per hoc probat resurrectionem corporum, ex veritate justitiæ. Nam cum dicat se Deum Abraham, et aliorum qui servierunt ei in corporibus suis, justum est ut hi remunerentur cum corporibus ipsis in quibus meruerunt. Et universaliter omnium hominum corpora et animæ, bona vel mala simul recipient quæ simul meruerunt. Quia enim homo meruit, vel demeruit, anima simul et corpore; ideo in futuro punietur, vel remunerabitur, simul in utroque. Hoc autem non potest fieri, nisi fiat resurrectio corporum; et ideo constat futuram esse corporum resurrectionem. Unum ergo probat Dominus expresse, scilicet quod animæ semper vivant, nec cum corporibus intereant; alterum per consequens, scilicet quod corpora resurgant. Item, propter naturalem appetitum et inclinationem animarum ad corpora sua; quia naturale est animabus desiderare sua corpora, ut cum ipsis glorificentur, cum quibus meruerunt; et ideo, ne a suo desiderio fraudentur, necesse est ut eis sua corpora reddantur, quia anima non potest esse perfecte quieta, nec beata nisi unitatur cum corpore, ad cujus unionem habet inclinationem naturalem, et ita corpora resurgent. Ubi *Hieronymus :* « Cum autem dicit : Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, ter Deum nominando Trinitatem intimavit; cum autem dicit : Non est Deus mortuorum, unum Deum iterans, unam substantiam significavit. »

9 **Admiratio turbæ de doctrina Christi.** — *Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina ejus.* Unde *Remigius :* « Non quidem Sadducæi, sed turbæ mirantur. Hoc etiam quotidie agitur in Ecclesia. Cum enim divina inspiratione adversarii Ecclesiæ superantur, turbæ fidelium lætantur : » hæc *Remigius.*

ORATIO

Domine Jesu Christe, doce me astutias seductorum intelligere et cavere; nec non veritatem vitæ ac doctrinæ et justitiæ semper custodire. Da mihi in-

signiri tua imagine. non inimici, ut ea quæ mundi sunt relinquendo, et tibi soli adhærendo, reddam tibi ea quæ de tua gratia a te percepi, in ipsis tibi fideliter serviendo. Præsta etiam mihi, ut carnalem et mundanam conversationem, quæ sterilis est, fugere ac spiritualem et cœlestem sectari valeam; ut gloria resurrectionis innovatus, cum Angelis Dei in cœlo immortalitate frui merear, et perpetua tui visione. Amen.

CAPUT XXXVI

DE PRIMO ET MAGNO, AC SECUNDO ET SIMILI LEGIS MANDATO.

Matthæi cap. XXII.

1 NOVA QUÆSTIO PHARISÆORUM DE PRIMO LEGIS MANDATO. — *Pharisæi autem audientes*, et gaudentes *quod* sapienti responso Jesus *silentium imposuisset Sadducæis*, non habentibus quid amplius dicerent contra responsionem ejus; *convenerunt in unum*, ad ipsum alio modo invadendum, et venerunt in magna multitudine, ad magis eum terrendum. Unde ait *Chrysostomus*: « Convenerunt ut multitudine vincerent, quem ratione superare non poterant; a veritate nudos se esse professi sunt, qui multitudine se armaverunt: » hæc *Chrysostomus*. Recedentibus Pharisæis, venerunt Sadducæi, et iterum recedentibus Sadducæis, venerunt Pharisæi, tentantes Jesum frequenti congressu fatigare et subvertere; licet enim contrarii essent in opinione de animæ immortalitate, et mortuorum resurrectione, conveniebant tamen in Christi persecutione. Unde *Hieronymus*: « Quod de Herode et Pontio Pilato legimus in Domini nece eos fecisse concordiam, etiam nunc de Pharisæis cernimus, et Sadducæis, qui inter se contrarii sunt, sed ad tentandum Jesum pari mente consentiunt. » *Et unus ex eis*, Scriba et *Legis doctor* accessit, et *tentans* Jesum capere in sermone, *interrogavit eum: Magister, quod est mandatum magnum in Lege*, id est præcipuum ? Interrogavit, tentans, non scire desiderans, non ut disceret, sed ut deciperet. Unde *Chrysostomus*: « Magistrum vocat, cujus non vult esse discipulus. De mandato magno interrogat, qui nec minimum observat. Ille enim debet interrogare de majori justitia, qui jam minorem complevit: » hæc *Chrysostomus*. De hoc autem interrogavit, quia circa hoc diversæ erant opiniones: quidam enim dicebant sacrificia et oblationes magis placere Deo, quam opera caritatis; alii dicebant contrarium, quod magis est verum.

2 QUO SENSU DILECTIO DEI EST MAXIMUM ET PRIMUM MANDATUM ? — Et *ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum*. Non dicit, secundum *Chrysostomum*: Time, sed: *Diliges*; timere enim servorum, diligere est filiorum. Non dicit etiam: Cognosce, sed: *Diliges*; cognoscere enim Deum proprium est humanæ naturæ, diligere autem, religiosi cordis et recti. *Diliges*, inquam, *Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo*, id est ex toto intellectu sine errore, ut nullum in confessione divinitatis locum errori relinquas; *et in tota anima tua*, id est tota voluntate sine contrarietate et contradictione, ut nihil contrarium ei velis; *et in tota mente tua*, id est tota memoria sine oblivione, nihil reminiscens quo minus de Deo sentias; addit Marcus: *Et ex tota virtute*, seu fortitudine, *tua*, ut vires tuæ et totum posse sibi serviant, et ad ipsum

expendantur. Unde ait *Augustinus* : « Deum ex toto corde diligere præciperis, ut omnes cogitationes tuas ; ex tota anima ut omnem vitam tuam; ex tota mente tua, ut omnem intellectum tuum, in illum conferas, a quo habes ea quæ confers. Nullam ergo vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, et quasi locum dare, ut alia re velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Tunc est enim optimus homo, cum tota vita sua pergit in incommutabile bonum. » Unde et *Chrysostomus* : « Quid est diligere Deum ex toto corde? Ut cor tuum non sit inclinatum ad ullius rei dilectionem amplius quam Dei. Pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem, pro tanta minus est ad Deum. Quid est in tota anima diligere Deum? Id est certissimum animum habere in veritate, et firmum esse in fide. Qui enim credit apud Deum esse omne bonum, et nihil boni esse extra ipsum; hic in tota anima diligit Deum. Quid est in tota mente diligere Deum ? Id est, ut omnes sensus tui, qui pertinent ad mentem, Deo vacent. Cujus enim intellectus Deo ministrat, cujus sapientia circa Deum est, cujus cogitatio ea quæ Dei sunt tractat, cujus memoria quæ bona sunt recordatur, tota mente diligit Deum : hæc *Chrysostomus*. Secundum *Bernardum*, dicitur toto corde, id est sapienter, contra suggestiones diaboli, ne seducamur; tota anima, dulciter, contra delectationes carnis, ne alliciamur; tota mente, fortiter, contra pressuras mundi, ne opprimamur. Hæc enim sunt tria, quæ præcipue retrahunt ab amore Dei : diabolus, caro et mundus. Et subjungit Dominus : *Hoc est maximum, et primum mandatum* : maximum dignitate, quia de maximo, scilicet de Deo diligendo; primum ordine, quia præceptum de diligendo Deum præcedit præceptum de diligendo proximum. Et vere istud est nobilius et utilius inter omnia mandata ; in hoc enim omnia mandata implentur. Hoc etiam mandatum diligendi Deum est magnum, quia mandat hoc lex naturalis, in mente omnis creaturæ rationalis divinitus indelebiliter expressa ; majus, quia remandat, et repetens iterum mandat hoc Lex Mosaica a Deo data, et per Angelos ordinata ; maximum, quia confirmat illud Lex evangelica, per ipsum Filium Dei tradita. Et primum est mandatum, intentione jubentis, finis enim in quolibet, ea quæ ad finem sunt, in intentione præcedit; unde Apostolus: *Finis præcepti est caritas*, finis non terminans, vel consummans, ad quem omne præceptum ordinatur; et iterum : *Plenitudo Legis est dilectio* ; et Psalmista : *Omnis consummationis vidi finem ; latum mandatum tuum nimis*. Vel, primum est in necessitate observationis.

3 QUATUOR NECESSARIA AD HOC MANDATUM PERFECTE IMPLENDUM. — Ad hoc autem quod istud mandatum possit perfecte impleri, quatuor requiruntur. — Primum est divinorum beneficiorum rememoratio; quia enim quæ habemus sive exteriora, sive corpus et animum, omnia a Deo habemus, ideo oportet quod sibi de omnibus quæ habemus serviamus, et eum corde perfecto diligamus. Nimis enim ingratus esset, qui cogitans alicujus beneficium eum non diligeret. — Secundum est divinæ excellentiæ consideratio, Deus enim major est corde nostro ; et ideo, si toto corde et omnibus viribus ipsi serviamus, adhuc sufficientes non sumus, nec satisfacimus, unde in Ecclesiastico : *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc ; major est enim omni laude*. — Tertium est mundanorum et omnium temporalium abdicatio. Magnam enim injuriam facit Deo, qui aliquid ei adæquat, quod fit, quando res temporales et corruptibiles simul cum Deo diligimus. Nihil enim aliud vult quod diligamus, quam eum : quia ipse solus sine consortio vult possidere cor nostrum. Unde dicit *Augustinus*: « Domine, minus te amat, qui præter te aliquid amat. » Unde et *Hieronymus*: « Nimis est avarus, cui non sufficit Deus. » — Quartum est omnimoda peccatorum vitatio, quia nullus potest Deum

diligere in peccato existens, scilicet mortali, ideo dicitur: *Nemo potest duobus dominis servire*. Unde, si in peccato manes, Deum non diligis. Non diligit Deum superbus, vel amator vanæ gloriæ, qui pulverem vanæ gloriæ, quæ nihil est, Deo præponit; nec voluptuosus, qui pro momentanea delectatione eum deserit; nec avarus, qui pro nummo, vel nihilo eum amittit.

4 Dilectio proximi mandatum secundum et primo simile. — Deinde addit: *Secundum autem simile est huic*, non æquale, sed simile, quia est de actu simili, scilicet de dilectione, vel de re simili Deo, scilicet de homine, qui ad similitudinem Dei factus est, scilicet: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*, id est ad id ad quod teipsum, scilicet ad justitiam et salutem, ad gratiam in præsenti, et gloriam in futuro, et ad eamdem beatitudinem ad quam diligis te. Unde *sicut* non denotat æqualitatem gradus, quia primo et plus tenetur homo se diligere, quam proximum, ceteris paribus; sed denotat similitudinem boni optati, ut velit proximum sicut se esse in gratia et amore Dei. Et cum dicitur, *secundum*, non est ordo, nisi quantum ad materiam, quæ est Deus et proximus; unum enim est præceptum de dilectione; vel etiam est ordo causalitatis, quia amor proximi causatur ex amore Dei Et ideo dicit Apostolus: *Qui diligit proximum, Legem implevit*, quia causa intelligitur in causato, et non e converso. Dilectio igitur in Deum origo est dilectionis in proximum; et dilectio in proximum cognitio est dilectionis in Deum, ac etiam nutrimentum. Unde *Gregorius*: « Per amorem Dei, amor proximi gignitur, et per amorem proximi, amor Dei nutritur: » hæc *Gregorius*. Et similiter dilectio in seipsum præcedere debet dilectionem in proximum. Unde ait *Augustinus*: « Vide prius si jam nosti diligere teipsum; et committo tibi proximum, quem diligas sicut teipsum. Si autem nondum nosti diligere te, timeo ne decipias proximum sicut te. » Et iterum: « Manifestum est autem omnem hominem proximum esse deputandum, quia erga neminem operandum est malum. Qui autem amat homines: aut quia justi sunt, aut ut justi sint, amare debet. Sic enim et seipsum amare debet: aut quia justus est, aut ut justus sit. Sic enim diligit proximum sicut seipsum, sine ullo periculo: » hæc *Augustinus*. Unde modus diligendi proximum attenditur secundum quatuor causas: primo, secundum finalem, scilicet ut diligatur proximus propter Deum; secundo, secundum materialem, scilicet ut diligatur bonum, non malum; tertio, secundum formalem, scilicet ut ordine debito, citra Deum et supra temporalia; quarto, secundum efficientem sive moventem, quia ut homo, non quia pater tantum, vel filius, vel domesticus, vel amicus: et his modis debet homo diligere seipsum Et nota, secundum *Augustinum*, quod primo diligendus est Deus, secundo, anima propria, tertio, anima proximi. Nota etiam quod amor proximi falsus est, per hæc seu hujuscemodi, videlicet: si impedit amorem Dei; si aliquid fiat propter amorem proximi, quod sit contra amorem Dei; si aliquis dissimulet in eo quem diligit, plus quam in eo quem non diligit sic; si aliquid in eo placeat, quod in aliis displiceat; si patienter non sustinet, quod alium sicut se vel plus diligat.

5 Quomodo dilectio Dei et proximi totam Legem adimpleat? — Et infert dominus: *In his duobus* scilicet *mandatis* dilectionis, *universa Lex pendet et Prophetæ*, quia totus Decalogus et monitiones, sive comminationes hic finem habent; hoc enim ut caritas introducatur intendunt. Tota quippe Scriptura Legis et Prophetarum ad dilectionem Dei et proximi ordinatur; quidquid enim præceptum est, in Lege et Prophetis, hoc fine præceptum est: ut Deus et proximus diligatur. Et propter hæc, omnia mandata et scripta Legis et Prophetarum non sunt, nisi quædam explicationes istorum duorum mandatorum, quia omnia ad hæc duo sunt ordinata. Item, omnia præcepta ad hæc duo

referuntur : primum enim præceptum, scilicet dilectionis Dei, ambit et implet omnia mandata primæ tabulæ, quia in ea continentur tria mandata de dilectione Dei, quæ scripta erant in una tabula; et secundum præceptum, scilicet dilectionis proximi, ambit et implet omnia mandata secundæ tabulæ, quia in ea continentur septem alia mandata de dilectione proximi, quæ in secunda tabula erant scripta. Nam qui Deum diligit: idola speruit, Dei nomen in vanum non assumit, et diem sabbati sanctificat. Et qui proximum suum diligit: honorat patrem et matrem, non occidit, non furatur, non mœchatur, non falsum testimonium dicit, nec uxorem proximi vel aliam rem ejus concupiscit. Nam, secundum *Chrysostomum,* sicut odium facere suggerit omne malum; sic dilectio, omne bonum. In tribus autem dilectio Dei extenditur : ut omnes cogitationes, omnes affectiones et omnis ratio humana, qua intelligimus et discernimus, in Deum referantur, et divinis rebus occupentur, ut nihil remaneat in homine quod non divinæ dilectioni subdatur. Item, duo sunt erga proximi dilectionem servanda : ut et beneficii impensione foveatur, et nulla malitia lædatur. Primum est affirmativum, de quo Matthæus : *Quæcumque,* scilicet licita, decentia, expedientia, *vultis,* scilicet voluntate rationali, ratione distinguente inter debita et indebita, *ut faciant,* vel ut dimittant corde, ore, opere, *vobis,* vel pro vobis, *homines,* in quantum homines, non bruta; *et vos facite illis,* in simili casu, voluntate, opere, et pleno affectu. Secundum hanc regulam dilectio proximi causat et efficit, imperando omnes motus omnium virtutum tendentes ad proximum, interiores et exteriores. Aliud est negativum, de quo Tobias : *Quod ab alio oderis,* rationabiliter, *fieri tibi,* corde, ore, opere; *vide ne alii feceris,* voluntate vel opere, affectu vel effectu. Secundum hanc regulam dilectio proximi causaliter reprimit et cohibet omnes motus et actus vitiorum respectu ejus. Licet igitur diversa sint præcepta, quibus aut utiliter quæ appetenda sunt cupimus, aut quæ vitanda sunt utiliter præcavemus; unum tamen sunt in radice caritatis, quia omnia in dilectione Dei et proximi facere debemus. Recte itaque dicit Christus Legem et Prophetas referri ad duo mandata caritatis, quia ex hac dependent, et ibi finem habent O caritas, regula ordinis electorum, lex universalis universos ligans, virtus virtutum, canon canonum, lex legum, non constitutio populi, sed Principis placitum, sanctio Regis regum, quam non solum edidit vel condidit jubendo, sed et edixit et promulgavit personaliter docendo, et adimplevit servando! Ecce lex Domini convertens animas, mater et origo legum divinarum, magistra et domina humanarum rationabilium et æquarum, hostis et inimica iniquarum; cujus observantia per gratiam in hac vita initiatur, et continuata usque ad mortem in alia consummatur.

6 Duorum istorum mandatorum in personam Christi filii David reductio. — Et quia, ut ait *Chrysostomus*, Judæi æstimantes Christum hominem purum esse, tentabant eum, neque tentassent, si Dei Filium credidissent, ideo volens Christus eis ostendere, quia Deus erat, talem interrogationem eis proposuit, ut ipsa interrogatio eis ostenderet quis esset. Quia enim ad Passionem venturus erat, opinionem falsam Judæorum corrigit, qui Christum filium David, non Dominum ejus esse dicebant; et, ut dixit *Hieronymus*, palam eis de se loquitur, ut inexcusabiles sint. *Congregatis autem Pharisæis*, qui ad tentandum venerant, *interrogavit eos Jesus.* Quasi eis diceret : Hucusque quæstionibus vestris satisfeci; tempus est ut et vos in aliquo respondeatis mihi. Interrogat ergo eos de illo, quem credebant esse venturum, quia præsentem credere nolebant, cujus filius debeat esse, *dicens : Quid vobis videtur de Christo*, id est de Messia, in Lege promisso, quem venturum creditis? *Cujus filius est?* Dupliciter errant Judæi circa Christum : primo quidem circa personam, non enim credunt

eum fuisse Christum, qui venit in mundum, natum ex Virgine; sed adhuc exspectant eum; item, errant circa ejus naturam, quia non credunt etiam quem exspectant, esse Deum, sed purum hominem. De isto secundo errore eos interrogat, cujus filius sit, et hoc ideo forte quærit, quia ex quo totam Legem direxerat ad duo mandata dilectionis, tamquam artificiosus legislator, vult ostendere Christus, hæc duo mandata, reduci in unum diligibile, quod est Christus. Nihil enim diligitur tamquam Deus et proximus, nisi ipse Christus duplicem habens naturam in unitate personæ *Dicunt ei*: *David*, secundum illud Psalmistæ: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Credebant illum fore purum hominem, de genere David, unde dicunt David solum, scilicet divinitatem ipsi negando. *Ait illis*, arguendo in contrarium: *Quomodo ergo*, si Christus est purus homo, ut vos creditis, *David*, cui occulta sapientiæ divinæ manifestata sunt, *in Spiritu*, scilicet Sancto et prophetico, non de corde suo proprio, *vocat eum Dominum* suum? quod non liceret, si esset filius ejus, *dicens*: *Dixit Dominus Domino meo*, id est Pater Filio. Ipsi autem sic exponunt: *Dixit Dominus* creator cœli et terræ, *Domino meo* id est Messiæ.

7 Christum seu Messiam non esse purum hominem probatur. — Quod ergo iste Messias non sit purus homo, probatur tripliciter, ex hoc verbo. — Primo ex eo quod David vocat eum Dominum, et hoc sic: nullus pater filium suum, qui trahit naturam suam ab ipso, testatur Dominum suum; sed David, Spiritu Sancto inspiratus, testatur Dominum suum Christum; ergo non solum habet naturam quam traxit ab ipso, sed altiorem, secundum quam dicitur Dominus ejus, scilicet naturam divinam, quia non est homo filius et dominus alterius, secundum eamdem naturam: ergo est alia natura secundum quam est filius, et hæc est humana; alia secundum quam est Dominus, et hæc est divina. — Secundo probatur idem sic: quando David hoc dixit, nondum Messias homo erat, quomodo ergo Dominus ejus erat, qui nondum erat, et qui non ante eum, sed post eum exstitit? Ergo oportet ponere aliam naturam, secundum quam ante eum erat. — Tertio probatur idem ex hoc, quod sequitur: *Sede a dexteris meis*, impossibile est enim purum hominem sedere a dexteris Dei. Dicat ergo David: *Dixit Dominus*, scilicet Deus Pater, *Domino meo*, id est Christo Filio suo, cujus dicere est æqualem sibi Filium generare; ergo, Domino meo, non secundum quod temporaliter homo factus est, sed secundum quod Patris æternus Filius: *Sede* quiete, regni potitus, *a dextris meis*, id est in æqualitate mea, secundum quod Deus; vel, in potioribus bonis, secundum quod homo, quia, ut sit in gloria præest Angelis; *donec ponam*, inclusive, non quod postea non sedeat, quoniam semper sedebit, *inimicos tuos*, et inobedientes tibi, *scabellum pedum tuorum*, id est donec homines rebelles tibi subjugavero: vel bona et voluntaria subjectione, scilicet ut credant te verum Deum et hominem sponte; vel coacta subjectione, ut in die judicii puniantur et credant invite, ita ut, velint nolint, subjecti sint tibi, sicut scabellum pedibus est subjectum. Hæc enim subjectio complebitur in judicio, quando omnia perfecte subjicientur homini Christo. *Si ergo David vocat eum Dominum*, secundum veritatem, *quomodo filius ejus est*, scilicet tantum, cum filius propagatione subjectus sit patri, et maxime secundum consuetudinem patrum antiquorum? Potius enim parentes sunt et dicuntur domini filiorum, quam filii domini parentum; filius enim debet esse subjectus patri, et non dominari. Quasi diceret: Cum, secundum naturam humanam, sit filius David, et per consequens eo inferior, oportet ponere in eo aliam naturam, per quam sit Dominus ejus et eo superior, et hæc est natura divina; ergo in Christo sunt duæ naturæ, scilicet: divina et humana. Est itaque filius David et Dominus: sed filius in quantum homo, Dominus autem in quan-

tum Deus; et sic restat quod Christus est homo et Deus. Non ergo errabant, nec reprehenduntur, quia Christum filium David dicunt; sed quia ipsum purum hominem, et non Dei Filium credunt. Christus autem non tantum David, sed et Dei Filium se esse probavit, et per auctoritatem ipsius David eos convicit. *Et nemo poterat ei respondere verbum*, quia non poterant Scripturam negare, et irrefragabile erat argumentum; *neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare*, quia plane testimonio et ratione erant convicti Unde *Hieronymus*: « Ideo confutati sermonibus ultra non interrogant, sed apertissime comprehensum Romanæ tradunt potestati Ex quo intelligimus venena invidiæ posse quidem superari, sed difficile posse quiescere: » hæc *Hieronymus*.

ORATIO

Domine Deus, sanctificator meus; misisti mihi legem tuam, ut toto corde, tota anima, tota mente, et ex omnibus viribus meis te diligam; sed nec hoc valeo, nisi tu dederis mihi, cujus *est omne donum perfectum et omne datum optimum*. Jubes te diligi; da quod jubes, et jube quod vis. Da etiam mihi diligere proximum, sicut meipsum, ut hic gratiam, et ibi gloriam consequamur in idipsum. Da insuper mihi, bone Jesu, ut te Christum nobis missum Deum et hominem corde credam, ore confitear, et opere contester, ut tibi nunc subjectus sponte, tecum gaudeam sine fine. Amen.

CAPUT XXXVII

DE SCRIBIS ET PHARISÆIS IN DOCTRINA AUDIENDIS, SED NON IN VITA IMITANDIS.

Matthæi cap. XXIII, Marci cap. XI et Lucæ cap. XII.

1 OMNIA QUÆ A SACERDOTIBUS PRÆCIPIUNTUR FACIENDA DOCET DOMINUS. —. Confutatis autem et tacentibus Scribis et Pharisæis, qui dolose interrogabant Dominum ut tentarent eum; *tunc*, eadem feria tertia, ne plebs et alii idonei sine pane doctrinæ evanescerent, *locutus est Jesus ad turbas*, scilicet ad simplices et imperfectos, *et ad discipulos suos* magis doctos et perfectos Unde *Chrysostomus*: « Postquam Dominus sacerdotes responsione prostravit, et incorrigibilem conditionem eorum ostendit, sicut et clerici, si male fecerint, inemendabiles sunt, laici vero delinquentes facile emendantur; tunc convertit sermonem ad populum. Infructuosum namque est verbum in quo sic alter confunditur, ut alter non erudiatur. » Locutus est ergo ad eos instruens et docens Scribarum et Pharisæorum doctrinam audiendam sed eorum vitam non imitandam, et nihilominus hortans eos subjici illis, propter sacerdotii et nominis dignitatem, non opera, sed doctrinam considerantes; multaque eorum crimina annumerans, et alios ab eis dehortans. Unde *locutus est dicens*: *Super cathedram Moysis*, id est auctoritate dicendi et judicandi, *sederunt*, scilicet indigne, *Scribæ et Pharisæi*. Cathedra doctorum est, et ideo dicuntur sedere super cathedram Moysis, qui docent quod docuit Moyses. Ubi idem *Chryso-*

stomus : « Multi sacerdotes, et tamen pauci sacerdotes : multi in nomine, et pauci in opere. Vide te ergo quomodo sedeatis super eam, quia non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram. Non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Non omnis sacerdos sanctus est, sed omnis Sanctus sacerdos. Bene quidem docendo, et male vivendo, Deum instruis quomodo debeat te condemnare. » Ut autem dicit idem *Chrysostomus*, ne aliquis se excuset dicens, quoniam propter hoc desidior factus sum ad agendum, quia malus est doctor, ideo hanc destruit occasionem, cum subdit : *Omnia ergo*, ad cathedram pertinentia, *quæcumque dixerint vobis*, id est ad vestram utilitatem, *servate* corde *et facite* opere, id est doctrina. Non tamen simpliciter quæcumque, sed illa tantum, quæ Moysis cathedræ doctrinæque conveniunt, et quæ a vera fide non discrepant, neque divinis repugnant mandatis. Unde idem *Chrysostomus* : « Omnia, ait, quæ corrigunt mores, et meliorem faciunt vitæ modum, et Novi Testamenti concordant legibus, et non dimittunt de reliquo sub jugo Legis esse : » hæc *Chrysostomus*. Ex quo patet quod etiam malis prælatis et doctoribus bona docentibus est honor obedientiæ exhibendus, nisi in his quæ manifeste sunt contra Deum; et sunt habendi in reverentia, quamdiu tolerantur in officio suo, quod patet per exemplum David, qui venerabatur Saulem, licet sciret eum malum, et a Deo reprobatum. Et per hoc auditoribus tollitur excusatio non bene agendi; nam obediendo malis prælatis et doctoribus, Deus in eis honoratur, cujus personam gerunt; non enim sua, sed quæ Dei sunt, dicunt.

2 Sed non semper secundum opera eorum agendum est. — *Secundum opera vero eorum*, quæ præter id quod oportet nequiter faciunt, *nolite facere*, quia non sunt imitandi in malis, sed tantum in bonis. Ubi *Chrysostomus* : « Si bene vixerint, eorum est lucrum; si bene docuerint, vestrum. Accipite ergo quod vestrum est, et nolite discutere quod alienum est : » hæc *Chrysostomus*. *Dicunt enim, et non faciunt*, quia vita doctrinæ non concordat. Docebant enim bene vivere, secundum Legis præcepta, et ipsi per prævaricationem Legis male vivebant. Contra quos dicit *Augustinus* : « Bene docere, et male vivere, non est aliud quam se sua lingua damnare ; de talibus enim, qui dicunt et non faciunt, potest dici illud Genesis : *Vox quidem, vox Jacob est*, *manus autem manus Esau*. » Ubi et *Chrysostomus* : « Maxime accusatione dignus est, qui doctrinæ auctoritatem habens, Legem transgreditur : primo quidem, quia prævaricatur, qui alios corrigere debet; deinde, quia peccans majori pœna dignus est, propter honorem; tertio, quia plus corrumpit, velut in ordine doctoris peccans. »

3 Arguitur crudelitas et negligentia Pharisæorum onera gravia aliis, non sibi, imponentium. — *Alligant enim onera*, scilicet suarum traditionum et legum, ut sint quasi fascis importabilis, *gravia* enim, quantum ad affectum, *et importabilia*, quantum ad effectum ; *et imponunt in humeros hominum*, non in suos, per coactionem observantiæ præceptorum, quia supra Legis præcepta constituerunt ex suis traditionibus multa quæ erant subditis gravia et importabilia ; *digito autem suo*, id est levi motu vel tactu, *nolunt ea movere*, et tangere. Ecce qualiter eorum reprehensionem aggravat, non enim dixit : non possunt, sed *nolunt;* nec dicit : pleno opere et manu, sed *digito* et modico tactu ; nec dixit : portare, sed *movere*, id est neque prope fieri neque tangere, quia modicum conatum ad agendum talia nolebant apponere, et nec minora eorum quæ ipsi præcipiebant volebant opere adimplere. Ubi ait *Chrysostomus* : « Secundum consequentiam autem tales sunt etiam sacerdotes, qui omnem justitiam populo mandant, et ipsi nec modicam servant, videlicet non ut faciendo sint justi, sed ut dicendo justi. Tales sunt et qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt, ipsi autem nec minimum faciunt. Et sic dum pœna præsentis pœnitentiæ fugitur, contemnitur pœ-

na futuri judicii. Si enim fascem super humeros adolescentis, quem non potest bajulare, posueris, necesse habet ut aut fascem rejiciat, aut sub pondere confringatur; sic et homini, cui grave pondus pœnitentiæ imponis, necesse est ut aut pœnitentiam tuam rejiciat, aut suscipiens, dum ferre non potest, scandalizetur, et amplius peccet. Deinde, etsi erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam dare rationem, quam propter crudelitatem? Ubi paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax minister. Si Deus benignus, utquid sacerdos est austerus? Vis apparere sanctus, circa tuam vitam esto austerus; circa aliorum autem benignus. Audiant te homines parva mandantem, videant grandia facientem. Talis est autem sacerdos, qui sibi indulget, et aliis exigit; quemadmodum malus descriptor tributi in civitate, qui semetipsum relevat et onerat impotentes. » Et iterum : « In quo duplicem eorum malitiam ostendit : unam quidem in hoc quod sine venia expetunt a subjectis summam diligentiam vitæ; aliam vero in hoc, quod sibiipsis multam concedunt licentiam. Oportet autem bonum principem e contrario se habere, in his quidem quæ secundum seipsum sunt, gravem judicem esse; in subjectis autem, mansuetum : » hæc *Chrysostomus*. Imponendo ergo modicam pœnitentiam, melius est animas mittere in purgatorium, quam in infernum; sed tamen in quibus tenentur saltem est eis innotescendum. Igitur, ut ait *Hieronymus*, hoc generaliter dicitur adversus omnes magistros, qui grandia jubent, et minora non faciunt. Hæc est autem quædam causa non modica, quæ hodie movet subditos contra majores et prælatos, quia dicunt, et non faciunt; imponunt onera aliis, et ea digito non tangunt. Talium verba apud subditos parum proficiunt, quando in eis non videntur quæ docent et præcipiunt. Quicumque ergo proximorum animabus utilis esse desiderat, studeat prius in se habere quidquid alios docturus est, alioquin parum proficiet. Nam ejus verbum inefficax erit, nisi prius homines in eo comperiant esse ea quæ docet. Ex præmissis patet, quod ille, qui legem aliquam constituit, licet non sit sub litus legi, quantum ad hoc quod per hominem puniatur, si contrarium fecerit, tamen obligatus est ad legem implendam, et gravius punietur a Deo, si fecerit contrarium, quia transgressio ejus est gravior propter scandalum. Propter quod dicit quidam sapiens : « Patere legem quam ipse tuleris »; et, ut alibi dicitur « quod, quidquid juris in altero statuit, ipse eodem uti debet. » Patet ergo ex prædictis, quod illi, qui statum Ecclesiæ in generali, seu aliquem statum ejus in speciali, regunt, et subditos onerant gravibus statutis, sine magna et evidenti necessitate, abutantur sua potestate, sicut faciebant Pharisæi et Scribæ. Prælatorum enim tot sunt inhumanæ sententiæ et mandata, lignaque vetita, quod vix possit aliquis transire per hujus mundi umbram, quin incidat in peccatum et offensam. Unde ait *Augustinus* loquens de religione Christiana : « Ipsam religionem nostram, quam Dominus noster Jesus Christus in paucissimis sacramentorum celebrationibus voluit esse liberam, quidam servilibus premunt oneribus, adeo ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui non humanis præsumptionibus, sed divinis subjiciuntur institutis : » hæc *Augustinus*.

4 Arguitur et eorum vana gloria. — Deinde, secundum *Chrysostomum*, postquam Dominus arguerat Scribas et Pharisæos crudelitatis et negligentiæ consequenter arguit eos inanis gloriæ, quæ fecit eos a Deo recedere, et propter quam non possunt Christo credere. Unde subditur : *Omnia vero opera sua faciunt*, ea scilicet intentione et eo fine, *ut videantur ab hominibus*; et sic habeant gloriam inter homines, id est propter gloriam humanam, quia videri in bonis propter gloriam divinam non est malum, sed magis meritorium. Non autem potest credere Christo cœlestia prædicanti, qui gloriam terrenam quærit, et eam cœlestibus præponit. Non solum ergo

desides et remissi erant ad bene operandum; sed etiam vane gloriosi, et in suis operibus laudem appetentes hominum, ut essent in reverentia et honore apud populum. Tales autem nullam mercedem de operibus suis recipiunt, quia non student, ut Deus glorificetur, sed ut ipsi in his quæ agunt laudentur et remunerentur. Et ideo non solum nullam mercedem, sed etiam pœnam recipiunt, qui de bono malum faciunt. Unde *Chrysostomus* : « Quemadmodum vermis de ligno nascitur, et lignum a verme consumitur, et tinea de veste a qua corroditur; sic diabolus insidiatur, et occasionem quærit, ut qui cogere hominem ad malum non potest, studeat ut ex bonis operibus malum inanis gloriæ nascatur, et quod bonum erat, ex inani gloria sit malum. » Igitur, ut ait *Hieronymus*, quicumque ita facit quodlibet ut videatur ab hominibus, Scriba est et Pharisæus.

5 Phylacteria et fimbriæ Judæorum. — Deinde, quod Dominus generaliter dixerat, scilicet : *Opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus*, consequenter in partes dividit, dicens : *Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias;..... et volunt ambulare in stolis*. Circa hæc, secundum *Hieronymum*, est sciendum, quod Dominus, cum dedisset mandata Legis per Moysen, ad extremum intulit, dicens : *Ligabis ea in manu tua, eruntque semper ante oculos tuos*. Et erat sensus : Præcepta mea sint tibi semper in opere, semper in meditatione, sint in manu tua, ut opere compleantur, et sint ante oculos tuos, ut die ac nocte mediteris in eis, quia spiritualiter per manus est intelligenda operatio, et per oculos jugis meditatio. Sed hæc Pharisæi male interpretantes, scribebant in membranis et chartis Decalogum Moysis, id est decem Legis verba sive præcepta, complicantesque ea, et quasi coronam capiti facientes, ligabant in fronte, ut semper ante oculos moverentur; et similiter in sinistro brachio circumligabant, ut semper in manu haberent. Et dilatabant has membranas, id est eas latiores faciebant, et Decalogum in eis de grossiori littera scribebant. Et hæc omnia faciebant in signum religionis, ut per hæc religiosi apparerent, et recordatores et observatores Decalogi ab hominibus viderentur. Et hæ chartæ dicebantur phylacteria, a vocibus græcis φυλάσσειν, quod est servare, et τήρα, quod est lex, quasi conservatoria Legis, quia erant quædam signa servandæ Legis, eo quod quicumque ea habuissent, quasi ob custodiam et munimentum sui haberent. Jusserat etiam Dominus per Moysen, *ut per* quatuor *angulos palliorum*, juxta pedes *sibi faciant fimbrias*, ad populum Israeliticum discernendum a ceteris populis in habitu exteriori, sicut erant religione discreti, *ponentes in eis vittas hyacinthinas*, quæ etiam cum filis apponebantur, *quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini*, ac vana et inutilia non cogitent. Sunt igitur fimbriæ Legis mandata, vittæ vero hyacinthinæ sanctæ cogitationes : quæ si simul junctæ fuerint, ab omni vanitate oculos avertunt, et tota mente ad cœlestia dirigunt. Videntes enim hyacinthum, cœli recordamur, quia unius ejusdem coloris sunt cœlum et hyacinthus. Istiusmodi erat fimbria brevis et parva ex Lege præcepta, quam mulier sanguine fluens tetigit in pallio Domini, et statim est sanata. Per hujusmodi etiam fimbriam creditur Samaritanam cognovisse de Domino, quod Judæus esset. Superstitiosi vero magistri, gloriam ab hominibus captantes, et lucra sectantes, et ostentationem, majores fimbrias aliis, in palliis suis faciebant, et acutissimas in eis spinas ligabant, ut videlicet eundo, vel sedendo eis pungerentur, et quasi sic commoniti memores mandatorum, et beneficiorum Dei essent, et hac commonitione ad officia Dei et ad ministeria servitutis ejus traherentur, non intelligentibus eis, quod hæc in corde portanda sint, non in corpore, alioquin et armaria, et arcæ libros habent, et Dei notitiam non habent.

6 Vanæ gloriæ manifestationes in usu stolarum, et amore primorum recubituum ac salutationum. — Pro tanto autem hæc faciebant, quia ho-

minibus videri, et opinione sanctitatis ab eis honorari, ac lucra habere cupiebant. Et volebant ambulare in stolis, id est cultioribus vestimentis ad publicum procedere, ut per hoc honorabiliores viderentur, et magis venerarentur, quod in divite reprehenditur, qui bysso et purpura induebatur. Stolæ erant camisiæ lineæ longæ, quibus Scribæ utebantur, ut sanctiores apparerent, et dicebantur stolæ, a θῆλυς, quod est molle et longum, quia usque ad pedes descendebant. Hæ stolæ adhuc hodie multas simulationes et hypocrises faciunt, ac plerosque incautos decipiunt. *Amant* quoque *primos recubitus* et sedes *in cœnis*, et hoc duplici de causa scilicet : ratione gulæ, quia primo ibi servitur, et fercula meliora ponuntur; et ratione superbiæ, ut sic in loco honorabiliori positi, principaliores et majores domini viderentur; et *primas*, ac digniores *cathedras in synagogis*, et congregationibus, ubi conveniebant homines ad audiendum verbum Dei; *et* primas *salutationes in foro*, id est loco patenti, primas quidem tempore, ut dicit *Chrysostomus*, ac factas alta voce; *et*, inclinato capite, *vocari ab hominibus Rabbi*, id est magistri. Vocari volunt, non esse ; nomen appetunt, et officium negligunt. Et notandum, quod tripliciter conveniunt homines : vel ad tractanda carnalia, sicut in cœnis; vel spiritualia, sicut in synagogis; vel temporalia, sicut in foro : et ideo ubique volebant principatum habere, et gloriam in publico quærebant sibi exhiberi.

7 Quatuor magistrorum vitia. — Ecce ergo quatuor generaliter in hac serie, quæ reprehenduntur in magistris et prælatis, in quibus non sunt imitandi : primum est defectus bonæ operationis, quia *dicunt*, *et non faciunt*; secundum est, austeritas prælationis, quia, *onera gravia* aliis, non sibi *alligant et* imponunt; tertium est, ostentatio singularis actionis, quia, *omnia opera faciunt*, *ut videantur ab hominibus*; quartum est, affectus ambitionis et laudis, quia, *amant primos recubitus*, *et primas cathedras*, *et salutationes*. Et nota, secundum *Bedam*, quod Dominus non arguit et vituperat eos, quibus hæc ex officii ordine competunt et fluunt; sed illos qui hæc habita, sive non habita, indebite amant et appetunt, animum videlicet, non gradum redarguens, et ad voluntatem, non ad factum vituperationem referens. Sine causa enim loco se humiliat, qui corde se præfert et exaltat; unde non prohibet magistros primo sedere, nec doctrinam super cathedram, nec salutationes in foro, nec nomina magistri vel patris; sed ambitionem, et vanam gloriam, ne quis hæc appetat, vel glorietur in eis. Si autem, dicit *Chrysostomus* diligere talia est incusatio, quam malum est studere, ut his aliquis potiatur? Ubi ait *Beda* : « Væ miseris illis, ad quos Pharisæorum vitia transierunt, qui per breve curriculum vitæ suæ, quo peccata plangere debuerant, pro prioratu certare non metuunt! » Et sciendum, secundum eumdem *Bedam*, quod duplici ratione a vanæ gloriæ cupidis attendere jubemur : ne scilicet eorum vel simulatione seducamur, æstimantes bona esse quæ faciunt; vel æmulatione ad imitandum inflammemur, frustra gaudentes in bonis laudari, quæ simulant.

8 Unus est nobis Præceptor et Pater; unde humilitatis commendatio. — Deinde, revocat discipulos ab hac superbia et ambitione, dicens : *Vos autem nolite*, id est non velitis et affectetis, *vocari Rabbi*; *nec vocemini* id est nec appetatis vocari *magistri*, propter inanis gloriæ ambitionem ; *et patrem nolite vocare vobis super terram*, propter adulationem. Non honorem, vel nomen magistri, aut patris, inhibet; sed, ne quis indebitum, vel indebite hoc sibi usurpet, vel alteri attribuat : *Unus est enim Magister vester*; *et unus est Pater vester* principalis omnium singulariter, et per excellentiam, *qui est in cœlis*, cui est cura de omnibus ; item *magister vester unus est*, scilicet *Christus*. Licet aliquis possit vocari pater, vel magister in terra, ratione generationis doctrinæ vel ætatis : attamen solus Deus, naturæ auctor, est Pater et Magister principalis; quia ab eo habemus quod sumus, et sci-

mus. Ubi *Chrysostomus* : « Vos autem nolite vocari Rabbi ; ne quod Deo debetur vobis præsumatis. Nolite et alios vocare Rabbi ; ne divinum honorem hominibus deferatis. Unus est enim Magister omnium, qui omnes naturaliter docet. Et patrem nolite vocare vobis super terram, qui non estis filii terreni. Ex eo enim cœlestem te professus es habere Patrem, ex quo Patrem tibi vocasti de cœlo, dicens : *Pater noster, qui es in cœlis.* Ex quo autem cœlestem te professus es habere Patrem, vocando Patrem Deum, turpe est ut iterum te profitearis terrenum, tibi patrem vocando super terram. » Et iterum : « Ne vocetis patrem in terra, non ut dehonores eos, qui te genuerunt, sed ut omnibus illis præponas eum qui te fecit, atque inscripsit te inter filios suos : » hæc *Chrysostomus*. *Omnes autem vos fratres estis*, quia filii Dei per creationem, et gratiæ adoptionem, ad unam vocati hereditatem, scilicet ad regnum cœlorum. Secundum *Hieronymum*, omnes Christiani fratres vocantur specialiter ; et omnes homines, ex uno Patre Deo nati, communiter. Non solum autem Dominus primatus cupere prohibet, sed ad contrarium auditorem inducit; unde, ut in amorem humilitatis discipulos ducat, ostendens formam humilitatis, subjungit : *Qui major est vestrum*, vel merito sanctitatis, vel officio dignitatis, *erit* et sit *minister vester*, et alios præveniat obsequendo, non superbe dominando, paratus ad officia humilitatis, secundum decentiam sui status; unde et Papa vocat se servum servorum Dei Bene agentibus per humilitatem sit socius; contra delinquentes zelo justitiæ sit erectus. *Qui autem se exaltaverit*, in præsenti per elationem et arrogantiam, *humiliabitur*, in futuro, per damnationem et pœnam ; *et qui se humiliaverit*, in præsenti, non nequiter sed veraciter, *exaltabitur*, in futura gloria mirabiliter. Et notandum quod propter triplicem gradum humilitatis hoc verbum ter ponitur in Evangelio, scilicet : supra, ubi monet ut invitati recumbant in novissimo loco ; et iterum, de Pharisæo et Publicano orantibus in templo ; et tertio in hoc loco. Est enim triplex humilitas, scilicet : cordis, operis et oris, quam tria nutriunt et custodiunt : primam assiduitas cordialis subjectionis, quam non habuit Lucifer ; secundam, consideratio propriæ fragilitatis, quam non habuit Adam; tertiam, benignitas orationis, quam non habebit Antichristus.

ORATIO

Domine Jesu Christe pie, aufer a me defectum bonæ operationis, ut merear bona non solum docere et dicere, sed etiam facere, et operibus adimplere; remove a me austeritatem ac crudelitatem, ne grandia jubendo, et minora non faciendo, me relevare videar et alios onerare. Exclude a me gloriam inanem et ostentationem, ne opera mea ut ab hominibus videar faciam, et gloriam humanam in eis non quæram. Elonga etiam a me ambitionis et laudis affectum, ne prima loca et salutationes amem, vel magistri nomen, ut me sic humilians in hoc seculo, merear a te exaltari in futuro. Amen.

CAPUT XXXVIII

QUIBUS DEBETUR VÆ ÆTERNUM.

Matthæi cap. XXIII.

1 VÆ ÆTERNUM CUR OCTIES POSITUM ? — Post hæc Dominus, qui Legi et præceptis evangelicis obedientibus dat benedictiones, ipsis Scribis et

Pharisæis inobedientibus comminatur væ maledictionis, et in omnibus effectibus hypocrisis ipsorum, hanc dictionem *væ* præponit, quæ maledictionem significat. *Væ* quippe in Scriptura Sacra nota æternam damnationem, et gehennæ supplicium, sed *heu*, hujus seculi peregrinationem, et præsens notat exsilium. Unde, secundum *Origenem*, sicut in Veteri Lege ponuntur benedictiones observantibus Legem, et, e contrario, maledictiones transgredientibus eam : ita in Evangelio ponuntur beatitudines respectu justorum, ut habitum est supra in sermone Domini in monte, et hic, e contrario, ponuntur maledictiones contra hypocritas falso justitiam simulantes. Et ponit Dominus octo *væ*, juxta octo in quibus ipsorum hypocrisis et fictio patet, ad ostendendum quæ in eis cavenda esse docet.

2 Væ Scribis et Pharisæis de superbia et avaritia. — In primo, redarguit eos de superbia et de avaritia, quia regnum cœlorum claudebant ante homines, nec ipsi intrabant, nec intrare sinebant volentes. Unde dicit : *Væ*, id est æterna damnatio *vobis*, imminet, *Scribæ*, qui putatis vos peritos in Lege, *et Pharisæi*, qui dicitis vos prælatos in sanctitate, *hypocritæ*, simulantes quod non estis, *qui clauditis regnum cœlorum ante homines*, id est, quia vestris pravis expositionibus veritatem Scripturarum absconditis, vel malo exemplo alios scandalizatis ; *vos enim non intratis*, quia intelligere et credere non vultis, *nec introeuntes* scilicet introire volentes, id est credere cupientes, *sinitis intrare*, quinimo facitis illos errare. Dupliciter enim impeditur ingressus alicujus in domum : uno modo, quando clavis tollitur; alio modo, quando obstaculum ponitur. Spiritualiter autem, secundum *Chrysostomum* , regnum cœlorum sunt Sacræ Scripturæ, quia in eis regnum cœlorum est insertum. Iste ergo claudit hoc regnum alteri, qui clavem portat, et non aperit, scilicet qui habet scientiam, et docere contemnit, vel negligit ; iste vero obstaculum ponit, qui per malum exemplum alios impedit ne intrent, vel intrare velint. Quamvis ergo Scribæ et Pharisæi per Scripturas cognoscerent et scirent Christi adventum ; tamen ipsi considerabant, quod si Christus creditus fuisset, consuetudo sacrificiorum et oblationum cessaret, et sic ipsi oblationibus sacrificiorum fraudarentur ; et ideo prava expositione et perversa interpretatione ante conspectum populi claudebant januam Legis et Prophetarum, qui de adventu Christi manifestissime locuti fuerant, ut a fide Christi homines retraherent. Malis quoque operibus suis et exemplis simplices a fide avertebant ; et sic eos scandalizantes, regnum cœlorum ante illos claudebant. Primo quidem ipsi cognitionem de Christo habuerunt ; sed postea, per invidiam obcæcati, perdiderunt, et in errorem conversi sunt, et multos alios errare fecerunt. Vel, secundum alios : regnum cœlorum hic accipitur pro æterna beatitudine ; ostium, per quod intratur ad ipsam, Christus est, secundum quod ipsemet dixit : *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur* ; clavis est doctrina ; et ideo per sanam doctrinam aperitur hoc ostium, et per falsam doctrinam clauditur. Igitur, quia Pharisæi et Scribæ auctoritates, quæ sunt in Lege et Prophetis de Christo, corrumpebant, ideo regnum cœlorum ante homines claudebant, eos a fide et notitia Christi veri avertendo, et in errorem mittendo ; ipsi autem non intrabant, quia a cognitione quam de Christo habuerunt, per odium et rancorem in errorem conversi sunt ; nec introeuntes, id est intrare volentes, quales erant simplices populi, sinebant intrare, quia per eos fuerunt decepti, et a fide Christi pro majori parte aversi.

3 Væ de gula. — In secundo, redarguit eos de gula, et gastrimargia : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia* sub specie cultus divini et religionis, *orationes longas*, scilicet in verbis, sed breves in affectu et sententiis, *orantes*, scilicet, ut inde sanctiores apparerent, et majora dona reciperent, *comeditis* substantiam pauperum, scilicet , *domos viduarum* , affectum

pietatis ad eos habentium, bona earum sibi attrahentes, et consumentes sub simulatione et falsa specie sanctitatis. Sua enim superstitione nihil intendebant, nisi ut prædam de subjecta plebe facerent, et magis de viduis, quæ facilius decipiuntur, non habentes virum, qui consulat, et habentes dandi libertatem, quod ipsis voluntas suggerit. Et ex hoc, factum eorum aggravatur, quoniam non a divitibus, sed a viduis ventrem implebant; et illarum inopiam attrahebant, quam emendare oportebat. Ubi *Chrysostomus* : « Dum Judaicos sacerdotes confundit, Christianos sacerdotes monet non permanere cum viduis amplius quam cum ceteris; quia etsi voluntas mala non est, suspicio tamen semper mala est. » Deinde et hujus rapinæ modus erat gravior: ut enim dicit idem *Chrysostomus*, qui malum facit, dignus est pœna; sed qui a religione causam accipit malitiæ, graviori est obnoxius pœnæ. Unde subjungitur : *Propter hoc*, scilicet non solum propter rapinam, sed etiam propter vestram simulationem, *amplius accipietis judicium*, et majorem damnationem. Ubi *Chrysostomus* : « Primum quidem pro eo quod figmentum sanctitatis assumitis, avaritiam enim vestram religionis colore depingitis, et quasi diabolo præstatis arma Dei, ut armetur iniquitas dum pietas æstimatur. » Unde, et secundum *Bedam*, non tantum ait : *Accipietis judicium*, sed adjunxit : *amplius*, ut insinuet illos qui orant, ut videantur ab hominibus, damnationem mereri, sed eos qui hæc prolixius, quasi religiosiores agendo, non solum laudes ab hominibus, sed et pecunias quærunt, prolixiori damnatione plectendos. Istorum ergo oratio fit in peccatum, ut non solum pro aliis intercedere non possint, sed nec sibi ad salutem proficere; imo pro ipsis orationibus magis damnabuntur. Ubi ait *Isidorus* : « Dupliciter damnantur hypocritæ : vel pro occulta iniquitate, vel pro aperta simulatione. Ex illo enim condemnantur, quia iniqui sunt; ex isto, quia ostendunt quod non sunt. » Unde, secundum *Augustinum*, simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas; et ideo, cum venerit retributio, plectenda majori pœna.

4 Væ de inani labore et nequitia. — In tertio, redarguit eos de inani labore et de nequitia: *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia*, multi vestrum, circuitis *mare et aridam*, scilicet civitates et villas, lustrantes orbem, *ut* ex Gentilibus, *unum proselytum faciatis*, id est aliquem de Gentilitate ad Judaismum trahant et convertant; et non propter misericordiam, ut eos salvent, sed aut propter vanam gloriam, ut pietati, fidei, et cultui Christianæ religionis obsistant, aut propter avaritiam, ut additis in synagoga novis Judæis, et sacrificiorum oblatio adderetur eis. *Proselyti* dicuntur, qui, relicto Gentilitatis errore, ad Judaismum convertebantur, quorum raritas per unum significatur. Ubi patet labor vacuus, quia pro uno circumeunt mare et aridam multi eorum; sed unus de mille Christus circuit civitatates et villas, et sequuntur eum turbæ multæ. Patet etiam nimia ipsorum nequitia, quoniam pro quo laborant, ut ad se trahant, deteriorem se faciunt; sequitur enim : *Et cum factus fuerit, facitis eum filium gehennæ*, seu perditionis, *duplo quam vos*. Quia ante, dum ethnicus erat, simpliciter errabat, et semel filius gehennæ erat; sed postea videns eorum vitam revertitur ad Gentilitatem, et sic prævaricator et apostata a Lege, quam servare promiserat, in moribus et fide peccat, et est majori pœna dignus, quia: *Melius esset non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti*. Similiter faciunt illi qui multum laborant ad hoc quod possint aliquem ad religionem adducere; et cum adductus est, per mala exempla faciunt eum apostatare : *Et fiunt novissima illius pejora prioribus*, quia, ut hic ait *Hieronymus*, non eo studio servamus quæsita, quo quærimus.

5 Væ de fraudulenta stultitia. — In quarto, redarguit eos de stultitia et fraudulentia, quia ut populum ad dandum et offerendum invitarent, ea quæ erant propter templum et altare, præferebant in honore et sanctitate

ipsi templo et altari velut sanctiora. *Væ vobis, duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum nihil est*: dicebant enim, quod quis juret per templum vel per altare, nihil est, id est nihil debet, nec obligatur isto juramento, et convictus mendacii non tenetur reus perjurii, nec est obligatus in aliquo; *qui autem juraverit in auro templi*, id est in pecunia, quæ offerebatur sacerdotibus in templo, vel in dono, et oblationibus, id est in hostia et victimis quæ offeruntur Deo super altare, *debet*, id est obligatur, et convictus statim illud in quo juravit tenetur exsolvere; et hoc quam studiosissime solebant repetere. Sanctio ergo istorum erat talis quod juramentum per creaturas non erat obligatorium, nisi solum cum jurabatur per aurum et dona templi, et altaris; in quo non attendebant Dei timorem, sed suam cupiditatem. Unde decipiebant populum, dicentes aurum et dona sanctiora esse, quam templum et altare, ut homines promptiores fierent ad offerenda dona; sed errabant, quia majus est quod sanctificat, quam quod sanctificatur: ergo et templum majus est quam aurum, et altare majus quam donum, quia templum et altare quodammodo sanctificant in eis oblata, quia erant Deo dicata; ergo et juramentum per templum et altare majus est, quam per aurum templi vel donum altaris. Unde vocat eos cæcos duces, quia in errore erant, et alios in errorem ducebant; et iste error maxime ex cupiditate procedebat. Item, convincit eos alia ratione, quia in juramento quod fit per templum, vel per altare, continetur juramentum per aurum, vel per donum: *Qui enim jurat in altari*, ex quo derivatur oblationum sanctificatio, *jurat* etiam *et in omnibus quæ super illud sunt*; *et quicumque juraverit* in templo, jurat *in illo et* etiam *in eo qui habitat in ipso*; et ideo juramentum per templum, vel altare, magis est obligatorium, quam per dona templi vel altaris. Similiter, quia Judæi consuetudinem habebant per cœlum jurare, ideo ad reprehensionem eorum subdit: *Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, et in eo.* Deo scilicet, *qui sedet super eum.* Non ergo sicut arbitrantur evadunt periculum ex eo quod non jurant per Deum, sed per thronum Dei, scilicet cœlum. Qui enim per subjectam creaturam jurat, implicite jurat et per Creatorem creaturæ præsidentem; et ideo juramentum per creaturas licitum, est obligatorium. Adhuc multi insipientes Christiani eodem vitio et simili errore laborant, qui putant majus esse jurare per Evangelium, quam per Deum; et cum per Evangelium jurare timeant; per Deum tamen frequenter, ex usu vitioso, jurare non formidant, cum tamen tota sanctitas Evangelii a solo Deo veniat. Scripturæ enim Sacræ propter Deum factæ sunt, non Deus propter Scripturas; et ideo major est Deus, qui sanctificat Evangelium, quam Evangelium, quod sanctificatur ab eo.

6 Væ de ignavia circa salutaria, dum circa temporalia magnam gerunt sollicitudinem. — In quinto, redarguit negligentiam et segnitiem, quam habebant circa magna et utilia, ad salutem animarum pertinentia, gerentes autem magnam sollicitudinem et diligentiam circa minuta et temporalia. *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham et anethum, et cyminum*, id est minimas res; *et reliquistis quæ graviora sunt Legis: judicium*, scilicet justitiam in judiciis, *et misericordiam* erga pauperes, *et fidem* in Deum. Fides importat debitum ordinem hominis ad Deum; judicium autem importat debitum ordinem hominis ad suum proximum, in his quæ habent rationem debiti; misericordia autem, in his quæ habent rationem doni: et in his tribus intelliguntur omnia illa, quæ ad salutem sunt multum necessaria. Quod autem dicit Dominus: *Decimatis*, potest dupliciter intelligi. Uno modo respectu sui, quia licet ministri receperunt decimas a populo, tamen de illis acceptis a populo, et de his quæ habebant ex labore suo, decimas reddebant sacerdoti summo. Ad simulationem quippe sanctitatis reddebant eis decimas de minimis, et

ratione cupiditatis, ut per exemplum sui inducerent populum ad reddendum sibi decimas de omnibus usque ad minima. Aliter potest intelligi respectu aliorum, quos ad stricte solvendum decimas inducebant, quas ab eis usque ad minima extorquebant. Et ne aliquis crederet quod de minimis rebus non essent decimæ dandæ, subjungit, quod principalius *oportuit facere hæc* majora, scilicet judicium et misericordiam, et ea quæ sunt fidei agere tamquam magis necessaria; *et illa*, id est minora, scilicet minimarum rerum decimationem *non omittere*, tamquam bona minora; quia præceptum Dei est de omnibus, tam minoribus quam majoribus decimas dare, et omnia præcepta Legis tam maxima quam minima oportet adimplere. Deinde, Dominus has simulationes eorum arguit, quia erant *duces* habentes regere populum, *cæci* pervertentes intellectum Scripturarum, *excolantes*, et purgantes *culicem*, id est minora cum diligentia disquirentes et tractantes, *camelum autem glutientes*, id est majora subticentes, et pro nihilo reputando omittentes. Culex quippe animal parvum est ab aculeo dictum, habet enim in ore fistulam ad modum stimuli, quo pungit carnem et sugit sanguinem; per quod minor transgressio intelligitur. Camelus vero est animal magnum et deforme; per quod major prævaricatio designatur. Ubi *Chrysostomus*: « Quoniam Scribarum et Pharisæorum ad quos loquebatur quidam erant sacerdotes, quidam autem populares, non est incongruum ut duplicem hujus loci faciamus traditionem: ut una pertineat ad populares, qui decimas dant, alia autem ad sacerdotes, qui decimas accipiunt. Etenim ipse sermo dubius est, qui dicit: *Væ vobis.... qui decimatis*, quia et qui accipit decimas, recte decimare dicitur, et qui dat. Scribæ ergo et Pharisæi minimorum olerum decimas dabant, ut per hoc videntes eos, dicerent homines: Putas quomodo isti omnium rerum suarum decimas offerre non prætermittunt, ut etiam contemptibilium olerum decimas dare non negligant; putas quomodo omnia præcepta Dei vita eorum consummat, ut nec in modicis his negligere acquiescant! Quod non erat verum. Nam minorum quidem rerum decimas offerebant, ostentandæ religionis gratia; in judiciis autem erant injusti, in fratribus sine misericordia, in Deum semper increduli: vere excolantes culicem, camelum autem glutientes; quoniam a modicis quidem delictis se abstinebant, magna autem alacriter committebant. Nunc veniamus ad sacerdotes. Hi erant avaritia pleni. Si ergo quis de populo decimam alicujus rei vel minimæ non obtulisset, ita eum corripiebant quasi magnum crimen fecisset. Si quis autem in populo, aut in Deum peccabat, aut alterum lædebat, aut aliquid tale faciebat, nemo curabat corripere eum, quasi nullam culpam fecisset. De suo quidem lucro sollicite agebant; de gloria vero Dei, et de salute hominum, negligebant. Sic et modo fit, quia omnes de suo honore solliciti sunt; de honore autem Dei, nullus. Et portiones quippe suas vigilanter aspiciunt et defendunt; sed circa obsequium Ecclesiæ, curam impendere non attendunt. Si populus decimas non obtulerit, murmurant omnes; et si peccantem populum viderint, nemo murmurat contra eos. Ipsi sunt, qui docent populum suo exemplo liquare culicem, et camelum glutire, id est a modico peccato se continere, majora autem committere: » hæc *Chrysostomus*. O quantum adhuc hodie cæcitas Scribarum et Pharisæorum regnat, proh dolor! in prælatis tam religiosis, quam secularibus: qui sollicite curant de solutione decimarum et censuum, quæ eis debentur, et parum curant, si subditi in majoribus involvantur criminibus; qui minora subtiliter discutiunt, et majora subticent; qui magnam in minimis, sed parvam vel nullam in maximis diligentiam adhibent: puta si quempiam de clericis suis vel de monachis deprehendunt in ceremoniis exterioribus offendere, aspere redarguunt; et si superbus est, aut invi-

dus, vel detractor, vel seminator discordiæ, et turbator pacis, sub silentio prætereunt; plus punitur aliquis pro omissione unius constitutionis vel admonitionis, ac de transgressione decretalium et constitutionum hominis, quam de transgressione Evangeliorum et mandatorum Christi. Curam animarum negligunt, et negotia exteriora agunt; non curant fructum animarum, sed excrescentiam divitiarum; per mundum discurrunt, gregem sibi commissum non custodiunt. Custodiat eum, qui custodit Israel.

7 VÆ DE SIMULATIONE ET MENDACIO. — In sexto, redarguit eos de simulatione et mendacio, quia plus curabant lavare sordes exteriores, quam interiores; plus corporum atque vasorum, quam morum et vitiorum. *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis; intus autem pleni estis rapina et immunditia.* Pharisæi enim quando debebant ascendere in templum, ad ostentationem munditiæ, primo lavabant utensilia domus, ac vestimenta, atque consimilia; et parum curabant de interiori munditia intrinsecus. Sic etiam, foris ostendebant hominibus sanctitatem in habitu, in sermone, in phylacteriis, in fimbriis, in orationum longitudine, et ceteris hujuscemodi; intrinsecus autem in conscientia et mente erant pleni rapina, per affectum ambitionis, et immunditia, per voluptatem carnis; vel rapina, id est avaritia, et immunditia, id est sordibus vitiorum: quia quod bibebant et manducabant, aliis auferebant, et per hoc cibus et potus eorum immunditiam peccatorum habebat. In hoc vero multum errabant, et magna cæcitas eorum erat, quia plus curandum est de munditia interiori, quam de exteriori; quia exterior non est Deo accepta, nisi per interiorem. Tales sunt etiam modo multi, qui sunt sicut fimus nive dealbatus, exterius decorati, et intus iniquitate pleni. Unde, si quis interiora exterius evolveret, multum fœtorem, multamque saniem inveniret; unde et Ezechiel: *Fili hominis, fode parietem, ingredere, et videbis abominationes.* Subdit ergo: *Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis,* id est cor purgandum est a vitiis, quia per interiora calicis et paropsidis intelligit metaphorice interiora mentis, ex cujus munditia dependet bonitas munditiæ exterioris; et ideo sequitur: *Ut fiat id, quod deforis est, mundum,* id est, ut vera sit ostentatio sanctitatis, non autem malitia dissimulationis. Unde *Origenes*: « Hic sermo nos instruit, ut festinemus esse justi, non apparere. Qui enim studet, ut appareat justus, quæ a foris sunt mundat, et quæ videntur curat; cor autem et conscientiam negligit. Qui autem studet ea quæ intus sunt, id est cogitationes mundare, consequens etiam est, ut ea quæ a foris sunt faciat munda. » Et notandum quod in triplici *væ* positum est nomen cæcitatis, eo quod triplex cæcitas arguatur in eis: primo in docendis, scilicet in *væ* quarto; secundo in corripiendis, sive in eligendis, scilicet in *væ* quinto; tertio in agendis, ut hic in *væ* sexto.

8 VÆ DE HYPOCRISI, QUIA SEPULCHRIS SUNT SIMILES. — In septimo, redarguit eos de hypocrisi et iniquitate, quod demonstrat per exemplum sepulchrorum: sepulchra enim dealbata, et calce levigata forinsecus, et ornata marmoribus, ac distincta auro et coloribus speciosa videntur; attamen intus propter ossa et putredinem ac fœtorem sunt horribilia et abominabilia; unde dicitur sepulchrum, quasi semi pulchrum. Sic erant et Pharisæi, unde dicit Dominus: *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia; sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi,* munditiam scilicet, et justitiam in habitu vestis et humilitate verborum, propter boni simulationem, ostendentes; *intus autem pleni estis hyprocrisi,* id est amore vanæ laudis, quantum ad intentionem simulationis, *et iniquitate,* id est odio veritatis, quantum ad affectionem malignitatis. Exterius habent conversationem honestam,

ut cooperiant malitiam occultam. Isti significantur per Bel, qui exterius erat æreus, et intus luteus. Ubi *Chrysostomus :* « Merito quidem justorum corpora templa dicuntur, quia in corpore justi anima dominatur et regnat, quasi Deus in templo, vel certe, quia ipse Deus in corporibus habitat justis. Corpora autem peccatorum, sepulchra dicuntur mortuorum, quia anima mortua est in corpore peccatoris, nec enim vivens putanda est, quæ nihil vivum, aut spirituale agit in corpore ; vel, quia mors ipsa in corporibus habitat peccatorum. Sicut ergo sepulchrum, quamdiu clausum est, pulchrum videtur a foris, si vero apertum sit, horribile ; ita simulatores bonorum, quamdiu non cognoscuntur, laudabiles sunt, cum autem cogniti fuerint, inveniuntur abominabiles. Dic, o hypocrita, si bonum est esse malum, utquid non vis apparere quod vis esse ? Si bonum autem est esse bonum, utquid non vis esse quod vis apparere ? Nam, quod turpe est apparere, turpius est esse ; quod autem formosum est apparere formosius est esse. Ergo aut esto quod appares, aut appare quod es ; quia manifestum malum a sapientibus non reprehenditur, dum insania æstimatur : » hæc *Chrysostomus.* Unde et *Bernardus :* « Quem dabis de filiis Adam, qui quod est non dico velit, sed vel patiatur videri ? »

9 VÆ DE HOMICIDIIS AB IPSIS ET A PATRIBUS EORUM COMMISSIS. — In octavo, redarguit eos filios esse homicidarum. *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum et ornatis monumenta justorum.* Illi enim propter opinionem bonitatis et gloriæ in populo, ut justi viderentur, sepulchra et memorias Prophetarum et occisorum ambitiose ædificabant et magnifice ornabant quos majores eorum interfecerunt. Subditur : *Et dicitis : Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum,* id est socii ad effundendum sanguinem eorum, nec fecissemus ea quæ patres nostri fecerunt. In hoc autem testantur se filios eorum qui Prophetas occiderunt ; unde subjungit Dominus : *Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui Prophetas occiderunt.* Scelera patrum, propter speciem sanctitatis, verbo suo reprobant ; et persequendo sanctos, ut Christum et discipulos ipsius, eadem scelera faciunt, et sic facto probant, quia istorum filii sunt non solum carne, sed etiam imitatione, non solum quantum ad naturam, sed etiam quantum ad mores. Non enim eos Dominus incusat, quoniam sepulchra ædificant ; sed intentionem eorum reprehendit, quia non propter honorem eorum qui occisi fuerant, nec propter amorem pietatis et veritatis hoc fecerunt ; sed propter amorem vanæ laudis, quam in hoc quærebant. Unde *Chrysostomus :* « Qui Martyrum ecclesias ædificant et ornant, bonum opus facere videntur, sed si quidem et alias justitiam Dei custodiunt, si de bonis eorum pauperes gaudent, si aliorum bona per violentiam non faciunt sua, scito quia ad gloriam Dei ædificant ; sin autem, quis non intelligat, quia non ad gloriam Dei faciunt ædificia illa, sed propter æstimationem humanam ædificant altaria Martyrum, ubi pauperes passi violentiam ab eis interpellant contra eos ? Non enim gaudent Martyres, quando ex illis, pecuniis honorantur, in quibus pauperes plorabunt. Etenim qualis est ista justitia, munerare mortuos, et spoliare viventes ; de sanguine miserorum tollere, et Deo offerre ? Illud non est Deo offerre, sed velle violentiæ suæ socium facere Deum, ut cum oblatam sibi pecuniam de peccato libenter acceperit, consentiat in peccato. Vis ergo domum Dei ædificare ? Da fidelibus pauperibus unde vivant, et ædificasti rationabilem domum Dei. In ædificiis enim homines habitant, Deus autem in hominibus sanctis. Quales ergo illi sunt, qui homines spoliant, et ædificium Martyrum faciunt ; habitationes hominum componunt, et habitationes Dei disturbant ? Quæ est autem justitia Sanctos colere, et contemnere sanctitatem ? Primus gradus pietatis est sanctitatem diligere, deinde Sanctos ; quia non Sancti ante

sanctitatem fuerunt, sed sanctitas ante Sanctos. Sine causa ergo justos honora. qui justitiam spernit; neque possunt Sancti amici esse illorum, quibus Deus est inimicus. Dicebant apud se : Si bene fecerimus pauperibus, quis illud videt? Et si viderint, non multi vident, et si multi viderint, pro tempore vident. Transit tempus, et cum tempore transit beneficii memoria. Melius est ergo ædificia facere, quæ aspiciant omnes, non in hoc tempore solum, sed etiam in posterum. O insipiens homo! Quid prodest tibi, post mortem ista, memoria, si ubi es torqueris, et ubi non es laudaris? » hæc *Chrysostomus*. Deinde probat quod sint filii homicidarum, et ostendit eos non solum genimina viperarum, quoad malitiam in imitatione malorum, ac paternæ nequitiæ imitatores; sed etiam parentibus deteriores, et quod fictio erat hoc quod dicebant, scilicet quod non communicassent operibus eorum, si in tempore illo fuissent. Unde dicit : *Et vos implete*, id est implebitis, *mensuram patrum vestrorum*. Secundum *Hieronymum* et *Chrysostomum*, non jubet vel præcipit, sed quod futurum erat prædicit et ostendit. Mensuram enim patrum suorum implere cupiebant, et jam impleverunt, quia quod illis defuit, isti suppleverunt. Nec solum impleverunt, sed mensuram multum excesserunt: quoniam illi occiderunt homines, isti vero Dei Filium; illi servos, isti Dominum; illi ministros, isti Regem; illi membra, isti caput; illi Prophetas, isti Prophetarum Magistrum, qui a Prophetis prædictus est, scilicet Christum.

10 Quanam pæna culpæ eorum punientur ostendit Dominus. — Deinde, postquam ostendit Scribis et Pharisæis multiplicem culpam, ostendit consequenter pœnam, dicens : *Serpentes* venenum invidiæ habentes, *genimina viperarum*, quia venenum malitiæ a patribus traxerunt, *quomodo fugietis a judicio gehennæ?* Quasi diceret : Nullo modo, quoniam erant in malitia obstinati. Non solum autem hanc pœnam meruerunt, propter mortem Christi, sed etiam propter occisionem Apostolorum et discipulorum ejus; et propter hoc sequitur : *Ideo*, scilicet, quia dicitis, non essemus socii eorum, id est homicidarum, ut ostendam vestrum mendacium, *ecce ego mitto*, seu mittam, *ad vos* instruendos et revocandos ad me, *Prophetas et Sapientes et Scribas*, scilicet Apostolos, qui spiritu prophetico pleni erant et corda sapientia divina erudiebant, et tamquam Scribæ docti de thesauris suis nova et vetera proferebant; *et ex illis occidetis, et crucifigetis, et flagellabitis in synagogis* et congregationibus *vestris, et persequimini de civitate in civitatem*, quod et fecerunt, et quos illi, ideo quia non viderunt non occiderunt, isti videntes eorum desiderium impleverunt; et sic mores patrum iniquorum sequendo, se filios eorum esse testati sunt. Deinde, ut ostendat quoniam non impune hoc faciunt timorem eis ex his incutit, dicens : *Ut veniat*, consecutive, quia est consecutio æquitatis *super vos*, id est super generationem vestram et omnium malorum vobis consimilem, *omnis sanguis justus*, id est debita ultio, pro omni effusione sanguinis justorum, *a sanguine Abel justi*, cujus munera narrantur a Deo accepta, *usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ*, id est Joiadæ sacerdotis, qui propter suam justitiam dictus Barachias, qui *benedictus Domini* interpretatur; *quem occidistis*, id est vestra generatio vobis similis occidit, *inter templum et altare*, scilicet holocaustorum, quod erat extra templum, scilicet in atrio ipsius templi. Sed licet multi post et ante, ab hac generatione sint occisi, tamen potius nominat istos duos quam alios : ut in uno laici, scilicet in Abel, qui fuit pastor ovium, et in campo necatus; in alio clerici, scilicet in Zacharia, qui fuit altaris officio mancipatus, et in atrio templi occisus, intelligantur; et per hos duos omnes sancti Martyres, laicalis scilicet et sacerdotalis ordinis, designantur. Sequitur autem: *Amen, dico vobis, venient omnia*, scilicet scelera et scelerum punitiones, *super generationem istam*, scilicet vestram et omnium malorum; et

si non omnes sint uno tempore, tamen omnes sunt unum corpus diaboli.

11 CRIMEN CIVITATIS JERUSALEM. — Deinde, convertit sermonem specialiter ad metropolim civitatem Jerusalem, in qua erant magis culpabiles, eam pii patris affectu plangendo, et ex hoc auditores erudiendo, dicens : *Jerusalem, Jerusalem*, Jerusalem vocat habitatores, non ædificia civitatis, ponendo continens pro contento ; et alloquitur hic populum Judaicum, sub nomine civitatis metropolitanæ. Geminatio vero hujus verbi *Jerusalem*, miserantis est, et miseriam vocantis, ac valde diligentis ; vel, geminat propter vehementem reprehensionem, et majorem exprobationem ; vel, quia Sanctos affligebant dupliciter : et corporaliter, et spiritualiter. *Quæ occidis Prophetas*, Dominum etiam Prophetarum mox occisura ; *et lapidas eos, qui ad te*, id est, qui ad tuam utilitatem et instructionem, et ad increpandum scelera tua, *missi sunt*. Ideo incurabilis est plaga, quia eos abjicis, qui tibi salutem offerunt. Unde *Chrysostomus* : « Quomodo saneris, quæ nullum ad te medicum pervenire permittis ? Sanctis meis non peperci, ut tibi parcerem peccatrici. Illorum vitam neglexi, ne mortem tuam viderem. Omnes medici spirituales in te defecerunt, et tu curata non es. Si de morte tua gavisus fuissem, numquam ad te misissem Prophetas. Si te perdere voluissem, numquam ad te ipse venissem. Quid ego amplius faciam, si tu ipsa vivere non vis? » hæc *Chrysostomus*. Subdit ergo : *Quoties volui*, ego qui mortem peccatoris nolo, ego qui omnes peccatores salvare volo, non quidem semel vel bis, sed multoties : primo, per legem naturæ ; secundo, per Legem Scripturæ ; tertio, per Legem gratiæ ; item in mane pueritiæ, in tertia adolescentiæ, in sexta juventutis, in nona senectutis, in vespere decrepitæ ætatis, *congregare* sub cultu unius Dei per fidem et caritatem, *filios tuos*, scilicet Judæos, prædicationibus Prophetarum et miraculis, et te mihi adjungere et meis. Multi sunt dispersores, sed pauci ad bonum congregatores : dispergit enim diabolus, dispergit mundus, dispergit carnalis affectus, dispergunt tentatores. Sed Dominus vult congregare in unitatem fidei, in unitatem caritatis, in unitatem supernæ civitatis. Sequitur : *Quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas ;* ponit exemplum de gallina, ad ostendendum affectum suum ad populum, quia inter alias aves, videtur magis affici ad nutritionem et conservationem pullorum ; tam magnum enim affectum in filios habet, ut eorum infirmitate affecta infirmetur et ipsa, et eos alis protegens, contra milvum pugnet. Sic et Dei sapientia per carnis susceptionem infirmata protegit nos, et defendit a diabolo, ac nutrit et conservat sua gratia. *Et noluisti*, quinimo neglexisti, contradixisti, et impedivisti, quia Prophetas a Deo missos, postea Joannem Baptistam, et ultimo Dominum nostrum Jesum Christum et ejus discipulos contempserunt, imo et occiderunt. Ac si ei diceret : Ego volui, sed tu noluisti ; ego quod meum est feci, sed tu quod tuum erat non fecisti ; ego pro tua salute Prophetas ad te misi, sed tu eos interfecisti ; ego ad te ipse veni, et tu me recipere noluisti. Tibi ergo imputandum et tuæ malitiæ, quod venturum est, non mihi. O quoties nos admonet Deus : modo blanditiis, modo increpationibus, nunc sic, nunc sic ; et parum advertimus ! Et ideo valde timenda est nobis pœna quæ sequitur.

12 DUPLEX PŒNA A CHRISTO PRÆDICTA : SUBVERSIO CIVITATIS ET ÆTERNA DAMNATIO. — Tandem enim, Dominus ex multiplici eorum culpa, multiplicem etiam eis comminatur pœnam. Primo, temporalem, quam plus timebant et semper formidabant, subversionem scilicet civitatis, et templi desertionem, dicens : *Ecce relinquetur vobis* a Deo *domus vestra*, scilicet templum et civitas *deserta*, quia per Romanos fuerunt destructa ; deserta quidem et nudata auxilio Christi, quia habitatorem Christum reliquerunt ac perdiderunt, et hereditatem præripere gestientes, heredem occiderunt. Ergo Christus erat qui antea eis præsido-

bat, et eos manu tenebat ac gubernabat et ab hostium manibus eripiebat. Item, deserta Angelorum custodia, quia audita est vox in templo: Transeamus ab his sedibus. Mystice etiam, domus Judæorum deserta et vacua derelicta est, id est indigni habitudine Sancti Spiritus remanserunt, quia in incredulitatæ perseverantes, Christum hospitem non susceperunt. Ubi *Chrysostomus* : « Deserta est a Sanctis, deserta a sanctitate, a fide, a caritate, a gratia et Spiritu Sancto. Deserta denique ab ipso Deo, et a bonis omnibus quæ sunt Dei. » Ubi et *Origenes* : « Semper etiam eis, qui noluerant congregari sub alas ipsius, comminatur Christus: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, id est : anima et corpus. » — Deinde comminatur eis pœnam æternam, quæ est carentia suæ visionis, nisi a suis convertantur nequitiis, dicens: *Dico enim vobis, non me*, et faciem meam *videbitis amodo* ab hoc, scilicet tempore Passionis meæ, *donec dicatis* : *Benedictus qui venit in nomine Domini*, id est donec etiam inviti confiteamini me esse Christum benedictum Filium, a Patre missum, a Prophetis prædictum; quod erit in adventu claritatis adjudicium; juxta illud Zachariæ : *Aspicient ad me, quem confixerunt*. Revera enim post Passionem suam visus est a discipulis et amicis suis; sed non a Judæis. Vel, *non videbitis me*, id est nisi, *et donec dicatis* pœnitendo, et me Dei Filium per fidem confitendo : *Benedictus qui venit in nomine Domini*, id est : hic est benedictus qui venit in mundum, per Incarnationem, missus a Patre; in quo innuitur conversio reliquiarum ante adventum ad judicium; tunc enim Judæi qui in fine mundi credituri sunt in Christum, laudabunt et confitebuntur ipsum.

13 Jesus egreditur de templo. — *Et*, his dictis, *egressus* Dominus *Jesus de templo ibat* cum discipulis, id est recessit a Judæis. Ubi *Origenes* : « Sed et unusquisque, cum sit templum Dei, propter Spiritum Dei inhabitantem in se, ipse fit causa suæ desertionis, ut egrediatur Christus ab eo : » hæc *Origenes*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui Legi et præceptis tuis obedientibus das benedictiones, et inobedientibus maledictiones, da mihi de tua largitate ipsis tuis præceptis semper obtemperare, et errores hypocritarum in omnibus evitare; da mihi tuis monitionibus, et beneplacitis sine tædio acquiescere, et me sine negligentia emendare; ut tandem in adventu claritatis tuæ ad judicium, te benedictum, ad plenam nostram redemptionem, hoc est perfectam corporis et animæ libertatem manifeste venientem, lætus aspiciam: et cum electis tuis te sine fine benedicam. Amen.

CAPUT XXXIX

DE SIGNIS ADVENTUS DOMINI ET CONSUMMATIONIS SECULI.

Matthæi cap. XXIV, Marci cap. XIII et Lucæ cap. XXI.

1 Prædicitur destructio templi. — *Et* Dominus *Jesus* eadem feria tertia *egressus de templo ibat*, ipso egressu designans quod dixerat, scilicet do-

mum Judæorum deserendam, id est civitatem Jerusalem et templum. *Et accesserunt discipuli ejus* admirantes, si templum tantæ pulchritudinis et fortitudinis destrueretur, et ad nihilum redigeretur, *ut ostenderent ei ædificationes templi*, non ignotas, sed tamquam admirandas, ut propter nobilitatem et magnificentiam ædificiorum, quæ ad divinum cultum facta erant, flecteretur ad misericordiam, et mitigaret pœnam comminatam. Videbatur etiam eis, quod nec rapi, nec everti posset, vel dirimi. Non respiciebant ad templi sanctitatem, sed ad ædificiorum pretiositatem et fortitudinem; sic hodie multi plus attendunt ad cultum Ecclesiæ corporalem, quam spiritualem. Unde *Hieronymus* : « Gemmis altaria fulgent, et ministrorum Dei nulla electio est Sed contrarium fuit in primitiva Ecclesia, quia major vis fiebat in ornatu spirituali, quam in materiali. » Unde et *Augustinus* : « Olim, erant parietes Ecclesiæ viles, et viri pretiosi ; modo, e converso. Ecclesiæ quippe ornatur non est in ædificiis, neque in redditibus, sed in humilitate, hospitalitate, et pietate. » *Ipse autem Jesus respondens dixit illis*, non solum hæc destruenda fore, sed et quod in eis non relinqueretur lapis super lapidem, qui non destrueretur et comminueretur, quantumcumque ipsis pretiosa et fortia viderentur. Dixit ergo eis : *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruetur*. Hoc autem factum est a Romanis quadragesimo secundo anno post Passionem Domini. Similiter erit de magnis et sumptuosis palatiis, quia non relinquetur lapis super lapidem in eis. Secundum *Bedam*, divinitus procuratum est et provisum, ut, patefacta evangelica gratia per universum orbem, templum ipsum cum suis ceremoniis tolleretur, ne quis adhuc parvulus et infirmus in fide, si viderit illa permanere quæ a Deo sunt instituta, a sinceritate fidei, ad Judaismum laberetur. Aufertur ergo umbra, et palmam tenet veritas per orbem declarata Omnis etenim compositio mandatorum sic est destructa, ut Judæi nihil impleant, et capite sublato, membra inter se pugnent. Unde *Chrysostomus*: « Illa Jerusalem figuralis typum gerit Jerusalem spiritualis, id est Ecclesiæ. Nam, nisi templum istud destructum fuisset, observantia Legis non facile fuisset compescenda. Ideo autem destructum est, ut si velint Judæi postmodum servare Legem, non possint, aut de Pascha, aut de sacrificiis, aut de ceteris festivitatibus. Ceciderunt corporalia et figuralia, ut surgerent spiritualia et vera mysteria : » hæc *Chrysostomus*.

2 INTERROGATIONES DISCIPULORUM DE SIGNIS ADVENTUS DOMINI ET CONSUMMATIONIS SECULI. — Et vadens Dominus ipsa die cum discipulis ivit in montem Oliveti. *Et, cum sederet in* dicto *monte* Olivarum *contra templum*, in loco ubi postea constructa est ecclesia, interrogatur ab eis de tempore destructionis Jerusalem et templi; et de signo adventus sui, et consummationis seculi, quæ putabant sequi statim destructionem civitatis et templi. *Accesserunt* enim *discipuli ad eum secreto dicentes : Dic nobis quando hæc erunt, et quod signum adventus tui et consummationis seculi.* Istæ quæstiones fuerunt ei factæ in monte Oliveti, et hoc rationabiliter, quia ex illo loco templum, et civitas clarissime videntur, et occasione hujus de destructione ibi quæritur ; similiter et judicium extremum futurum est circa illum locum, ideo convenienter fit ibi quæstio de futuro judicio. *Et respondens Jesus, dixit eis : Videte ne quis vos seducat.* Deinde illos edocuit signa prædictorum, et eos circa quodlibet in necessariis tunc et utilibus instruxit ; nec dicebat quod eos scire non expediebat. De signis docet, de tempore intimandum non putat: quia incertitudo temporis inducit terrorem, et ita præparationem, sed ignorantia signorum posset inducere in errorem. Et quamvis plura ex his signis possint referri simul ad eversionem urbis et templi, et ad Christi adventum ante consummationem seculi : secundum enim *Chrysostomum*, Dominus non separatim quæ signa

pertineant ad hoc vel ad illud ponit, ut eadem videantur ad utrumque pertinere; quia tamen eversionem urbis et templi jam completam et præteritam dignoscimus, ideo ad instructionem nostram omnia ad ea quæ restant referamus. Possunt enim omnia de adventu Christi et consummatione seculi intelligi, et per Apostolos omnium credentium personæ signari. Nam dicit hæc discipulis, non tamquam eis qui durare deberent in vita ista usque ad finem mundi; sed in personis eorum dixit hæc omnibus posteris eorum credituris, quasi unum corpus existentibus cum ipsis. Sed antequam eis ad interrogata respondeat, mentem eorum ut non seducantur confirmat. Unde *Chrysostomus* : « Neque enim de Jerosolymæ destructione, neque de secundo suo adventu, statim respondit, sed de malis quibus statim obviandum erat. »

3 Ad nos præmuniendos, eis respondet Christus. — Præmunit ergo Dominus fideles, ne seducantur, id est ne seorsum a veritate fidei ducantur. *Multi enim* pseudo-christi, et pseudo-prophetæ, id est simulati et falsi, *venient, in nomine meo*, scilicet adscribentes sibi nomen Christi ex præsumptione, et *dicentes: Ego sum Christus, et multos seducent*, per falsam doctrinam, per simulatam vitam, per signa mirabilia. Unde dicit *Athanasius* : « In unaquaque hæresi diabolus figuratus dicit: Ego sum Christus, et apud me est veritas. » Multi etiam videntur hoc dicere facto; quia statuta sua districtius faciunt observari quam præcepta Domini, volentes magis sibi quam Deo obediri. Sed non est venturus Christus, nisi præcedant signa ab eo prædicta. Quæ ideo nobis Dominus Jesus prænuntiat, ut nos ab amore mundi compescat, et timorem formidinemque nobis incutiat, ac semper vigilantes et paratos nos inveniat: quia multo minus feriunt jacula, quæ ante prævisa sunt.

4 Septem mala adventum Christi præcessura. — Et præmittit Dominus primo in generali signa priora, scilicet prælia, quantum ad hostes extraneos, et seditiones, quantum ad hostes domesticos : *Audituri enim estis prælia, et opiniones præliorum.* Deinde, subdit in speciali eorum multitudinem, tangens mala septem, quæ sunt : inimicitiæ populorum, quia *consurget gens contra gentem* ; discordia principum, quia *regnum in regnum;* commotio locorum *quia erunt terræ motus per loca;* infectiones morborum, quia et *pestilentiæ;* defectus victualium, quia *et fames;* terror cœlestium impressionum, quia *terrores de cœlo*; novitas eventuum mundanorum, quia *et signa magna erunt.* Per hæc autem septem, quæ hic tanguntur, possunt intelligi septem mala, quæ hodie Ecclesia Dei patitur : quorum primum est discordia ecclesiarum; secundum, impugnatio hæreticorum; tertium, turbationes secularium; quartum, exempla malorum; quintum, defectus Doctorum; sextum, fulminationes sententiarum; septimum denique monstruositas ordinationum ecclesiarum. Multa ergo mala præcedent, ita ut impleatur quod dicitur : *Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos*, ut qui contra Auctorem omnium procaciter pugnaverunt, justo tunc Dei judicio ab omnibus oppugnentur; et qui in cunctis deliquerunt, in cunctis etiam feriantur. *Oportet enim*, et conveniens est *primum hæc fieri*, tamquam a Deo ordinata, malitia hominum exigente et Deo bonum inde eliciente, scilicet ad probationem et utilitatem bonorum, et ad destructionem et perditionem malorum: quia *hæc omnia initia* et quasi præconia *sunt dolorum* futurorum; *sed nondum statim est finis*, et consummatio eorum : vel, quia ista sunt signa remota, non propinqua; vel, quia ista sunt temporalia, sed consummatio dolorum erit æterna. Magnitudo enim malorum, judicium generale præcedentium, est figura sequentium incomparabiliter graviorum. Nam, ut dicit *Gregorius*, per crebra mala quæ præveniunt, indicantur mala perpetua quæ sequuntur: quia multa debent mala præcurrere, ut malum valeant sine fine nuntiare. Spiritualiter, secundum *Ambrosium*, sunt et alia bella quæ vir sentit Christianus ,

scilicet diversarum prælia cupiditatum, studiorumque conflictus ; multo etiam graviores sunt hostes domestici, quam hostes extranei. Et, secundum *Chrysostomum :* « Spiritualiter in Ecclesia pestilentiæ carnalium vitiorum, fames verbi divini, terræ motus tribulationum erunt, quia Ecclesia multum in fine tentabitur.

5 Sed ante omnia persecutionem patientur Sancti : unde necessitas et laus patientiæ. – Deinde, subdit quo merito hæc omnia contingent, quia ante hæc omnia, scilicet prædicta, erunt persecutiones Sanctorum, quibus injicientur manus ad capiendum, quique tradentur ad tribulationes, et mortem, etiam a propinquis et amicis, et erunt odio omnibus hominibus, humum et terram, seu humana nondivina sapientibus : amicus enim Dei, inimicus est mundi ; et in tali odio erunt, propter nomen Christi, ac confessionem hujus nominis, et assertionem veritatis, quod quidem jucundum et gloriosum est Sanctis : quia felix est injuria, cum Deus est in causa, et ad hanc sequitur magnum præmium, et gloria immensa. Qui etiam post dura quæ prædicuntur de afflictione mortis, protinus consolantur de gloria resurrectionis, quia etiam capillus minimus de capite eorum non peribit, et ideo multo magis cetera majora non peribunt ; et hoc addit ad declarandum veritatem futuræ resurrectionis, nam quidquid sive ad substantiam, sive ad decorem corporis facit, in resurrectione redibit. Secundum sensum spiritualem, capillus de capite dicitur non perire, quia nec minima mentis cogitatio bona manebit irremunerata. Unde ait *Beda :* « Non solum ossa nostra, id est fortia gesta vel dicta, remunerabuntur ; sed etiam capilli, id est minutissimæ cogitationes bonæ, quæ de corde, quasi capillus de cerebro exeunt, apud justum Judicem digna mercede donabuntur, unde Propheta : *Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* Similiter nec cogitationes malæ remanebunt impunitæ. » Et, quia gravia sunt quæ Sancti in persecutionibus pati habebunt, ideo consequenter ad tolerantiam confortantur ; in prædictis enim maxime necessaria est patientia, quia in patientia possidebunt, id est custodient animas suas. Custos enim omnium virtutum patientia est, in qua animas, quæ corpus possident, possidemus, cum ipsas animas ad patiendum ratione regimus. Qui autem impatiens est, animam suam non possidet, quia animi sui furorem et iram cohibere non potest. Unde idem *Beda :* « Sic enim conditi mirabiliter sumus, ut ratio animam, et anima possideat corpus. Jus vero animæ a corporis possessione præpeditur, si non prius anima a ratione possidetur. Custodem igitur conditionis nostræ patientiam Dominus esse monstravit ; quia ipsa nos possidere nosmetipsos docuit : » hæc *Beda.* Magna igitur est virtus patientiæ, sine qua anima perditur, et per quam possidetur. *Qui* enim patienter *suffert tentationem, accipiet coronam* ; sed qui perdit patientiam, perdit et coronam. Unde et *Gregorius* eam commendans, dicit : « Ego virtutem patientiæ signis et miraculis esse majorem puto. » Unde illud Salomonis in Proverbiis : *Melior est patiens viro forti* ; *et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Unde et *Seneca :* « Tormenta patienter ferre, optabile est, hoc enim fortitudinis pars est. Non enim pati tormenta optabile est ; sed ea pati fortiter, quod est virtus. Cum aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus utitur, cum fortasse una in promptu sit, et maxime appareat patientia, illic est individuus comitatus virtutum. Quidquid ergo honeste fit, una virtus facit ; sed ex consilii sententia : » hæc *Seneca.* Igitur, ut ait *Chrysostomus,* injuriæ hominum nullum faciunt damnum, sed magis patientiæ lucrum.

6 Spiritus Sanctus persecutionem patientibus quid sit respondendum suggeret. — Quia vero, tot terroribus auditis, Sancti turbari potuerunt, timentes quid tunc respondeant ; consolationem supponit de dando eis impræmeditatis sapiens ac cœleste responsum. *Ego enim dabo vobis os et sapientiam,* ac dicendi et responden-

dendi materiam, *cui non poterunt resistere et contradicere, omnes adversarii* : quia non ex ingenio vel arte eorum procedent verba, sed ex Spiritus Sancti gratia : *Et tunc scandalizabuntur multi*, id est discedent a fide, et ruent in errores, timore vel immanitate tormentorum, aut portentis seu muneribus seducti. *Et quoniam abundabit iniquitas*, et malitia in falsis Christianis, ideo *refrigescet*, et deficiet *caritas*, id est vera dilectio erga Deum et proximum, *multorum*, id est in multis aliis ab igne divini amoris ; licet totaliter non cadat in eis. Ex abundantia enim iniquitatis oritur tepiditas caritatis, pro tribulatione, quæ calere videbatur ante tribulationem, et in pace. Denique, ut ait *Ambrosius*, tunc justus in deserto; iniquus autem in regno. Vel, in eisdem, in quibus abundat iniquitas, refrigescit caritas. Nam, ut ait *Remigius*, quanto magis ab unoquoque iniquitas suscipitur, tanto amplius in corde ipsius ardor caritatis exstinguitur. *Qui autem perseveraverit* in fide veritatis, in amore bonitatis, *usque in finem*, et terminum vitæ præsentis, quocumque tempore incipiat, et quocumque tempore reincipiat, *hic salvus erit* ; quoniam non cœpisse, sed persistere virtutis est, et non inchoatio tolerantiæ, sed perseverantia coronatur. De hac materia persecutionum habes latius supra post missionem Apostolorum. Sed hæc prædicta more insolito, et multo violentius tunc fient, quam evenire soleant, ita ut pro signis habeantur.

7 Divulgatio Evangelii in quantum adventus Domini signum. — *Et prædicabitur hoc Evangelium regni, in universo orbe.* Prædicatio Novi Testamenti dicitur *Evangelium*, ratione suæ perfectionis et bonitatis triplicis, videlicet : quia bonum honestum, quia bonum jucundum, quia bonum utile; et dicitur *Evangelium regni*, ratione suæ dignitatis; vel, finaliter, quia ad regnum ducit, quod Lex non faciebat ; vel, causaliter, quia reges facit ; vel, materialiter, quia de regno disserit. Et hoc Evangelium prædicabitur *in testimonium omnibus Gentibus*, id est in accusationem his, qui non crediderunt, qui enim crediderunt, testabuntur adversus eos, qui non crediderunt, et eos condemnabunt ; *et tunc veniet consummatio*, cum ad fines orbis terræ sermo pietatis pervenerit, ne aliquis excusare se possit. Secundum *Augustinum*, prædicatio Evangelii in toto mundo, quamvis fuerit completa quoad omnes mundi partes ; non tamen quoad omnes homines, in omnibus partibus mundi existentes. Unde *in omnem terram*, sed non in omnes omnis terræ *exivit sonus eorum* ; nisi forsitan per communem in generali relatum aliorum, et quod nondum in omnibus fuerat completum exspectatur complendum. Unde ait *Hieronymus* : « Signum Dominici adventus est, in toto orbe Evangelium prædicari, ita ut nullus sit excusabilis ; quod, aut jam nunc est completum, aut in brevi credimus esse complendum. Non enim puto aliquam, in universo orbe, remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret, et quamquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare : » hæc *Hieronymus*.

8 Signa prædicta jam fere completa. — De prædictis signis, sic dicit *Chrysostomus* : « Est quippe res ista nobis prorsus ambigua, et omnino nescimus an etiam nostra ætate hæc omnia finiantur, et dies ille metuendus adveniat, atque horribile illud nobis ostendatur tribunal. Nam, et signa multa prorsus impleta sunt, et Evangelium toto jam fere orbe personuit, et prælia, terrarum tremores, pestilentiæ, et fames, ut prædictum fuerat, acciderunt ; nec grande jam medium est. Quæ omnia considerantes, ad eam nos, qua hinc abcessuri sumus, perfectionem paremus. Nam licet communis illius finis nondum instet dies peculiaris ; tamen iste uniuscujusque nostrum finis in proximo est. Etsi enim senex sit aliquis, etsi adolescens, morti tamen in qualibet ætate vicinus est : » hæc *Chrysostomus*. Causa vero et radix omnium malorum in mundo, est superbia et præsumptio. Populus enim contra

regem erigitur, clericus contra sacerdotem, monachi contra Abbatem, filii contra parentes, juvenes contra seniores, superbiendo diversa sentiunt. Malum ergo superbiæ, quod supernam Angelorum curiam corcumpendo destruxerat, præsens quoque seculum inordinate pervertendo destruet. Unde *Petrus Damianus* cuidam de fuga mundi congratulando, sic scribit : « Magnas Deo gratias debes, qui te hoc tempore de mundo elegit, quod in eo difficile quis salvatur. Jam sterile aratrum per littus ducitur arenosum. Jam illud propheticum videtur impletum : *Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra. Maledictum et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt.* Et illud : *Omne caput languidum, et omne cor mærens ; a planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas.* Non est hujus temporis, ut qui puritatis et innocentiæ tramitem tenere desiderat, Ecclesiæ bajulare regimen acquiescat, cum videlicet omnes pene per vitiorum abrupta præcipites, et tamquam furentes equi, per voluptatum suarum campos feruntur effrenes. Claustra vacant, Evangelium claudi-tur, et per ora Ecclesiastici ordinis forensia jura decurrunt. Pauci Sacrarum meditantur eloquia Scripturarum ; sed omnes scita legum et forense litigium. Et revera tam immanis pressura incumbit Ecclesiis, ut tamquam Babylonicæ legionis acies circumfusa, et Jerusalem cum civibus suis videatur obsessa. Jam non oculum pro oculo, juxta Veterem Legem, sed referunt cum fenore læsionem ; et disciplina vindictæ, quæ sub gentili dudum servabatur imperio, nunc Evangelio pœnam terribiliter intonante, nescitur. Ideo pro virga tauream, pro scutica clavam, pro verbo ferrum, pro vecte adhibent gladium. Erubescunt nunc non excedentem injuriæ vicem, dedignantur illati discriminis æquitatem ; videri victores atque terribiles ambiunt, triumphalis gloriæ titulos concupiscunt. Sic itaquê dum unus parumper irascitur, alter ad insaniam provocatur. Et quid aliud inter hæc tot flagitiorum mala perpendimus, nisi quod venturo citius Antichristo via jam sternitur, per quam inoffensis nequitiæ suæ vestigiis gradiatur? Nam, sicut dicit Apostolus : *Mysterium jam operatur iniquitatis :* » hæc *Petrus Damianus.*

ORATIO

Domine Jesu Christe, Judex omnium venture, da mihi constantiam in fidei veritate, ne seducar a simulatis et falsis hominibus, nec succumbam in tribulationibus; sed in confessione tui nominis, et assertione veritatis valeam fortiter persistere, et pro hac odia hominum et adversa gaudenter sustinere. Tribue mihi virtutem patientiæ, et ut, abundante iniquitate, non refrigescat in me ardor caritatis ; sed usque in finem vitæ præsentis perseverem in fide veritatis, et in amore bonitatis, quatenus, te miserante, salvus fiam, Domine Deus salutis meæ. Amen.

CAPUT XL

DE ADVENTU ET PERSECUTIONE ANTICHRISTI.

Matthæi cap. XXIV, Marci cap. XIII et Lucæ cap. XVII.

1 ANTICHRISTUS ABOMINATIO DICITUR. — Post prælia autem et seditiones, et alia quæ præmissa sunt, sequitur adventus Antichristi, quia ut pax præ-

cessit Christum, ita et discordia præcedet Antichristum, et, ut ait *Chrysostomus*, sicut ante ignem fumus præcedit, et ante victoriam pugna, sic et ante gloriam Christi, præcedet tentatio Antichristi. Unde subjungit Dominus: *Cum ergo videritis*, scilicet oculis corporis in vestris successoribus, *abominationem desolationis*, *quæ dicta*, id est prædicta *est*, *a Daniele Propheta*, dicente : *Erit in templo abominatio desolationis*,. .. *stantem in loco sancto*, id est in templo Dei : *qui legit*, scilicet dictam prophetiam, *intelligat* eam tunc impleri, et consummationem instare. Nam ibidem dicitur : *Et usque ad consummationem et finem perdurabit desolatio*. Hoc impletum est quando Ælius Adrianus imaginem suam statui fecit ubi steterat arca Testamenti, et hoc fuit signum destructionis et desolationis civitatis et templi; hoc etiam de abominabili Antichristo potest intelligi, qui dicitur *abominatio*, ratione superbiæ, qua se confert Deo, ex hoc quod adversus Dominus veniens, honorem Dei sibi vendicat, et dicitur *desolationis*,. quia tunc erit maxima electorum desolatio, quando cultus Dei destructur ; vel, quia terra et cultus Dei per ipsum desolabitur. Tunc etenim, ut ait Paulus Apostolus, *revelabitur*, id est manifestabitur, *homo peccati filius perditionis*, *qui adversatur et extollitur supra*, id est contra, *omne quod dicitur Deus*, *aut quod colitur*, *ita ut in templo Dei sedeat*, *ostendens* et ostentans *se tamquam sit Deus*. In loco enim sanctificationis tunc Antichristus stabit, ut ubi Sanctorum precibus Deus invocabatur, ibi ab infidelibus receptus, Dei honore venerabilis dignus videatur; cujus species jam præcedit, quia, testante eodem Apostolo, *jam mysterium iniquitatis operatur* in membris suis. Moraliter, prælatus malus est idolum abominationis. et desolationis, unde in Zacharia : *O pastor et idolum, derelinquens gregem !* Dicitur autem abominatio, propter fastidium respectu Dei, abominabilis enim est Deo, propter pravitatem cordis, propter impietatem operis, propter indignitatem oblationis : unde totus est abominabilis ; sed additur, desolationis, propter dispendium sive damnum respectu proximi, desolatur enim populum, vel per negligentiam officii, vel per corruptionem exempli, vel per subtractionem temporalis subsidii. Sed stat in loco sancto, propter monstrum respectu sui officii; est enim figura Antichristi, qui sedebit in templo Dei, et ideo jam Antichristi sunt multi. Tunc, *qui legit intelligat*, videlicet Ecclesiæ destructionem, prælati damnationem, populi periclitationem. Ubi *Beda* : « Juxta vero sensus spirituales, cum viderimus abominationem desolationis stare ubi non debet, hoc est hæreses, et flagitia regnare inter eos, qui cœlestibus mysteriis videbantur esse consecrati, cum etiam operantes iniquitatem, et loquentes mendacium, viros sanguinum et dolosos, quos abominabitur Dominus pacem fidelium turbare perpenderimus; tunc quicumque in Judæa, hoc est in confessione veræ fidei persistimus, non terrenis infimisque actibus mancipari, sed tanto altius virtutum culmen debemus ascendere, quanto plures ampla et errabunda vitiorum sequi itinera videmus : » hæc *Beda*.

2 TRES FUGIENTES MYSTICE TRES HOMINUM STATUS DESIGNANT. — Unde consequenter monet Dominus, ut *tunc*, scilicet veniente Antichristo, *qui in Judæa sunt*, *fugiant*, quia Judæi eum primitus suscipient, et ibi propter corporalem Antichristi præsentiam major persecutio erit ; fugiant, inquam, *ad montes*, id est ad loca secreta, et deserta, ubi latitare possint. Unde *Hilarius* : « Judæam deseri monet et transfugi in montes, ne admixtione plebis, illius quæ creditura est Antichristo, vis aut contagio afferatur ; *et, qui in tecto est*, id est in eminentia perfectionis, *non descendat aliquid tollere de domo sua*, per cupiditatem rerum secularium, propter quas sæpe etiam perfecti dejiciuntur a culmine perfectionis, tempore persecutionis : » hæc *Hilarius*. *Et qui in agro est*, laborans pro fructu bonorum operum, quantum ad activos, *non revertatur tollere tunicam suam*, id est non redeat ad occupationes seculi peccatum mi-

plicantes, quæ intelliguntur per tunicam. Ad litteram vult ostendere Dominus, quod propter instantiam tribulationum et malorum præsentiam, ac propter exspectationem judicii et malorum futurorum, non vacabit alicui intendere negotiis temporalibus; sed melius est quod salvet vitam suam quam rem possessam, et cogitet quomodo occurrat Judicis conspectibus. Mystice autem distingui possent per prædicta tria, tres status hominum. Per eos, qui in Judæa sunt, intelligi potest status incipientium, qui tantum in confessione fidei manent, secundum illud Apostoli : *Corde creditur ad justitiam.* Per illos, qui in tecto sunt, status proficientium, qui jam supra carnem, quæ est domus animæ, supra mundum, qui est domus hominum, supra aerem, qui est domus dæmonum, ascenderunt, secundum illud Psalmistæ : *Et factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Per illos, qui in agro sunt, status perfectorum, qui in se perfecti jam alios perficere conantur, secundum illud Canticorum : *Egrediamur in agrum.* Secundum hæc, triplex est consilium admonitionis. Primis enim datur consilium ascendendi ad montes; sic et qui in Judæa sunt, id est in confessione fidei, licet adhuc imperfecti, Judæa enim *confessio* interpretatur, fugiant ad montes æternos, id est ad Scripturas Apostolorum atque Prophetarum; vel, ad culmina virtutum, ut illuminentur a Deo, unde Psalmista : *Illuminans tu mirabiliter, a montibus æternis.* Secundis datur consilium non descendendi; sic et qui in tecto, id est qui animo excedit carnem et mundum, per cœlestem conversationem, non descendat tollere aliquid de domo sua, id est non inclinet se ad carnalia desideria, nec redeat ad actus pristinæ conversationis mundanæ, secundum illud Apostoli : *Carnis curam ne feceritis.* Tertiis datur consilium non revertendi; sic et qui in agro, id est qui operatur in Ecclesia, sicut bos in agro Domini, non revertatur tollere tunicam suam, id est rem aliquam temporalem qua se exuit, ut nudus nudum Christum sequatur, secundum illud Canticorum : *Exspoliavi me tunica mea.* Secundum enim *Augustinum*, in tribulationibus cavendum est, ne quisquam devictus ad carnalem vitam de spirituali sublimitate descendat; aut qui profecerat in anteriora se extendens, deficiendo in posteriora respiciat.

3 Quosnam uxor Loth retro respiciens signat? — Et bene dixit quod non est revertendum retro, per defectum perseverantiæ in bono; et ut hoc facilius faciatis, *memores estote uxoris Loth*, quæ, quia retro respexit, naturæ suæ munus perdidit. Fugiens enim Satanam et Sodomam, per intemperantiam respexit ea, et mortua statua salis seu columna est effecta. Secundum eumdem *Augustinum*, hæc uxor Loth significat eos qui in tribulatione retro respiciunt, et a spe divinæ promissionis se avertunt. Et ideo statua salis facta est, ut exemplo admonendi homines, ne similia faciant, tamquam condiat et erudiat cor eorum, ne fatui fiant. Quærit idem *Augustinus*, quare mulier ista fuit punita, respiciendo et videndo Sodomitas, non autem Abraham. Et respondet, quod Abraham respiciebat, Dei sententiam approbando; ista autem, in peccatis eorum delectando. Et ne homines in persecutione retro aspiciant fidem negando, et vitam bonam deserendo, ut vitam corporalem salvent, consequenter admonendo inducit, quod *quicumque quæsierit* sic *animam suam*, id est vitam corporalem, *salvam facere*, timore mortis deficiendo in Antichristi tribulatione, scilicet Christum negando, vel bona deserendo, et retro ad mala eundo, *perdet illam*, incurrendo damnationem æternam; *et quicumque* permanens fortis in confessione fidei et tribulatione *perdiderit illam*, scilicet animam suam, id est vitam corporalem, æstimans eam ut occisionis ovem, et præeligens numquam cadere a fide et virtute, *vivificabit eam*, id est vita æterna eam dignam faciet; quam inde merebitur, et in præmium recipiet.

4 Prægnantes et nutrientes, hiems et sabbatum in sensu mystico. — *Væ autem prægnantibus et nutrientibus in*

illis diebus : quia, ad litteram, prægnantes non possunt bene fugere, aggravante pondere, nec similiter nutrientes propter curam, qua circa parvulos sunt occupatæ. Mystice autem, prægnantes sunt, qui fœtum mali propositi conceperunt; et nutrientes, qui partum mali operis fovent et nutriunt: et sic notatur in conceptione, peccatum in corde; in nutritione, peccatum in opere. Vel, prægnantes sunt, qui bona proposita quæ conceperunt, non impleverunt; nutrientes, qui peccata sub spe longioris vitæ usque ad mortem deduxerunt. Vel, secundum *Augustinum*, prægnantes sunt avari, qui aliena concupiscunt, et spem habent adipiscendi sicut mulier prægnans in spe est prolem habendi; nutrientes vero sunt, qui quod concupierunt possident, et possessa nutrire student, ea detinendo et augendo : et sic animæ cupidæ temporalium prægnantes sunt in acquirendo, et nutrientes in possidendo. Et nota, secundum eumdem *Augustinum*, quod quadruplex est caritas, scilicet : incipiens, quæ nascitur; proficiens, quæ nutritur; perfecta, quæ roboratur; perfectior, quæ mortem desiderat. Prægnantes ergo sunt, qui bonum opus conceperunt, sed non fecerunt; nutrientes, qui facere cœperunt, sed non perfecerunt. Istis autem prægnantibus et nutrientibus *væ*, quoniam cito scandalizabuntur in Antichristi persecutione, vel amore male illas inflammante, vel timore male humiliante, vel modo utroque. Deinde, hortatur ut oremus, dicens : *Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme vel sabbato*, id est ne aut in frigore peccatorum, aut otio bonorum operum reperiamur, utrumque enim multum impedit hominem a fuga Antichristi, imo magis facit approximare sibi; sicut e contrario divertendo a malo, et faciendo bonum, homo approximat Deo. Spiritualiter signatur hic duplex defectus, scilicet : caritatis in hieme, et bonæ operationis in sabbato. In hieme est gelicidium amoris; in sabbato, cessatio boni operis. Vel, ne tunc incipiamus peccata nostra fugere, et pœnitentiam facere, quando jam non licet ambulare et bene agere. Ambulare enim longius sabbato non licet, hiems quoque ad ambulandum impedimentum est.

5 Tribulatio futura sub Antichristo; locus præcipuus et duratio hujus persecutionis. — *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet* ulterius talis tribulatio. Tunc enim omnes persecutiones conflabuntur in unum, scilicet : infidelium et hæreticorum, tyrannorum et falsorum fratrum. Hi sunt quatuor venti, et quatuor bestiæ pugnantes in mari. Tunc creberrima et acerrima tormenta longe lateque inferuntur fidelibus ; sed in illis regionibus tunc fideles sunt vexandi vehementius, ubi Dominus fuit crucifixus. Et, ut dicit *Haymo* super Apocalypsim, illa tribulatio non per partes, sed simul totum examinavit mundum : solventur enim tunc dæmones, qui modo ligati sunt, ne possint nocere quantum vellent. Sicut autem Antichristus crudelior erit omnibus persecutoribus, ita Sancti tunc fortiores erunt omnibus Martyribus. Illam vero tribulationem, Dominus sciens infirmitatem humanam, abbreviabit propter electos, secundum moderamen suæ æternæ sapientiæ, et affectum suæ misericordiæ; ne mora temporum fides concutiatur credentium, et malitia mutet intellectum, quia non durabit nisi per tres annos, cum dimidio. Ut enim dicitur in Daniele : *Durabit per tempus, et tempora, et dimidium temporis*, id est tribus annis et dimidio, in quibus regnabit Antichristus, quantum et prædicavit Christus. Et iterum in Daniele : *Dies mille ducenti nonaginta*, id est tres annos et dimidium; et in Apocalypsi dicitur, quod *data est ei potestas facere menses quadraginta duos*, id est tres annos cum dimidio. *Et nisi breviati*, id est breves a Deo præstituti *fuissent dies illi*, quibus scilicet operabitur Antichristus, *non fieret salva omnis caro* justi, id est homo, quia nisi hoc esset, rarus aut nullus pressuras sustinere, et per patientiam salvari posset, quia infirmitas humana diu tribulationem sustinere non potest; *sed propter electos breviabuntur*

[illegible]

[illegible] qui sunt [illegible] ejus : *et [illegible] signa*, a[l]iquid magnum s[ign]antia, *et prodigia*, ho[m]inibus adm[ir]anda, quæ digito pr[o]untur, et pro[p]ter adm[i]rationem [illegible] monstrantur ; vel, *dabunt signa*, quæ aliqui[d] significant de præsentibus, *et prodigia*, quæ aliquid produnt et manifestant de futuris. Virtute enim dæmonum multa miracula fieri possunt, quando Deus permittit, ***ita*** [illegible] ***[illegible]antur, si fieri*** pos[set] [illegible] prædestinati, id [illegible] fieri posset, ut D[e]i [illegible] sed non seduc[i] non possunt quos [illegible] præordinavit. Unde [illegible] electorum cor [illegible] concutitur, et [illegible] constantia non move[tur] [illegible] Dominus utrumque [illegible] Quasi enim jam errare [illegible] titubare. Sed, si [illegible], quia fieri non [illegible] electi cap[illegible] Antichristi [illegible] Cujus enim non [illegible] fides, quando [illegible] crebriora et acer[illegible] consueverant, in[illegible] quo gravius [illegible] operatio eos [illegible] non eos qui [illegible] et per[illegible] virtutis, [illegible] sævit ut [illegible] miraculis [illegible]? Nec mirum [illegible] perantur, quando [illegible] Tunc enim ut [illegible] Satanas, et [illegible] in omni virtute sua [illegible] sed mendaciter [illegible] Unde *Gregorius* : « Per[illegible] humanæ mentis illa [illegible] martyr corpus [illegible] et tamen ante [illegible] a tortore [illegible] » Un[illegible] : « Sicut in adventu [illegible] Prophetæ, et cum [illegible] Apostoli in Spiritu Sancto [illegible] facta [illegible], sic et in adventu Antichristi [illegible] Christiani, et ante [illegible] in spiritu maligno [illegible] virtutes. »

[illegible] Tempus [illegible] ab omnibus ignora[illegible]. — Et subjungit : *Vos ergo [illegible], ecce prædixi vobis omnia*, ut præsti vigiletis, quia moniti estis. Quasi diceret : Ad hoc ista prædico nunc, ut caveatis pro tunc et pericula sequentia prævideatis, quia præmoniti estis, et ut minus noceant vobis jacula quæ prævidistis. Unde ait *Chrysostomus* : « Propterea dicit : ***Ecce prædixi vobis***, **ut excusationem ignorantiæ tol**

lat ab omnibus, et præcedens contestatio prævidere faciat pœnam sequentem. Misericordia enim est mandatis prævenire periculum. Non vult enim quemquam perire, qui omnibus monstrat perditionis adventum : » hæc *Chrysostomus*. Non est igitur credendum alicui, vel de persona ut ipse sit Christus ; vel de tempore futuri judicii, neque fides adhibenda his qui calculant, et certum tempus determinant, quando Deus venturus sit, quia hoc a nemine potest sciri vel observari. Unde *interrogatus Dominus* de adventu regni Dei, *a Pharisæis* dicentibus: *Quando venit regnum Dei? Respondens eis dixit : Non venit regnum Dei*, et dies judicii, *cum observatione*, scilicet temporis, neque ab Angelis, neque ab hominibus potest observari quando veniet. Per adventum regni Dei intelligitur adventus ad judicium, quia veniet tamquam Rex ad judicandum, et quia tunc manifestabitur Dei regnum, et cessabit omne aliud regnum.

8 Regnum Dei triplex. — Et addit : *Ecce enim regnum Dei intra vos est*, quia donum gratiæ est in mente; regnum gratiæ intra nos est, quando omnes vires et motus in nobis divinæ gubernationi obediunt; secus, quando rebellant. Ac si dicat : Non curetis scire quando veniat regnum Dei, et omittite quæstionem de regno gloriæ, quia ejus adventus sciri non potest; sed quærite regnum gratiæ, quod intra vos esse potest, et parate vos, intra vos, per fidem, cum dilectione operantem, quia intra vos est regnum Dei. Nempe in nobis, cum Dei gratia est, ut regnum Dei capiamus, nisi nos obicem ponamus. Ubi nota quod triplex est regnum Dei : primum est circa nos, vel in quo nos, scilicet regnum militantis Ecclesiæ; secundum intra nos, scilicet regnum gratiæ, qua videlicet Deus regnat in anima; tertium est regnum gloriæ, quo Deus regnat cum Sanctis suis in gloria. Vel, regnum Dei dicit seipsum, in cordibus fidelium regnantem. Unde ait *Beda* : « Dicit regnum Dei intra fideles positum, qui enim quandoque venturus est Judex omnium, nunc etiam regnat in cordibus fidelium : » hæc *Beda*. Unde et *Anselmus* : « Qui vere justus est, Deum in se manentem habet : *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*, ait Apostolus. Summa igitur diligentia considerandum est, cum quanta ratione et reverentia sensus nostros et membra corporis nostri movere debemus, quibus divinitas ipsa præsidet. Demus igitur, ut dignum est, tanto inhabitatori omne imperium cordis nostri, ut nihil ei repugnet in nobis, sed omnes cogitationes et voluntatum motus, omnia verba et universa opera nostra illius nutum attendant, ejus voluntati deserviant, et ad rectitudinis ejus regulam dirigantur. Sic enim nos vere regnum ejus erimus, et ipse in nobis manebit, et nos in illo manentes bene vivemus : *Vos estis*, ait Apostolus, *corpus Christi, et membra de membro*. Serva igitur corpus ea dignitate qua decet. Oculi tui Christi sunt, non igitur licet tibi oculos Christi ad aliquas vanitates conspiciendas dirigere. Os tuum os Christi est, non ergo licet tibi os Christi, non dico ad detractiones, non dico ad mendacia, sed neque ad otiosos sermones aperire, quod ad solas laudes Dei, et ad ædificationem proximi debes paratum habere. Sic de ceteris Christi membris tuæ custodiæ commissis intellige : » hæc *Anselmus*.

9 Differentiæ inter primum et secundum Christi adventum. — Deinde subjungit : *Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est* Christus, scilicet tamquam homo religiosus in loco deserto, quasi sub specie sanctitatis vos decipere volentes *nolite exire*, scilicet a vestro loco et proposito ad videndum eum, vel ad sequendum per operis imitationem. Et, si dixerint : *Ecce in penetralibus*, et in locis occultis Christus est, sub specie cognitionis divinorum arcanorum malitiam ejus palliantes, et vos decipere volentes, *nolite credere*. Vel, secundum *Hieronymum*, si quis promiserit vobis quod in deserto Gentilium, et philosophorum dogmatibus Christus moretur, aut in hæreticorum penetralibus, et occultis seu obscuris conventiculis, quæ Dei pollicentur arcana, nolite credere. Non

enim Deus in secundo adventu in deserto vagabitur, nec in penetralibus, aut in aliquo angulo terræ, vel in occulto loco, seu in aliquibus obscuris latitabit; sed de cœlo veniens manifeste omnibus ubique apparebit, quia licet adventus Christi in carnem fuerit occultus, tamen adventus ejus ad judicium erit ita manifestus, quod non poterit aliquem latere tamquam incognitus. In primo enim adventu venit in humilitate, et paucis cognitus, et a multis despectus et reprobatus; sed in secundo adventu veniet manifestus et gloriosus, in potestate orbem judicaturus. Nam, ut ait *Augustinus*, occultum oportebat eum venire, ut judicaretur; manifestus autem veniet, ut judicet. Quasi diceret : Nolite eis credere, quia dies adventus mei secundi ita clara erit, quod nullus de ea dubitare poterit. Ad quod similitudinem fulgoris introducit : *Sicut enim fulgur* et splendor solis, *exit ab Oriente, et* subito *paret* ubique, *usque in Occidentem*, oculis scilicet omnium manifestus, et non in una parte videtur et fulget, sed in omnibus, nec annuntiante vel præcone indiget, sed in instanti momento temporis in orbem terrarum universum apparet; *ita erit et adventus Filii hominis*, ad judicium generale : erit subitus, et coruscus, et manifestus omnibus, et ita patens et clarus quod nullus de eo dubitare poterit; et non hic vel illic, sed simul ubique propter effusionem et splendorem gloriæ apparebit. Stultum est ergo eum credi esse, vel quærere in parvo loco et in abscondito, qui totius mundi lumen est. Unde ait *Ambrosius :* « Christus sicut fulgur coruscans per universum mundum luminis sui globos spargit. Et ideo nec in desertis vagatur, nec aliquibus locis clauditur, quia *cœlum et terram ego impléo, dicit Dominus*. Sed luce fulgoris fulget, ut in illa nocte resurrectionis gloriam videre possimus. » Et, ut dicit *Chrysostomus*, sicut fulgur secundum qualitatem fulgoris sui non digne aspicitur; sic et dum venerit Christus secundum mensuram gloriæ ejus, non poterunt eum sufficienter aspicere. Et sicut jam instruxit discipulos de modo apparitionis suæ, quia sicut fulgur manifeste veniet; sic nunc consequenter instruit eos de loco, in quo venturus est.

10 Cur Christus dicatur corpus, et Sancti aquilis assimilentur? — Unde subjungit : *Ubicumque fuerit corpus*, id est Christus in humanitate, quia judicabit in forma humana, scilicet gloriosa; *ibi congregabuntur et aquilæ*, id est Sancti occurrentes obviam Christo ad judicium venienti, quibus innovata est juventus ut aquilæ. Christus dicitur *corpus* ad denotandum carnis veritatem, et ostensionis speciem, in qua videbit eum omnis oculus; electi vero dicuntur *aquilæ*, propter resurrectionis innovationem, et visionis subtilitatem, qua Solem justitiæ, irreverberatis oculis, videbimus. Quasi diceret, secundum *Chrysostomum :* « Dum in glorioso corpore advenerit Filius hominis, non oportet in angulis æstimare eum esse; quia tanta erit obsequentium sibi Sanctorum multitudo, ut unicuique pateat quod ipse est Christus Dominus, caput totius Ecclesiæ, et *supra omnem Principatum et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro*. Per aquilas enim multitudinem Angelorum et Sanctorum universorum ostendit. Ideo enim Sancti aquilis assimilantur, quia sicut filii aquilarum ad solem probantur, ut siquidem recto aspectu intendere potuerint contra radios solis, intelliguntur esse legitimi, si autem non potuerint, cognoscantur adulterini; sic et filii Dei ad Christi justitiam probantur; si enim potuerint pleno corde justitiæ ejus verba suscipere, intelliguntur esse legitimi; si autem non potuerint, cognoscuntur de diabolo esse nati : » hæc *Chrysostomus*. Quia ergo secundus adventus Christi erit ita publicatus et manifestus, et quantum ad modum et quantum ad locum, ideo ipse non indiget præconibus et nuntiis talibus qui vobis annuntient, dicentes : Ecce hic et ecce illic Christus est; igitur nolite talibus credere.

ORATIO

Domine Jesu Christe pie, da mihi, visis mundi abominationibus et sævientibus tribulationibus, ad montes et culmina virtutum fugere, et in cœlestibus conversando de spirituali sublimitate ad carnalia desideria et actus pristinæ conversationis mundanæ non descendere, vel me inclinare, et in anteriora me extendendo, et pro fructu bonorum operum laborando, in posteriora et ad temporalia quibus me exui non respicere. Da etiam mihi, ut nullis seductoribus credens, regnum gratiæ, quod intra nos potest esse, quæram, et sic ad regnum gloriæ perveniam. Amen.

CAPUT XLI

DE REMEDIIS CONTRA SPIRITUALES NOVISSIMI TEMPORIS TENTATIONES, ET EXERCITIO MENTIS IN DEUM.

1 Tentationum origo duplex. — Et quia, ut dictum est, ante adventum Domini surgent multi pseudochristi et pseudoprophetæ, id est simulati, et falsi; et seducent multos, qui ante videbantur etiam perfecti; ideo hic consequenter ponuntur aliqua remedia contra quasdam tentationes spirituales quæ isto tempore abundabunt, ad probandum et purgandum electos, quæ etiam in cordibus quorumdam seminantur a diabolo, et præparant locum Antichristo. Dupliciter autem veniunt prædictæ tentationes : primo, per suggestionem et illusionem diaboli, qui decipit hominem in regimine quod debet habere erga Deum, et in hoc quod est Dei; secundo, per corruptam doctrinam, et modum vivendi aliorum, qui jam venerunt per tentationes hujusmodi. Propter quod ostendendum est : primo quod regimen debes habere apud Deum, et ad id quod Dei est ; et post, quomodo debes regi erga alios, quantum ad doctrinam, et quantum ad modum vivendi eorum.

2 Quinque remedia contra tentationes ex parte diaboli. — Primum remedium contra tentationes spirituales istius temporis, quas procurat diabolus in cordibus illorum qui volunt se dare Deo per orationem et contemplationem, vel per alia opera perfectionis, est istud : ut non desideres visiones aut revelationes, vel sentimenta quæ sunt supra naturam, et supra cursum illorum qui Deum diligunt, et timent per verissimum amorem : quia istud desiderium esse non potest sine radice, et sine fundamento superbiæ et præsumptionis; vel sine intentione alicujus vanæ curiositatis circa secreta Dei, vel sine fragilitate et defectu fidei : propter quæ justitia Dei dimittit animam quæ habet desiderium hujusmodi, et venit quandoque talis in tentationem et illusionem diaboli. Per hunc modum seminat diabolus majorem partem tentationum spiritualium istius temporis, et radicat in cordibus illorum qui sunt nuntii Antichristi, prout videre poteris in subsequentibus. Unde debes scire quod veræ revelationes, et sentimenta spiritualia secretorum Dei, non veniunt per antedictum desiderium, neque per aliquod conamen vel studium quod anima habeat in se; sed tantum veniunt per puram bonitatem Dei in animam, quæ est in magna humilitate, et in magno timore, ac reverentia Dei. Item, scias quod exercitare se in magna humilitate, ac timore magno, ac reverentia Dei, propter hoc ut homo habeat visiones ac revelationes et sentimenta supradicta, est habere in se radicem

et fundamentum, ac finalem intentionem quam habet antedictum desiderium; et ex hoc in eodem delicto venit homo, in quo est per desiderium supradictum. — Secundum remedium est, quod in tua oratione vel contemplatione non sustineas in anima tua aliquam consolationem magnam vel parvam, ex quo tibi videtur quod fundat se in præsumptione et in æstimatione superbiæ tuiipsius; et post quam ducit te in ambitionem tui proprii honoris vel gloriæ, sive istius vitæ, sive alterius. Anima enim quæ se sentit in tali consolatione, venit in plures errores et mala, et Deus per suum justum judicium permittit diabolo posse augmentandi et accelerandi prædictam consolationem, et imprimit cum illa in anima falsissima et periculosissima sentimenta, et alias illusiones, quas anima imbuta dicta consolatione credit et reputat esse veras revelationes. O quot personæ per istum modum sunt deceptæ! Et propter hoc caveas, quod in tua oratione vel in tua contemplatione non sustineas aliquam consolationem, nisi illam quæ venit per perfectam notitiam et completum sentimentum tuæ nihilitatis et imperfectionis, et quæ facit perseverare dictam notitiam et sentimentum tui in te, ac magnitudinem et altitudinem Dei per altam reverentiam, et cum magno desiderio honoris et gloriæ Dei; sic quod antedicta consolatio fundetur et totaliter sit in his prædictis, vel similibus, aut æqualibus. Et idem quod dictum est de divina consolatione, intellige etiam de fervore et ardore perfectionis, quæ possunt esse in eisdem modis. — Tertium remedium est, quod omne sentimentum quantumcumque altum, et omnis visio quantumcumque secreta tibi appareat, quæcumque etiam sit, si ducit cor tuum in opinionem contra aliquem articulum fidei, vel contra bonos mores, et maxime contra humilitatem, vel contra honestatem, fugias eam et horrescas; quia sine dubio ex parte diaboli venit. Et si apparet tibi aliqua visio, de qua sis certus, quod veniat ex parte Dei, et quod illud quod inducit visio, est placitum Deo, noli te firmare in dicta visione. — Quartum remedium est, quod propter altam vitam, vel propter magnam devotionem, aut propter præclarum intellectum, seu propter aliquam aliam sufficientiam quam vides in aliquibus personis, non sequaris eorum consilia, vel modos, ex quo cognoscis clare et rationabiliter, quod eorum consilia non sunt secundum Deum et veram discretionem, per viam Jesu Christi et Sanctorum monstratam, et perfectam Scripturam in dictis Sanctorum notificatam. Nec propter hoc timeas quod spernendo talia consilia dictarum personarum, pecces per superbiam et præsumptionem; solum quod facias propter zelum et veritatis amorem. — Quintum remedium est, quod fugias et vites familiaritatem illarum personarum quæ dictas tentationes seminant et diffundunt, et illas personas quæ easdem sustinent et laudant; et noli eorum verba vel etiam collocutiones audire, neque eorum modos velis videre, quia tibi demonstrabunt magnum signum perfectionis in pluribus verbis et modis, per quæ si vis accipere, et eos tamquam divinales sequi, venies in pericula et præcipitia errorum et inhonestorum morum eorumdem.

3 Undecim remedia contra tentationes ex parte malorum. — Post hæc vide remedia, quæ debes attendere circa aliquas personas, quæ per suam vitam et doctrinam seminant dictas tentationes. — Primum remedium est, quod non habeas magnam æstimationem visionum, aut sentimentorum, vel raptuum eorum; imo si ducunt te in aliquid quod sit contra fidem, vel contra Scripturas sanctas, aut contra bonos mores, vel contra vitas Sanctorum, seu verba eorum sane accepta, abhorreas eorum visiones et sentimenta tamquam stultas dementias, et eorum raptus sicut rabiamenta. Si tamen ducunt in hoc, quod est secundum fidem, et secundum Scripturam, et secundum Sanctos, et secundum bonos mores, noli spernere, quia forsitan sperneres hoc quod est

Dei: non tamen totaliter confidas, quia sæpe et maxime in tentationibus inducitur seu absconditur falsitas sub specie veritatis, et malitia sub similitudine bonitatis, ut diabolus possit melius et sæpe mortalem errorem diffundere. Et ideo videtur plus placere Deo, quam visiones et sentimenta ac raptus, quæ secundum quod dictum est, habent similitudinem veritatis et bonitatis, dimittas ire pro tanto quantum valent; nisi contingat aliquibus personis ratione sanctitatis et humilitatis eorum probatæ certissime et manifeste, de quibus esset certum et manifestum quod non possent decipi per illusiones vel ingenium diaboli. Et tunc, quamvis sit pium visionibus et sentimentis talium personarum consentire, tamen securum est, non totaliter per rationem veridicam eis credere; sed solum, quia concordant cum fide catholica et Sacra Scriptura, ac bonis moribus et vita et verbis Sanctorum, et cum ratione fundata supra prædicta. — Secundum remedium est, quod nullam expositionem Scripturæ et verborum Sanctorum velis accipere, nisi concordet Jesu Christi atque Sanctorum vitæ; quod tamen intellige quantum ad illos nobis propositos ad imitandum non quantum ad imitandum privilegia et singularitates eorum. Et istud dicitur contra aliquos nuntios seu discipulos Antichristi, qui palliant et defendunt suos errores et periculosos modos vivendi, exponendo Sacram Scripturam secundum eorum propriam affectionem, ducentes in exemplum aliquos excessus et singularitates, quas aliqui Sancti fecerunt. — Tertium remedium est, quod si per revelationem, vel sentimentum, vel per alium modum cor tuum moveatur ad faciendum aliquod opus, et maxime opus grave vel notabile, et non tibi consuetum, de quo non habeas certitudinem an Deo placeat, imo et rationabiliter dubitas, contrahas moram ad faciendum dictum opus, usquequo inspexeris omnes circumstantias, et maxime finales, et cognoscas quod Deo placeat; non tamen quod tu judices per tuam opinionem, sed si potes, per testimonium certum Scripturæ, vel per exemplum Sanctorum Patrum imitabile. Et bene dictum est imitabile, quia, secundum *Gregorium*, aliqui Sancti fecerunt aliqua opera, in quibus non debemus eos imitari, quamvis essent in eis bona; sed debemus ea habere in reverentia. Et, si per teipsum non potes venire in notitiam an Deo placeat vel non, illud circa quod faciendum movetur cor tuum, petas consilium a probatis personis in vita et doctrina et consilio veritatis. — Quartum remedium est, quod si tu es immunis a prædictis tentationibus sic: quod numquam eas habueris, vel quantumcumque eas habueris liberatus fueris, dirige cor et intellectum ad Deum, recognoscendo humiliter gratiam tibi factam, et quam tibi multoties super hoc facit. Et caveas tibi ne hoc quod per puram gratiam et bonitatem Dei habes, velis adscribere tuæ virtuti vel sapientiæ, seu merito tuo, aut bonis moribus tuis; neque quod factum fuerit a casu seu a fortuna, quia, ut dicunt Sancti, hoc est principalius per quod Deus beneficium suæ gratiæ aufert et subtrahit homini, permittitque eum subjici tentationibus et illusionibus diaboli. — Quintum remedium est, quod te, seu tuo corde existente in tentatione spirituali, per quam es in dubio, non incipias tua propria voluntate aliquid notabile tibi inconsuetum ante; sed tuum cor et tuam voluntatem refrenando, exspectes humiliter cum timore et reverentia Dei usquequo Deus cor tuum clarificet: quia si existendo in dicto dubio inciperes ex tua propria voluntate aliquid notabile, tibi inconsuetum, non posses exire ad finem bonum. — Sextum remedium est, quod propter tentationes antedictas, si habeas, non dimittas aliquod bonum, quod tu incepisti, dum in tentationibus illis non eras; et maxime non debes dimittere orare, aut confiteri, vel opera facere humilitatis, licet consolationem non invenias in ipsis; unde scriptum est: *Mane,* scilicet prosperitatis et gratiæ.

semina, scilicet opus bonum: *et vespere*, scilicet ad extremum tentationis, *ne cesset manus tua*, scilicet a seminando. — Septimum remedium est, quod omnes imaginationes et errores quæ te venire faciunt quasi in dubium alicujus veritatis, expellas a corde tuo, et a memoria tua cum summo studio et conamine, tantum cor et intellectum convertendo in puritate et veritate radicum nostræ fidei, et in vita Sanctorum, et in veritate sanctarum Scripturarum, de quibus si humiliter et discrete ad easdem conversus fueris, poteris lumen extrahere ad certe cognoscendum hoc in quo prius dubitaveras. Et istum modum debet homo tenere in tentationibus spiritualibus, quæ non sunt de principalibus fidei articulis, sed de aliquibus veritatibus ipsi fidei proximis. — Octavum remedium est, quod te existente in antedictis tentationibus, habeas firmam et certam spem, quod de istis tentationibus Deus te ad aliquod bonum adducet, et cor tuum clarificabit: et credas firmiter quod Deus permittit te venire in prædictas tentationes, propter exercitium tuæ virtutis, et ut te humilies, Attamen ita se habeat spes supradicta, quod negligentia non includatur in ea, sic quod tuum posse facias de expellendo a te tentationes prædictas; et similiter sic se habeat credulitas prædicta, quod superbia non includatur, sed quod dubites quod illæ tentationes veniant propter tuam culpam. — Nonum remedium est, quod si habeas antedictas tentationes multum absconditas et secretas, non eas teneas, imo eas reveles tuo sapienti et discreto confessori, et aliquibus singularibus personis, sed non multis; de quibus perpendere possis quod ratione experientiæ tentationum quas habuerunt, vel ratione luminis sapientiæ et sanctitatis possunt tibi dare consilium et auxilium, ac consolationem. Istud remedium commendant multi Sancti, quia narratur in vitis Patrum, quod quidam monachi qui per magnam vitam erant alti, quia contemnebant consilium et auxilium Sanctorum Patrum super tentationibus eorum, veniebant ad finem malum Et contigit aliquibus aliis quod, Deo sic volente, prodebant tentationes propter eorum simplicitatem, et humilitatem quam habebant in petendo consilium, et auxilium super tentationibus suis finem salubrem inveniebant, et citius liberabantur. — Decimum remedium est, quod si antedictas tentationes habeas, leves cor et intellectum tuum ad Deum, quærendo humiliter hoc quod ei fuerit honorabilius, et tuæ animæ salubrius super tua tentatione, subjiciendo tuam voluntatem voluntati divinæ; sic ut, si sibi placet quod perseveres in tentatione, similiter et tibi placeat, solum ut Deum non offendas. — Undecimum remedium est, quod nisi per aliam viam possis evadere prædictas tentationes, debes eas oblivisci, et per quamdam negligentiam fugere et dimittere, considerans quod non sunt tentationes per diabolum procuratæ, sed passiones, et fragilitates, seu debilitates quæ, cum ex natura proveniant, sunt communes statui hujus vitæ.

4 Quatuordecim rationes propter quas excutienda est pigritia spiritualis. — Et, quia supra et in sequentibus, multis modis hortatur nos Dominus ut vigilemus, et ad incertum ejus adventus diem nos præparemus, ideo ut continue ad opera virtutum ascendas, vel saltem vehementer ascendere desideres, ponuntur hic consequenter aliquæ rationes per quas poteris sentire pigritiam et nihilitatem boni quod incepisti, et cor tuum excitare et movere ad majores perfectiones omnimodæ virtutis quam non incepisti. — Prima ratio est, quia si aspicias quomodo Deus est dignus amari et honorari, secundum suam bonitatem et sapientiam, et alias suas nobiles perfectiones, quæ sunt in eo sine numero et sine termino, videbis quod hoc quod credidisti facere multum et magnum ad honorem Dei, et secundum suam voluntatem est minimum, et quasi nihil in respectu quod deberet esse secundum quod Deus est dignus. Ista ratio idcirco primo ponitur, quia principaliter debemus at-

tendere in omnibus operibus nostris honorem et reverentiam, atque amorem Dei, quia in se dignus est amari, et honorari per omnem creaturam. — Secunda ratio est, quia si attendas quot despectus et vituperia, quot egestates et penurias, quot dolores et passiones sustinuit Filius Dei amore tui, ut ames et honores Deum; cognosces quia parum est quod fecisti ad Deum amandum et honorandum, secundum hoc quod facere deberes. Ista ratio est altior et perfectior quam aliqua sequentium, et ideo ponitur secundo. — Tertia ratio est, quia si cogitas innocentiam et perfectionem quam deberes habere, secundum Dei mandatum, per quod teneris esse absque omni vitio, et sine omni culpa, et in plenitudine totius virtutis, sicut est quod deberes amare Deum : ex toto corde tuo, et ex omni anima tua, et ex tota fortitudine tua, videbis manifeste infirmitatem et distantiam, in qua es a prædicta innocentia et perfectione. — Quarta ratio est, quia si cogitas multitudinem et largitatem beneficiorum Dei, et gratiarum corporalium et spiritualium communium tibi et aliis, vel quæ singulariter tibi sunt datæ, senties quod hoc quod facis propter Deum, est nihil ad recompensandum dicta beneficia et gratias Dei, et maxime si Dei liberalitatem attendas ac bonitatem. — Quinta ratio est, quia si cogitas altitudinem et nobilitatem remunerationis et gloriæ promissæ et paratæ illis, qui faciunt opera virtutum ad honorem Dei, quæ gloria tanto major dabitur, quanto opera erunt virtuosiora et majora, cognosces pro tanto tuum meritum nihil esse in comparatione tantæ gloriæ, et desiderabis facere opera virtuosiora quam ante feceras. — Sexta ratio est, quia si attendas pulchritudinem et gratiositatem quam habent virtutes in se, nobilitatem quam anima recipit per ipsas virtutes; si attendas etiam vilitatem et turpitudinem quam in se habent vitia et peccata, et nihilitatem quam anima recipit per ipsa vitia, conaberis, si sapiens es, ad amplius acquirendum virtutes, et amplius fugere vitia et peccata quam umquam conatus fueris. — Septima ratio est, quia si attendas altitudinem et perfectionem vitæ Sanctorum Patrum, vel eorum multas et perfectas virtutes, cognosces imperfectionem et infirmitatem vitæ tuæ et operum tuorum. — Octava ratio est, quia si cogitas magnitudinem et multitudinem offensarum quas fecisti contra Deum, cognosces quod omnia opera, quæ facis quantumcumque bona, nihil sunt ad satisfaciendum per viam justitiæ offensis Dei. — Nona ratio est, quia si speculeris diversitatem et periculum tentationum : carnis et mundi et diaboli, conaberis ad assumendum majorem firmitatem et altitudinem in omni virtute quam umquam feceris, ut possis esse in majori securitate contra dictas tentationes. — Decima ratio est, quia si cogitas districtum judicium Dei finale, et cum quo apparatu bonorum operum, et cum qua satisfactione de offensis Dei debes venire ad dictum judicium, videbis quod parum est quod fecisti per bona opera, vel per misericordiam, secundum quod facere debuisses. — Undecima ratio est, quia si cogitas brevitatem vitæ tuæ, et necessitatem tuæ mortis dubiæ, postquam non habebis spatium faciendi opera meritoria vel pœnitentiam, cognosces quod cum majori corde et studio deberes facere bona opera, et pœnitentiam quam nunc facis. — Duodecima ratio est, quia si advertas qualiter si incipias bonam vitam, in quovis gradu, sine conamine et desiderio ascendendi in majorem et altiorem vitam, non potest esse sine fundamento præsumptionis et superbiæ hujus quod incepisti ; nec potest esse sine inclusione magnæ tepiditatis et negligentiæ, et ex quo hæc duo mala includuntur, non potest esse sine magno periculo veniendi in multa spiritualia vitia. Non dubium quod si velis dictorum malorum esse liber et immunis, quantamcumque altam vitam inceperis, tu conaberis ad ascendendum ad altiorem vitam et perfectiorem. — Tredecima ratio est, quia si cogitas abyssalia judicia

Dei facta super aliquos, qui diu perseveraverant in magna sanctitate et perfectione, sic quod Deus eos deserebat propter aliqua occulta vitia, quæ non credebant habere, non dubium quod quantamcumque altam vitam inceperis, omni die elevabis tuas affectiones et intentiones, deserendo omne vitium plus quam feceras ante, appropinquando ad perfectam et integram sanctitatem timendo ne forte sit in te aliquod vitium occultum, propter quod sis dignus deseri a Deo. — Quartadecima ratio est, quia si recogitas pœnas infernales damnatorum paratas peccatoribus cunctis, credo quod levis erit tibi omnis pœnitentia, omnis humilitas, et paupertatis vituperium, et omnis labor quem in vita ista propter Deum possis sustinere, ut evadas pœnas supradictas, et conaberis continue ad tenendum altiorem et perfectiorem vitam, timendo periculum veniendi ad pœnas illas. Prædictæ quatuordecim rationes plus in brevi tactæ sunt quam explicatæ, ut addiscas in paucis magna cogitare ; sic quod quælibet ratio sit tibi materia considerationis spaciosæ. Attamen scias quod si velis proficere cum dictis rationibus, debes eas formare, non solum per intellectum; imo est necessarium quod per affectionem moneas tuam voluntatem ad hoc quod dictant istæ rationes. Et nota quod conclusio cujuslibet rationis debet esse in duobus : primo, in sentimento propriæ imperfectionis et nihilationis; deinde in desiderio et conamine veniendi in altiorem vitam et majorem perfectionem : sic quod non sit sentimentum propriæ imperfectionis et nihilationis sine desiderio, et conamine majoris perfectionis, et vitæ altioris; nec major perfectio et altior vita, sine sentimento propriæ imperfectionis et nihilationis.

ORATIO

Domine Jesu Christe, mitis et humilis corde, funda cor meum in vera humilitate, et exclude a me omnem motum præsumptionis et superbiæ, ut numquam visiones desiderem, aut revelationes, nec per aliquas tentationes seducar spirituales, quæ me ducere quoquomodo possent in errores. Fac me, Domine piissime, quotidie ad opera virtutum ascendere et semper in bono proficere, ac continue in altiorem vitam tendere et suspirare, ut sic vigilando, et sollicite agendo, ad incertum tuum adventum me valeam præparare. Amen.

CAPUT XLII

DE ORANDO ET EXSPECTANDO ADVENTUM DOMINI, ET DE POSTERIORIBUS SIGNIS ADVENTUS EJUS, ET CONSUMMATIONIS SECULI.

Matthæi cap. XXIV, Lucæ cap. XVIII et XXI.

1 De orationis præcepto. — Postquam ergo Dominus ærumnarum et periculorum meminit, consequenter horum remedium subdit, quod est oratio præmeditata, ac jugis et assidua; unde in libro Paralipomenorum: *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum residui habemus, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Quia enim dixerat Dominus de suo futuro ad-

ventu, subito veniet, cujus tempus certum latet, sollicitos nos vult esse et dispositos, ne dies illa nos inveniat imparatos. Inter cetera autem, quæ nos præparant, ut secure et digne adventum Domini exspectemus, est orationis sedulitas et assiduitas, ut justi Judicis misericordiam imploremus; et orantis humilitas, ut Judicem per humilitatem flectamus, et ejus rigorem temperemus, quia ei semper humiium placuit oratio. Unde in Ecclesiastico : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et donec appropinquet non consolabitur; et non discedet donec aspiciat Altissimus.* Oratio autem superborum exaudiri non meretur; orans enim defectum proprium confitetur, quod superbiæ repugnat, quoniam defectum suum magis celare quam prodere affectat. Docet ergo Dominus quoniam *oportet* jugiter et *semper orare, et* ab oratione *non deficere;* quia *multum valet deprecatio justi assidua.* Sed quis potest semper orare? Ergo hoc intelligendum est de quotidianis horis canonicis, juxta ritum Ecclesiæ constitutis, et oremus semper, scilicet pro tempore et horis debitis; et sic semper non importat continuitatem temporis, quia oportet interrumpi tempore dormitionis et quarumdam necessitatum corporis, sed importat instantiam orationis temporibus et horis ad hoc congruis. Aut certe quidquid justus facit et dicit, secundum Deum, ad orationem est reputandum. Nam semper orat, qui semper bene facit, seu in bono perseverat; nec desinit orare, nisi cum desinit justus esse. Orat enim non solum lingua; sed et cor et cogitatio, desiderium, sensus, manus, oculi, et omnis operatio bona. Hæc enim si orare cessaverint, omnis linguæ oratio inutilis est. Et hoc modo semper et sine intermissione possumus orare, et ab oratione non deficere. Unde ait *Augustinus :* « Qui Deum laudat, lingua, non semper potest; qui moribus Deum laudat, semper potest. » Multum autem valet apud Deum oratio cum lacrymis, quia hanc Deus magis diligit et citius exaudit; unde Angelus ad Tobiam : *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino;* et Dominus per Isaiam ad Ezechiam : *Audivi orationem tuam, vidi lacrymas tuas.* Nam, ut ait *Hieronymus*, oratio Deum lenit, lacryma cogit; hæc ungit, illa pungit. Unde et *Bernardus :* « O humilis lacryma, tua est potentia, tui est regni gloria, ante faciem Judicis sola intrare non vereris, quidquid petieris impetrabis, accusatori silentium imponis, et quandoque sententiam ab ore Judicis rapis, vincis invincibilem, ligas Omnipotentem : » hæc *Bernardus.*

2 Parabola de judice iniquitatis, et de vidua ipsum orante. — Et ad probandum efficaciam orationis assiduæ, proponit parabolam de perseverantia in oratione et de ejus exauditione, inducens exemplum de judice, qui Deum non timebat offendere, et hominem non reverebatur publice scandalizare, nec divino timore movebatur, nec humano pudore; et de vidua petente vindicari de adversario suo, scilicet ut faceret sibi justitiam de eo. Quam tandem ob solam importunitatem precum suarum exaudivit, ne eum suggillaret, id est suggerendo sua importunitate offenderet; et fecit victus tædio, quod nolebat facere beneficio, motus ad faciendum justitiam, non propter amorem justitiæ, sed ad evitationem suæ molestiæ. Ex quo patet aliquos hodie pejores isto esse, quia nec Dei timore, nec hominum pudore, nec aliqua importunitate volunt gravatis justitiam facere. Hanc parabolam Dominus ideo proposuit, ut ostendat quanto certiores de exauditione esse debeant qui Deum fontem justitiæ et misericordiæ perseveranter rogant, cum apud iniquum judicem valuerit perseverantia deprecantis ipsum; quia per importunitatem precum obtinuit vidua petitionis effectum. Sic enim multo fortius *Deus*, qui est bonus et justus, exaudiet preces, et *faciet vindictam electorum suorum*, in pressura et tribulatione existentium et *clamantium ad se, die ac nocte,* id est orantium instanter pro sua liberatione et declaratione divinæ justitiæ. Advertendum

tamen, quod Sancti viventes in terra non petunt a Deo de adversariis vindictam per gehennæ pœnam, sed quod conversi ad justitiam desinant esse mali, secundum illud libri Proverbiorum : *Verte impios et non erunt*, scilicet impii ; vel, quod amissa potestate quam nunc habent, desinant justos persequi ; vel, quia ad bonos pertinet bona spiritualia et æterna suis persecutoribus optare, et hoc modo pro eis orare. Sed, quia pœnæ temporales sunt quædam medicinæ, et valent ad emendationem vitæ, et ad declarationem divinæ justitiæ, ideo ad Sanctos bene pertinet petere a Deo hoc modo vindictam de suis persecutoribus, non ex motu iræ, sed ex zelo justitiæ; et sic non est contra illud quod dicitur : *Orate pro persequentibus vos*, etc.

3 Necessitas fidei ad orandum. — Deinde post orationem, subjungit Dominus de fide interrogationem, dicens : *Verumtamen Filius hominis*, scilicet ipse Christus, *veniens* ad judicium, *putas*, *inveniet fidem in terra?* Quasi eis diceret : Parum inveniet, respective loquendo de fide formata caritate. De fide post orationem interrogat, quia si fides deficit, oratio perit. *Quomodo* enim *invocabunt, in quem non crediderunt*? Ergo ut oremus, credamus ; et ut ipsa fides, qua oramus non deficiat, oremus. Quod autem quærit Dominus an in adventu suo inveniat fidem, hoc non facit dubitando, quia omnia novit; sed quærit arguens et increpans infidelium multitudinem, quia in adventu suo multos ab Antichristo seductos reperiet a fide corruisse, respectu quorum paucos inveniet in vera fidei confessione perstitisse. Tunc enim, secundum *Bedam*, tanta erit raritas electorum, ut non tam ob clamorem infidelium, quam ob torporem aliorum totius jam mundi sit acceleranda ruina : *Quoniam* enim *abundabit iniquitas*, *refrigescet* et deficiet *caritas multorum*.

4 Triplex Domini adventus. — Et, quia sic præmunivit Dominus fideles contra adventum Antichristi et suorum pseudoprophetarum, ac insuper monuit eos orare semper in tantis malis, ad exspectandum adventum suum, nunc consolatur eos per suum propinquum adventum. Ubi sciendum, quod cum triplex sit adventus Dei Salvatoris nostri, videlicet : in carnem, in mentem et in judicium; primi duo sunt amoris, tertius est timoris ; tertium celebramus propter primum, et primum propter medium. De adventu enim ad judicium mentio fit isto tempore in officio, ut timore nobis immisso ad venerendam futuram festivitatem Natalis Domini in carnem nos sollicitius præparemus. De adventu in carnem ideo festa recolimus, quatenus per ea Verbum æternum mentaliter concipere mereamur, dum ipsa mentalis conceptio est maxima gratia omnium donorum quæ in hac vita, secundum legem communem, animæ devotæ per gratiam conferuntur. Unde dicit *Augustinus*, quod beatior fuit Maria concipiendo Christum mente, quam carne. Et quia, idem *Augustinus* dicit, quod timoris est præparare locum, et quod introducit caritatem sicut fœta filium, ideo Ecclesia celebrans adventum Domini in carnem, pariter et in mentem, qui sunt adventus amoris, simul mentionem facit in officio de adventu ejus ad judicium, qui est adventus timoris, ut videlicet per timorem introducatur, ac per hoc nos moveamur ad amorosam nostri hospitii præparationem, quatenus Verbo æterno mentaliter in nobis concepto, dicamus cum Propheta: A timore tuo, Domine, concepimus et peperimus spiritum salutis. Consolatur ergo eos Dominus de suo adventu propinquo, quia statim non immediate, sed parvo tempore elapso post tribulationem Antichristi et pseudoprophetarum, quæ durabit per tres annos cum dimidio et etiam post mortem ipsius Antichristi apparebunt signa manifesta propinqui judicii; quia post tribulationem illam, antequam appareant signa ista, erit tempus breve, scilicet quadraginta dierum, vel circa, ad refrigerium bonorum, et ad pœnitentiam malorum, in quo pœnitere poterunt illi, qui per Antichristum fuerunt decepti.

5 TURBATIO CŒLORUM IN CONSUMMATIONE SECULI, LITTERALITER, MYSTICE ET MORALITER. — Et sciendum quod, appropinquante finali judicio, in omni creatura apparebit turbatio. Universitas autem creaturarum reduci potest ad quatuor genera, videlicet : ad naturam cœlestem, elementarem. rationalem, et intellectualem. Primo ergo, describitur turbatio in natura cœlesti, videlicet : *Et erunt signa in sole et luna, et stellis*, in quibus erunt aliqua apparentia insolita, et naturæ suæ repugnantia ; et ideo dicuntur signa quæ in eis erunt. *Sol* enim *obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo*, non a situ suo, quod naturaliter impossibile est fieri, cum terra non sufficeret earum magnitudini, et corpora cœlestia maneant in natura sua integra ; sed propter nimiam scintillationem quæ erit in aere, cadere videbuntur a suo lumine, non quod eo priventur, cum sit eis naturale, sed quia vincuntur a majori lumine. Hæc enim luminaria obscurari et cadere dicuntur, comparatione majoris lucis supervenientis, quia in glorioso Christi adventu, apparente veræ gloria lucis, omnia mundi lumina tenebris comparantur et umbris; sicut stellæ non apparent, sole oriente, et lumen candelæ non lucet in die. Unde ait *Beda :* « Sidera in die judicii videbuntur obscura, non diminutione suæ lucis accedente, sed superveniente claritate veri luminis, hoc est summi Judicis, cum venerit in majestate sua, et Patris, et Sanctorum et Angelorum; quamvis nihil prohibeat intelligi veraciter solem tunc et lunam cum sideribus ceteris ad tempus suo lumine privari, quomodo de sole factum constat tempore Dominicæ Passionis, luna enim tunc temporis, cum esset plena, sub abdito terræ latebat. Ceterum, peracto die judicii, et clarescente futuræ gloria vitæ, cum fuerit cœlum novum et terra nova, tunc fiet quod Isaias Propheta sic prædicit : *Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum :* » hæc *Beda*. — **Mystice, Ecclesia pulchra** ut luna, electa ut sol, et quæ noctem mundi illuminat ut stellæ, tunc non apparebit impiis ultra modum sævientibus; et cedent persequentibus ac cadent multi qui gratia fulgere videbantur, et quidem fideles firmissimi turbabuntur. — Moraliter vero, per solem status perfectorum designatur, eorum enim est ad modum solis influere aliis et illuminare ; per lunam status proficientium significatur, ad quos pertinet exterioribus exercitiis virtuosis, quæ sunt circa mutabilitatem humanorum actuum, insistere, ad similitudinem lunæ, quæ inter planetas specialiter habet influentiam super mutabilitatem istorum inferiorum; per stellas vero status incipientium accipitur, ad quos pertinet præterita peccata deplangere et a futuris cavere; stellæ enim emissione radiorum aerem impurum depurant, et earum virtute aufertur a mundo inferiori pestilentiæ corruptela. In quolibet istorum statuum, ut Verbum æternum concipiatur in mente, debent certa signa præcurrere. In sole namque legimus accidisse signum stationis, signum retrogradationis et signum obscurationis. Et in sole, quantum ad perfectos figurandos, accipitur: primo debet esse signum stationis, et hoc per mentis in Deo stabilitationem, ne variis cogitationibus evagetur, secundum illud Psalmistæ : *Jacta cogitatum tuum super Dominum*; secundo, signum retrogradationis per contemplationis et actionis alternationem, secundum illud Ezechielis Prophetæ : *Animalia ibant et revertebantur*: animalia enim, id est sectatores Evangelicæ perfectionis, vadunt ad vitam contemplativam, in qua, quia diu immorari non prævalent, revertuntur ad activam; tertio, signum obscurationis per propriæ gloriæ exinanitionem, ut in suis oculis nihil se esse reputent, sic semetipsum obscuravit Apostolus, dicens : *Ego sum minimus Apostolorum* ; et sequitur : *Gratia Dei sum id quod sum*. In luna quantum ad proficientes, debet apparere signum conversionis in sanguinem, per Passionis jugem **recordationem, unde eis dicit Chri-**

stus in Threnis: *Recordare paupertatis meæ, et absynthii et fellis*; et respondere debet homo illud quod ibi sequitur: *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.* In stellis vero quantum ad incipientes, debet esse signum casus et propriæ dejectionis per defectuum multiplicium humilem recognitionem, de quo casu exponi potest illud Proverbiorum: *Septies in die cadet justus, et resurget.* Justificatus enim per gratiam Dei omni tempore, quod per septenarium numerum innuitur, debet cadere per propriam recognitionem, et tunc semper post lapsum resurgit per divinæ miserationis sublevationem; quoties enim quis pro suis defectibus ingemuerit, toties divinæ propitiationis gratiam sibi amplius cumulabit. Hæc autem signa facere in quolibet statu non est ex nobis, sed ex superefffluentia divinæ bonitatis; ideo Sapiens sic orat: *Miserere nostri, Deus omnium, et ostende nobis lucem miserationum tuarum*; et subdit: *Innova signa et immuta mirabilia.*

6 TURBATIO CREATURÆ ELEMENTARIS. — Secundo, describitur turbatio in creatura elementari, cum dicitur: *Et in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris, et fluctuum* Nam ex impressione corporum cœlestium fiet commotio elementorum. Terra enim commotione commovebitur, et in aere caligo et venti, tonitrua et fulgura, coruscationes et variæ tempestates generabuntur. In mari quoque et in fluctibus, generabuntur spiritus procellarum, et ab intus et ab extra concutientes mare et fluctus, ex quorum confractione generabitur maximus et horribilis sonus, et præ nimia aquarum hinc inde agitatione absque ordine, quasi sonus confusionis apparebit. Et insuper aderit etiam incendium ignis, qui præcurret faciem Judicis, ita ut mare et omnia cedantur consumi omnino, dicente Petro: *Elementa calore solventur, et terra et omnia, quæ in ea sunt opera, exurentur.* Ex quibus omnibus corda hominum nimio terrore concutientur, et homines attoniti quasi fugere volentes, et propter tenebras horrendas se mutuo videre non valentes, discurrendo se invicem prement, et impingendo compriment, ut fiat pressura gentium, et ruat unus super alium ex concursu multorum timentium ab aquis absorberi, et ab igne et tempestatibus consumi, et secundum hoc proprie dicitur pressura, quasi premens suram. Maxime autem hujus pressuræ causa erit sonitus maris et fluctuum, quia mare inusitato modo terribiliter fremet, et littus maris vehementius agitabitur tempestate.

7 TURBATIO CREATURÆ RATIONABILIS. — Tertio, describitur turbatio in creatura rationabili, id est in homine, cum subditur: *Arescentibus*, id est deficientibus, *hominibus*, a vigore suæ corporalis virtutis et colore; in diebus enim illis efficientur homines aridi et pallescentes et stupidi et velut amentes, et contabescent in seipsis, ita ut alter alterum non alloquatur, vel audiat seu attendat, *præ timore*, scilicet malorum præsentium, *et exspectatione* malorum adhuc restantium, *quæ*, inquam, timor et exspectatio *supervenient universo orbi*. Quasi diceret: Nec natio, nec provincia excludetur ab his angustiis. De his autem sic dicit Isaias: *Eritque repente, et confestim visitabitur a Domino exercituum in tonitruo, et commotione terræ, et voce magna turbinis et tempestatis et flammæ ignis devorantis.* Et sic impletur quod dicit David de impio: *Quæsivi et non est inventus locus ejus.* Quasi diceret: Quæsivi impio locum in mundo, et non inveni. Nam, judicio imminente, cœlum tonitruis et fulguribus repellet impium, aer depellet per turbinem, mare per tempestatem, terra eum excutiet per commotionem; ut, in toto mundo locum non inveniens sepeliatur in flamma ignis devorantis in inferno.

8 TURBATIO CREATURÆ INTELLECTUALIS. — Quarto ponitur turba io in creatura intellectuali cum infertur: *Nam Virtutes cœlorum*, id est angelicæ Potestates, *movebuntur.* Ille autem motus erit multipliciter: quia movebuntur quodam motu admirationis videntes inusitatos effectus ac-

cidere præter ordinem naturalem; item, movebuntur ex divina voluntate ad faciendum miraculosas transmutationes in elementis, ad incutiendum hominibus terrorem Judicis venientis; item, movebuntur ad peccatorum vindictam et separationem expetendo ab eis ultionem, quia *separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis*; item, possunt dici moveri ex magno timore, videbunt enim totum orbem judicari, et Luciferum qui eorum princeps fuit. Unde dicit *Chrysostomus*, quod valde decenter commovebuntur et concutientur videntes tantam transmutationem fieri, et conservos suos puniri, et orbem terrarum terribili assistentem judicio. Est autem in Angelis timor cujusdam reverentiæ et admirationis respectu Dei, quia scilicet admirantur Dei, majestatem eis incomprehensibilem, et ad modum trementium se habebunt, de tali timore dicitur in Job: *Columnæ cœli contremiscunt et pavent ad nutum ejus*, vel, secundum aliquos, *in adventu ejus*. Quid ergo facient virgulta deserti, ubi timore concutitur cedrus Libani paradisi? Unde non est mirum, si homines, qui in natura et sensu sunt terrestres arescent cum etiam angelicæ Potestates, quæ de se securæ sunt, movebuntur. — Moraliter, cœlorum nomine possunt intelligi animæ sanctæ, in quibus Deus per gratiam concipi dignatur et habitare, de quibus dicitur: *Cœlum mihi sedes est*, anima enim justi sedes est sapientiæ. Hujus cœli virtutes sunt animæ vires. Sicut autem in adventu in judicium Virtutes cœlorum corporalium movebuntur; sic in adventu Verbi æterni in mentem omnes virtutes et potentiæ animæ movebuntur ad operationes superexcedentes; superiorque et inferior portio rationis movebuntur de exercitio bonæ operationis, ad studium orationis et contemplationis.

9 Quindecim judicii futuri signa. — Judicium ergo divinum præcedent signa et mirabilia, iram Dei in peccatores designantia, et ad ostendendam Dei paratam contra eos vindictam. Et sicut, offenso domino, turbatur ejus familia contra offendentes: sic creatura Dei turbatur contra peccatores. Et, secundum *Bedam*, quomodo impulsæ ad casum arbores fragoris motusque sui præmittere solent indicia; sic, termino mundi appropinquante, quasi paventia nutant et gemunt elementa, et omnis creatura. Et, ut dicit *Chrysostomus*, sicut homo, cum moritur, patitur phantasias et turbationes maximas, qui est microcosmus, sive minor mundus; sic macrocosmus, sive major mundus, deficiens totus conturbabitur. Modum enim deficiendi in majori, mundo, ex minori oportet accipere. Nota hic Dominum breviter quædam tetigisse signa diem judicii præcedentia. Dicitur autem in scholastica historia quia *Hieronymus*, in annalibus libris Hebræorum invenit signa quindecim dierum ante diem judicii; sed utrum dies illi continui futuri sint, an vero interpolati, non expressit hoc autem multam habet dubietatem. Prima die eriget se mare quadraginta cubitis super altitudinem montium, stans in loco suo quasi murus; secunda, in tantum descendet ut vix videri possit; tertia, marinæ belluæ, scilicet balenæ et hujusmodi apparentes super mare dabunt rugitus usque ad cœlum; quarta, ardebit mare et aquæ omnes; quinta, herbæ et arbores dabunt rorem sanguineum; sexta, omnia ruent ædificia; septima, petræ ad invicem collidentur; octava, fiet generalis terræ motus; nona, æquabitur terra; decima, exibunt homines de cavernis, atque exibunt velut amentes, nec mutuo poterunt loqui; undecima, surgent ossa mortuorum, et stabunt super sepulchra sua; duodecima, cadent stellæ de cœlo secundum quosdam solummodo quoad apparentiam; tertiadecima, morientur homines viventes ut cum mortuis resurgant; quartadecima, ardebit cœlum et terra, id est superficies aeris et terræ: quintadecima, fiet cœlum novum et terra nova, et omnes homines resurgent. O cor nequam, si ad hæc audita non molliris, nec ad pœnitentiam provocaris, durius es lapi-

dibus, durius adamante! Hæc enim signa terribia quæ præcedunt, terribilius judicium quod sequitur ostendunt. Unde *Chrysostomus* : « Terribile est illud judicium, et inevitabilis est pœna, et intolerabile illud tormentum. Si autem vis neque hic dare vindictam, decerne de te ipso, et expete a teipso noxas. Audi Paulum dicentem : *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*; si hoc feceris, viam prævenies, et ad coronam devenies. » Et, ut ait *Bernardus* : « Qualiter expetemus vindictam a nobismetipsis? Luge, ingemisce amare, humilia teipsum, vitupera te, rememora peccatorum, secundum speciem. Qui enim facit hoc, ita compungetur, ut neque vita dignum seipsum esse æstimet; qui autem hoc æstimat, cera omni mollior erit. Neque igitur parva hæc æstimes esse, sed congrega omnia, et sic, ut in libros scribe. Si enim tu scripseris, Deus delebit; sicut si tu non, cripseris, Deus et inscribet et vindictam expetet. Multum igitur melius est a nobis inscribi et divinitus deleri, quam e contrario nobis oblivione tradentibus, Deum ea ante oculos nostros offerre, secundum diem illam. Ut igitur hoc non fiat, omnia cum diligentia recogitemus, et inveniemus multis nosmetipsos obnoxios. Qualiter igitur est salvari, ais ? Contraria his formata ponentes. Attendamus igitur et per omnia vulnera expurgemus. Ita enim poterimus et ignoscentia delictorum potiri, et promissis perfrui bonis : » hæc *Bernardus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, da mihi imitari signa in sole, luna et stellis, hoc est bonorum operum exempla in te Sole justitiæ et matre Virgine, et in omnibus Sanctis tuis, ut fiat in terra carnalitatis meæ pressura gentium, id est motuum incircumcisorum præ confusione sonitus confessionis et maris contritionis, et fluctuantium afflictionum, arescentibus in me humanis concupiscentiis, præ timore gehennæ et exspectatione gloriæ quæ supervenient universo orbi, quando unicuique secundum opera sua dabis; virtutes etiam cœlorum, scilicet potentiæ animæ moveantur de virtute in virtutem, ut paratus inveniar in adventu tuo. Amen.

CAPUT XLIII

DE ADVENTU CHRISTI JUDICIS.

Matthæi cap. XXIV et Lucæ cap. XXI.

1 Apparitio crucis, ut signum Filii hominis. — *Et tunc*, scilicet post prædicta signa per Dominum tacta, *parebit* hora qua non putatur, hora enim judicii ignoratur, *signum Filii hominis*, scilicet signum crucis, *in cœlo*, hoc est in aere, qui aliquando in Scriptura cœlum vocatur; ut passus in humilitate ignominiam crucis, ostendat in sua veniens majestate salutarem fructum et dignitatem ejusdem gloriosæ crucis. Filium hominis, non Filium Dei se hic appellat, quia non in forma Dei, sed hominis judicabit. Secundum *Chrysostomum*, crux apparebit sole luculentior existens, ut non sit necessitas accusationis cum viderint crucem, sed per se, sine excusatione condemnabile eorum efficiatur peccatum,

quemadmodum, si quis lapide vulneratus, ipsum ostendit lapidem, vel sua vestimenta sanguine madefacta. Et, secundum eumdem *Chrysostomum*, non erit crux lignum, in quo scilicet passus est Dominus, sed lux in modum crucis splendidior sole. Per hoc autem signum crucis intelligi possunt etiam alia signa, et instrumenta suæ Passionis et mortis : ut clavi, lancea, corona, et flagella, quæ quasi vexilla triumphi, et victoriæ in judicium deferentur. Quidam autem per hoc intelligunt cicatrices seu stigmata, et testimonium Passionis in carne Jesu, ut impleatur illud Zachariæ : *Aspicient ad me, quem confixerunt*. Unde ait *Hieronymus* : « Signum autem hic crucis intelligamus, ut Judæi videant in quem compunxerunt, aut vexillum fidei victoris triumphantis. » Secundum *Chrysostomum*, quemadmodum ingrediente rege in civitatem, exercitus antecedit, qui signa atque vexilla regalia præferens annuntiat regis introitum ; ita, Domino descendente de cœlis, præcedet exercitus Angelorum et Archangelorum, qui signum crucis ut triumphale vexillum præferentes, divinum Regis cœlestis ingressum terris trementibus nuntiabunt.

2 PLANCTUS OMNIUM TERRÆ HABITANTIUM. — *Et tunc*, scilicet cum triumphale vexillum videbunt, *plangent* se, inconsolabiliter, sero accusante conscientia, *omnes tribus terræ*, id est aliqui de omnibus tribubus, et nationibus, scilicet mali ; vel, omnes tribus terræ, id est omnes homines terreni et iniqui, qui terrena dilexerunt, et ea Deo præposuerunt, qui cum terrena voluntate decesserunt, quibus gravis et tristabilis erit adventus Judicis, quem terrenis postposuerunt. Et recte dicit : tribus terræ, quia, ut dicit *Hieronymus*, hi plangent qui municipatum non habent in cœlis, sed scripti sunt in terra. Ubi *Chrysostomus* : « Plangent Judæi, plangent et Gentiles, plangent et Christiani, qui magis dilexerunt mundum quam Christum ; non sic autem tribus Domini : *Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini, ad confitendum nomini Domini*. Plangent autem semetipsos, id est suam culpam quam commiserunt, suam stultitiam quam non correxerunt, suam gloriam quam amiserunt, suam pœnam quam incurrerunt. » Et iterum : « Tunc plangent se omnes tribus terræ, qui magis dilexerunt mundum quam Christum, cum audierint eum hæc verba dicentem ad se : Ego propter vos homo factus sum, propter vos alligatus, et delusus, et consputus, et cæsus, et crucifixus ; ubi est ergo tantarum injuriarum mearum fructus ? Ecce præmium sanguinis mei quod dedi pro redemptione animarum vestrarum ; ubi est servitus vestra, quam mihi pro pretio sanguinis mei debetis ? Ego super gloriam meam vos habui, apparens homo cum essem Deus ; et viliorem me omnibus rebus vestris fecistis. Nam omnem rem vilissimam terræ amplius dilexistis, quam justitiam meam, et fidem. Tunc igitur plangent se omnes tribus terræ, quia nec resistendi virtus est contra eum, nec fugiendi facultas ante faciem ipsius, nec pœnitendi locus ; ex angustia enim omnium rerum nihil eis remanet præter planctus et luctus. Merito plangent se : quia tunc neque pecuniæ divitibus prosunt ad eleemosynam faciendam, neque parentes justi pro filiis intercedent, neque ipsi Angeli pro hominibus, sicut solebant facere verbum, quia non recipit natura judicii misericordiam, sicut nec tempus misericordiæ judicium, dicente Propheta : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* ; misericordiam in priori adventu, judicium in secundo : » hæc *Chrysostomus*. Unde et *Ephrem* : « Utique, si sciremus quid immineat vel incumbat, o fratres, jugiter plangeremus, Deum obsecrantes ! Si enim omnis creatura contremiscet, et ipsa agmina sanctorum Angelorum expavescent in adventu ejus, quid tunc dicemus, si hoc parvo tempore negligenter ac segniter vixerimus ? Ipse namque pro hac negligentia nostra rationem a nobis exquiret, ac dicet : Propter vos incarnatus sum, et in terris palam conversatus ; propter vos flagellatus sum, consputus, pal-

mis cæsus, crucifixus, aceto potatus; paradisum vobis aperui, regnum cœlorum vobis obtuli, Spiritum Sanctum vobis misi, quid ultra debui vobis facere, et non feci? Humilem voluntatem vestram solummodo quæsivi, non vos coegi, ne causa vestræ salutis esset occasio necessitatis. Dicite mihi, peccatores secundum carnem passibiles ac mortales, quid passi estis propter me Dominatorem vestrum, qui etiam impassibilis pro vobis passus sum? » hæc *Ephrem*.

3 Cur in secundo adventu Christus se videndum cunctis præbebit, cum cicatricibus vulnerum? — *Et* tunc *videbunt* oculis corporalibus, tam fideles quam infideles, *Filium hominis* in specie humana, quia in forma hominis judicabit. Unde *Augustinus* : « Visio quippe Filii hominis exhibetur et malis, nam visio formæ Dei non nisi mundis corde : *Quoniam ipsi Deum videbunt*. Et quia Filium Dei secundum, id quod in forma Dei æqualis est Patri, videre iniqui non possunt, oportet autem ut Judicem vivorum et mortuorum coram quo judicabuntur, et justi videant et iniqui, ideo oportebat ut Filius hominis acciperet judiciariam potestatem. » Unde et *Beda* : « Ea forma electis apparebit, qua in monte apparuit; reprobis vero in ea forma, qua in cruce pependit. » Videbunt, inquam, eum *venientem* ad judicium *in nubibus cœli*, sicut in nube ascendit, scilicet in aere super locum unde ascendit. Unde *Chrysostomus* : « Quia enim sicut in Actibus Apostolorum legitur : *Nubes suscepit illum ab oculis eorum*; et illic dictum est ab Angelis : *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum*, merito credendus est, non solum in eodem corpore quo ascendit, verum etiam in nube venturus. » Unde et *Origenes* : « Sicut eo ascendente in cœlum, nubes eum tulit, propter honorem ascendentis; ita eum deferet ad judicium. » Veniet autem *cum potestate magna* : primus enim Christi adventus fuit in ostensionem infirmitatis, secundus erit in ostensionem potestatis, *et majestate*, id est gloria ; tunc enim totus Christus cum membris gloriosus apparebit, indutus lumine sicut vestimento. Veniet, inquit Evangelista, *cum virtute multa* et potestate contra inimicos, ad puniendum et deprimendum eos, ac gloria magna et majestate, propter bonos ad præmiandum et glorificandum ipsos : ut qui in primo adventu venit, ut servus, cum infirmitate et humilitate, in secundo veniat, ut Dominus, cum fortitudine et regia *Majestate*. Unde ait *Cyrillus* : « Primam enim apparitionem prosecutus est cum infirmitate et humilitate nostra, sed secundam celebrabit cum propria potestate et majestate. » Unde et *Gregorius* : « In potestate et majestate visuri sunt quem in humilitate positum audire noluerunt, ut virtutem ejus tanto tunc districtius sentiant, quanto nunc cervicem cordis ad ejus patientiam non inclinant. » Unde et *Chrysostomus* : « Si quando, rex terrenus processum aliquem, aut expeditionem mandat in populo, dignitates omnes moventur, et exercitus excitatur, totaque civitas fervet; quanto magis Rege cœlesti exsurgente judicare vivos et mortuos, Virtutes angelicæ commovebuntur, terribiles ministri, terribiliorem Dominum præcedentes! Ante ipsum pro candelabris fulgura viva præcedent, et pro tubis horrenda tonitrua vociferabunt. Qualis rex, talis est præparatio regis : » hæc *Chrysostomus*. Filius ergo hominis in judicio apparebit, quia dignum est ut ipse Filius Dei, qui in forma hominis injuste judicatus est, in eadem forma hominis in judicio juste judicet. Et in carne ejus videbuntur cicatrices vulnerum, ut videant reprobi in quem pupugerunt. Unde ait idem *Chrysostomus* : « Vulnera servavit, ut in die judicii proficiant ad testimonium Passionis contra Judæos, et omnes qui denegantes Filium Dei crucifixum in corpore judaizant. » Et tunc vivi rapientur aliqui, cum Dominus veniet, ut dicatur judicare vivos et mortuos, ac Judex vivorum et mortuorum. Et, secundum *Augustinum*, illic tunc morientur, et in momento resuscitabuntur, quia *statutum est omnibus homini-*

bus semel mori; et, secundum Apostolum :*Omnes quidem resurgemus*,et ergo omnes moriemur. Ut enim ait *Augustinus*, erit resurrectio mortuorum omnium hominum, sed una et insimul; non prima justorum, et peccatorum secunda.

4 SONUS TUBÆ CORPORUMQUE RESURRECTIO. — *Et* tunc, scilicet ante resurrectionem communem, *mittet Angelos suos cum tuba et voce magna*, id est tam aperta et tam intensa voce, quæ a mortuis audiatur ubique. Unde *Remigius* : « Hæc autem tuba non revera corporea est intelligenda, sed angelica vox, quæ adeo magna erit, ut ad clamorem illius omnes mortui de terræ pulvere consurgant; vel, tuba est potestas suscitandi mortuos, et vox, est vox Christi vocantis mortuos ad judicium, ex cujus virtute suscitabuntur, et ut in judicio sint omnes. » Ubi *Chrysostomus* : » Vere magna vox tubæ terribilis : cui omnia obaudiunt elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, clausuras tenebrarum pertransit, portas æreas conterit, vectes adamantinos confringit, vincula mortis dirumpit, et de profundo abyssi animas liberatas corporibus assignat. Hæc omnia citius consummat in opere, quam sagitta transit in aere, dicente Apostolo : *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba ; canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti.* In illa voce pulvis jam dissolutus corporum mortuorum, in nova membra constringitur; in illa voce quasi una persona obnoxia totum mare discutitur, ut si quid apud se retinet de humanis ossibus, sine contradictione restituat : » hæc *Chrysostomus. Et congregabunt* Angeli ad judicium *electos ejus* specialiter *a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum*, id est ab universis regionibus et locis, in quibus putrefactione resoluti sunt, ut triticum ventilatum de area totius terræ et orbis, qui specialiter adducentur ministerio Angelorum, quia erunt concives eorum. Et non solum, congregabunt electos quorum corpora levia; sed etiam reprobos, qui corpora ponderosa habebunt, et ideo sicut Angelus Habacuc, sic eos portabunt. Sed electos congregabunt ad gloriam, reprobos ad damnationem ; et electi occurrent Domino ad judicium venienti, reprobi vero venient, sed in magna distantia, ut ait *Remigius*. Et, secundum *Chrysostomum*, primo resurgent, et resuscitatos Angeli congregabunt, congregatos autem rapient nubes, et hæc omnia in instanti momento fient. In valle autem Josaphat, scilicet in aere judicabitur omnis homo, quia judicii discrimen erit in aere, dicente Apostolo : *Simul rapiemur cum illis in nubibus, obviam Christo in aera*. De hac die sic dicit *Chrysostomus* : « Heu mihi de illa die terribili, cum deceret nos lætari, cum hæc audiamus, sed dolemus et tristes sumus ! Qualibus ergo videmus Christum oculis? Si enim patrem aliquis, non utique ferret videre, conscius sibiipsi peccati in ipsum patrem infinite mansuetum, qualiter respiciemus eum tunc? Qualiter eum sustinebimus? Etenim repræsentabuntur tribunali Christi, et omnium diligens erit investigatio : » hæc *Chrysostomus*. In omni autem tentatione multum valet illam diem judicii et resurrectionis, et nobis et aliis ad mentem revocare, quia hoc præcipue consuevit animam curare. Unde ait idem *Chrysostomus* : « Si avari esse voluerimus, et si rapere, et si inconveniens quid agere, confestim diem illam in mentem mittamus, et judicium subscribamus, et omni freno vehementius detinebit inconvenientem impetum hæc cogitatio. Et dicamus ad nosipsos : Resurrectio est, et judicium nos exspectat terribile. Et si viderimus aliquem elatum, et in præsentibus bonis inflammatum, idem semper dicamus, ostendentes quoniam omnia hic manent. Et si alium dolentem viderimus et contristantem, et ad illum idem loquamur, ostendentes quoniam finem habebunt tristia. Et si pigritantem et dissolutum, rursus idem superincantemus, ostendentes ei quoniam necesse est pigritiæ noxas dare. Sufficiens est hoc verbum omni ferramento, magis nostram curare animam. Etenim est resurrectio, pru-

ostiis non longe, neque procul; adhuc autem parum quantulumcumque, qui venit, *veniet et non tardabit*; et: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*, et bonos et malos: hos quidem, ut ante omnes verecundentur; eos vero, ut ante omnes clariores efficiantur. Hæc igitur, secundum unamquamque subscribamus nobis diem; si hæc semper revolvimus, nulla sollicitudo præsentium nos mordere poterit, rerum etenim quæ videntur temporanea; ea vero quæ non videntur, non temporanea sunt. Continue igitur et ad ipsos loquamur, et ad invicem: resurrectio est et judicium; et noxæ eorum quæ gesta sunt. Et ne irritemus Deum, sed audiamus eum dicentem: *Timete eum, qui potest et corpus et animam perdere in gehennam*, ut propter timorem facti molliores, et a perditione hac eruti digni efficiamur regno cœlorum: » hæc *Chrysostomus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui ad judicandum cum potestate et majestate magna es venturus, Angelis signum gloriosæ crucis tamquam vexillum triumphale præferentibus, tu animam meam hujus sanctissimæ crucis impressione consigna, tu me hujus virtute purifica: et per hanc me totum sic vindica tibi, ut nihil adversarii valeant in me reperire; quatenus te ad judicium veniente, ego hoc venerabili inveniar signatus stigmate, ut tibi crucifixo configuratus in pœna, consors fieri merear et tui resurgentis in gloria. Amen.

CAPUT XLIV

DE ELECTORUM CONSOLATIONE EX APPROPINQUANTE REDEMPTIONE ET DE SIMILITUDINE FICULNEÆ

Matthæi cap. XXIV, Marci cap. XIII et Lucæ cap. XXI.

1 LÆTITIA JUSTORUM MŒRORQUE REPROBORUM IN ADVENTU JUDICIS. — Deinde, post præmissa contra reprobos dicta, mox ad electorum consolationem Dominus convertit verba, quia dies judicii licet, in reprobis sit valde terribilis, tamen electis debet esse multum consolabilis; tunc enim ad gloriam transferentur optatam. Unde hortatur eos, dicens: *His autem* scilicet signis prædictis, *fieri incipientibus* et apparentibus, scilicet cum plagæ mundi crescent, cum terror judicii commotis virtutibus ostendetur, cum peccatores tabescent, præ timore et exspectatione malorum; vos electi *respicite* per fidem, id est diligenter attendite, et mentis oculos aperite credendo et nullatenus dubitando, *et levate* per spem *capita vestra*, id est mentes vestras a terrenis ad cœlestia exspectatione gaudiosa erigite, et corda vestra exhilarate, ac gaudete cum lætitia qui in tristitia fuistis; *quoniam* post tribulationem horum dierum, post pressuras et terrores malorum *appropinquat redemptio vestra* plena et perfecta, quam exspectatis, quia dum finitur mundus, cujus amici non estis, prope est redemptio quam quæsivistis; *redemptio*, inquam, *vestra*, id est Sanctorum, sed tunc e contrario appropiuquabit perditio malorum. Hæc autem redemptio erit plena ab omnibus malis liberatio, tunc enim ab omnibus servitutibus, scilicet: 1

peccatorum alligatione, fomitis infectione, sensuum illectione, passionum infestatione, dæmonum tentatione, malorum hominum persecutione, necessariorum sollicitudine, et ab omnibus hujusmodi erimus liberi, quando ponemur *in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Hæc enim redemptio non est aliud, nisi perfecta libertas animæ et corporis, ut tunc justi dicere possint Christo illud Apocalypsis : *Occisus es, et redemisti nos Deo* nostro *in sanguine tuo; et fecisti nos Deo nostro regnum.* Hoc quippe ad consolationem electorum cedit, quod videant Christum venire, ut eis præmia largiatur, quæ suis promisit. Sed væ vobis ambitiosis, qui primas cathedras diligitis, scilicet qui ad dignitates diligitis accedere, vel in ipsis dignitatibus diligitis perseverare, quia tunc non erit vobis pars neque sors in sermone isto, nec cum electis consolatio! Nam Christum judicem venientem non libenter, nec gaudenter videbitis, qui nunc præesse et judices esse diligitis. Quod bene *Gregorius* in Moralibus attestatur, dicens : « Nam cui esse nunc judicem libet, huic videre tunc Judicem non libet. » Non dicit : Qui judex est; sed cui esse judicem libet, animum videlicet, non gradum, redarguens, et ad voluntatem, non ad factum, vituperationem referens. Quis autem cogitare vel dicere valeat, quæ tunc lætitia bonis, et quæ tunc tristitia malis erit? Unde idem *Gregorius* : « Qui Deum diligunt, ex mundi fine gaudere atque hilarescere jubentur, quia videlicet eum, quem amant, mox inveniunt, dum transit is quem non amaverunt. Absit enim, ut fidelis quisque, qui Deum videre desiderat, de mundi percussionibus lugeat, quem finiri eisdem percussionibus suis non ignorat! Scriptum namque est : *Quicumque voluerit amicus esse hujus seculi, inimicus Dei constituetur.* Qui ergo, appropinquante mundi fine, non gaudet, amicum se illius esse testatur, ac per hoc inimicus Dei esse convincitur. Ex mundi enim destructione lugere eorum est, qui radicem cordis in ejus amore plantaverunt, qui sequentem vitam non quærunt : » hæc *Gregorius.* Dicit autem hæc Dominus ad discipulos, non tamquam ad eos qui durare deberent in vita ista usque ad mundi terminum ; sed quasi uno corpore existente ipsis et nobis et posteris, usque ad consummationem mundi, credituris in Christum.

2 ÆSTATIS ET FICULNEÆ SIMILITUDO. — Quamvis ergo diem illam nemo sciat, proximam tamen esse dubitare non poterit, postquam tanta et talia signa fieri incipient. Cujus rei gratia subdit parabolam, id est similitudinem ad propositum congruam, de ficulnea et de aliis arboribus. *Videte ficulneam et omnes arbores. Cum producunt jam ex se fructum , scitis quoniam prope est æstas. Ita et vos, cum videritis hæc fieri scitote quoniam prope est regnum Dei.* Sicut enim ex pullulatione et fructu foliorum et florum in arbore prope esse æstas agnoscitur; ita ex ruina mundi quæ fructus ejus est, et signis prædictis prope esse cognoscitur adventus Judicis, et regnum Dei : quæ æstas erit justis ex hieme, et peccatoribus hiems ex æstate. Secundum *Chrysostomum* , plus de ficu quam de alia arbore similitudinem ponit, quia pene post omnes arbores vernat, et sic magis e vicino æstatem nuntiat; vel, similitudinem a ficu sumit, quia illa si mala est, mala est valde, et si bona est, bona est valde, sicut judicium valde malum est malis, et valde bonum est justis; vel, quia dulcedo ficus dulcedinem futurorum significat gaudiorum. Hac similitudine, secundum *Gregorium,* despiciendus mundus ostenditur, cujus fructus ruina est, quia ad hoc crescit ut cadat, ad hoc germinat, ut quæcumque germinaverit cladibus consumat. Moraliter, homo arboribus in hoc assimilatur, quia sicut arbores post hiemem fructificant, et æstate fructus colligitur ; sic homo, post tribulationem fructum habet, qui per tolerantiam passionum acquiritur, et hic fructus in æstate claritatis æternæ colligitur. Et convenienter regnum Dei comparatur æstati : primo, quia æstas est tempus lucidum, sic regnum cœlorum ; secun-

[illegible]

... perpetrata a ... Adventu ... æternum Judicem tanto ... quandoque videbitis, quanto ... districtionem illius timendo prævenitis : » hæc Gregorius.

4 [illegible] — Et addit quamdam protestationem ad assertionem præmissorum, dicens : *Cœlum*, scilicet non æthereum sidereum, sed aereum, a quo et aves cœli et nubila cœli *cognominantur*, hoc est inania hæc et nubilosa ventosi aeris spatia, *et terra transibunt*, id est suo modo mutabuntur, scilicet quoad mutationem qualitatis, et ejus quam

[illegible]

... et transmutabilis in elementis, quia ... ad ... impendium numerum electorum sunt ordinata : et ideo isto completo in judicio, cessabunt, sicut ea quæ sunt ad finem, habito fine, cessare debent. — Moraliter circa hoc nota, quod quia mundus iste quantum ad omne sui appetibile transit, secundum enim Joannem, *mundus transit et concupiscentia ejus* ; hinc est quod quicumque his mundanis adhæret, ille est in continuo transitu cum ipso mundo. Et præcipue triplicem facit transitum miserabilem : primo, a culpa in culpam ; secundo, de culpa in pœnam ; tertio, de pœna in pœnam.

m fugientes mundum et ea undo sunt, faciunt triplicem commendabilem : primo ranseunt a culpa ad pœni- secundo, a pœnitentia ad n; tertio, a sapientia ad ernam. Qui hunc triplicem itum, ille est verus Hebræus, lebrat verum Pascha vel od est *transitus Domini.*

ADVENTUS VERBI ÆTERNI IN - Moraliter etiam notandum sicut transitus cœli et terræ ponitur in argumentum Christi ad judicium, sic cœli et terræ spiritualis est um adventus Verbi æterni 1. Unde sciendum, quod per terram, quæ sunt extrema pora, possunt intelligi anima et corpus, quæ sunt duo scilicet : spiritualis et cor- tura. Igitur, adveniente Ver- in mentem, cœlum et terra t, id est ultra ibunt, quia tra vel supra communem statum elevabuntur et in- ır; hoc enim efficit ejus n nobis, quod innovabimur, dum animam, quam secun- us, et exuentes veterem ho- m actibus suis *induamus ninem, qui secundum Deum* . Renovabitur autem homo animam per reformationem deformatæ vetustate defe- abilium, ad quam reforma- naginis deformatæ anima riplici transitu : nam primo ab oblivione memoriæ, ad am Verbi æterni præsen- ugem memoriæ recordatio- ndo transibit ab obfusca- ligentiæ, ad contemplandam n per luculentam intelligen- utationem; tertio transibit ignaviæ, ad degustandam dulcedinis affluentiam per amoris inhæsionem. Secun- us etiam homo innovabitur nsitu : primo corpus trans- alium oblectatione ad sen- debitam suppressionem, ut orpus quantum ad appeti- lem et sensitivum, sit subjectum imperio rationis; secundo transibit a sensibilium divagatione, ad similium corporalium et specierum imaginabilium quietationem; tertio transibit a passionum molestatione, ad pœnalitatum et afflictionum æquanimem tolerationem. Igitur, quando sic cœlum et terra in nobis transierunt, certissimum argumentum est quod Verbum æternum nullatenus nos transivit, sed amorose in mentem nostram declinavit, juxta illud : *Ad eum veniemus*, etc. In quocumque enim homine cœlum et terra, id est anima et corpus transierint per gratiæ innovationem, illum Verbum æter num non transibit, imo ad deum enit, per mentalem ejus conceptionem.

6 DIES JUDICII TAMQUAM LAQUEUS SUPERVENIET. — Et quia ad præcavendum tanta mala supra tacta necessaria est digna præparatio, ideo generalem subdit admonitionem, dicens : *Attendite autem vobis*, id est diligenter cavete, *ne forte graventur corda vestra*, id est deorsum premantur ad vitia, ita quod levare non possitis capita vestra, *in crapula et ebrietate et curis hujus vitæ*, id est ex superfluitate cibi et potus, et superflua terrenorum sollicitudine, crapula enim sensum ligat, cura secularis sensum distrahit et suffocat; *et superveniat in vos repentina dies illa*, scilicet judicii, et repentinus interitus vos auferat nescientes; et ideo hæc vitanda sunt et cavenda. *Tamquam laqueus enim*, scilicet inspiratus, qui evadi nullo modo poterit, et perpetuo retinens quod semel ceperit, *superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ*, id est qui delectabiliter et per amorem quiescunt in terrenis, et hujusmodi illecebris. Peccator enim primo capitur laqueo culpæ, sed tandem capietur laqueo pœnæ. Sancti quidem transeunt super terram, tamquam hospites et peregrini; sed mali sedent et quiescunt in terra, tamquam cives et domestici. Unde *Theophilus* : « Capiet enim dies illa sedentes in superficie, quasi impræmeditatos et inertes. Quotquot vero sunt solertes et agiles ad bonum, non sedentes et otiantes in terrenis, sed

surgentes ab eis, sibi dicentes : Surge, vade, quoniam non est hic tibi requies, talibus non est illa dies ut laqueus et discrimen, sed ut dies festivus. » Unde et *Beda* : « O stultam præsumptionem cordis humani, quæ lamentabilem finem cupiditatis, ebrietatis, et crapulæ, nec ipso judice contestante, prævideat, sed edictum Regis æterni in more servi nequam, postquam didicerit, spernat! » Et certe, si quis nobis peritus ac sapiens medicus præciperet : Attendite, inquiens, vobis, ne quis, verbi gratia de illius herbæ succo avidius sumat, quod si fecerit, repentinus ei superveniet interitus, quanto quisque studio præmonentis medici mandata servaret, ne videlicet vetitum gustando periret; ac nunc animarum simul et corporum Salvator, ac Dominus jubet ebrietatis herbam et crapulæ vitandam, necnon et curarum secularium sollicitudines, ut mortiferos succos esse cavendos, et quanti tamen nostrum his non solum sauciari, sed etiam consumi non timent? Nulla credo alia causa, nisi quia fidem quam medici præbent dictis, Deo præbere comtemnunt. Si etenim credidissent, credendo utique timerent, timendo autem imminens periculum caverent. Unde ait *Chrysostomus* : « Si dixero tibi : Abstine te a deliciis, et jejuna; non facis, quia non credis. Si ægrotanti tibi medicus dixerit : Abstine te ab hoc ; obaudis, quia credis te salvandum si servaveris. Et frequenter illud amas quod manducare vetaris, et vincis desiderium ventris, propter desiderium sanitatis; multo magis jejunare poteras, si crederes jucunditatem illam futuram : » hæc *Chrysostomus*. Major insania non potest esse, quam post tot et tanta merita Christi, mortem animæ non formidare. Quia, ut ait idem *Chrysostomus*, quanto pretiosior est anima quam corpus, tanto miserabilior perditio animarum quam corporum.

7 IDEO SEMPER EST VIGILANDUM. — Deinde monet omnes, dicens : *Vigilate itaque omni tempore*, non vigilia sensus, quia nullus posset hoc sustinere, sed vigilia intellectus, de qua in Canticis dicitur : *Ego dormio, et cor meum vigilat;* et omni tempore *orantes*, non quod oratio sit semper continua, quia oportet eam sæpe interrumpi somno, et aliis necessitatibus corporis, sed continuitas intelligitur quod non interveniat mortale peccatum impediens ipsius effectum et opus bonum. et ideo subditur : *Ut digni habeamini fugere*, id est cavere salubriter, *ista omnia, quæ futura sunt, et stare securi* in judicio *ante Filium hominis*, sedentis scilicet ad judicandum, id est coram Christo in forma humana judicante, quia illi qui tunc invenientur sine peccato mortali, erunt salvi. Hæc est autem summa beatitudinis, ut dicit *Glossa*, scilicet in præsentia Judicis securum consistere. Mali autem cadent ante eum, ita quod amplius non resurgent, quia pœnam quamlibet mallent sustinere, quam ipsum videre. Ubi *Augustinus* : « Hæc intelligitur illa fuga, quæ non debet fieri in hieme, vel in sabbato. Ad hiemem pertinent curæ hujus vitæ, quæ tristes sunt velut hiems; ad sabbatum vero crapula et ebrietas, quæ carnali lætitia luxuriaque cor submergunt atque obruunt, quod malum sabbati nomine signatur, quia illo die Judæi deliciis affluunt, dum spirituale sabbatum ignorant. » Et secundum *Hieronymum*, omni tempore opus est vigilia mentis ante mortem corporis, ut in præsentia summi Judicis consistamus. Hoc enim est nostra beatitudo. Ubi *Beda*: « Qui ante Filium hominis stare, eique, juxta Apocalypsim Joannis, die noctuque in templo ejus servire desiderat, nec ab ejus aspectibus in ignem æternum maledictus abjici; non solum ab illecebris secularibus castigari, sed et orare et vigilare, et hoc non quibusdam diebus, sed omni tempore facere debet. Juxta quod Psalmista ait : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*; sic namque merebitur habitare in domo Domini, et in seculum seculi laudare illum : » hæc *Beda*. Cur autem monuit ut vigilemus et solliciti simus, declarat protinus, cum subdit : *Nescitis enim quando tempus sit*, scilicet judicii, sive mortis propriæ.

8 QUO SENSU CHRISTUS DIXIT SE NESCI-

RE DIEM JUDICII. — Et, quia dixerat Dominus adventum, et regnum suum prope esse, ne discipuli æstimarent quod ex signis prædictis posset dies et hora sciri determinate, subjungit : *De die autem illo vel hora*, scilicet quando ad judicium veniet, *nemo* in Ecclesia, id est nullus hominum *scit* determinate, *neque Angeli cœlorum* sciunt, quia non est de pertinentibus ad beatitudinem, *neque Filius* scit, *nisi solus Pater*. Secundum plures doctores intelligendum est quod homo, vel Angelus, nec sibi, nec aliis scit diem judicii, sed Filius in Patre scit sibi, quamvis aliis nesciat, id est nullum scire faciat. Pater autem solus scire dicitur, quia solus facit Filium scire. Nota quidem est hæc regula loquendi, ut ibi : *Tentat vos Deus ut sciat*, id est scire vos faciat, *utrum diligatis eum ;* et ibi : *Nunc cognovi quod times Deum*, id est nunc feci, ut cognosceres. Ut enim dicitur dies lætus, quia lætos facit, et frigus pigrum, quia pigros reddit; sic dicitur Filius nescire, vel scire nobis quibus missus est, quæ scire vel nescire nos facit; scit itaque in se, et sibi, non nobis. Unde per hoc quod dicitur : *Nisi solus Pater*, a quo fons omnis cognitionis est, non excluditur Filius, vel Spiritus Sanctus qui in eodem fonte habitant, sed magis includuntur, quia una est trium personarum notitia. Sicut ergo principium mundi hujus a solo Deo fuit præcognitum, quia mundus immediate ab ipso factus est; ita et finis mundi soli Deo est cognitus, et homini-Christo, cui a Deo fuit revelatus, quia ad eum pertinet judicare de omnibus.

9 CUR NOBIS VULT HANC DIEM ESSE CELATAM ? — Nobis autem hoc vult esse celatum, quia, secundum *Hieronymum*, non expedit nobis, imo nec expediebat Apostolis scire diem et horam illam judicii, ne pigriores simus, sed semper incerti de temporibus futuris, et de adventu Judicis, sic quotidie vivamus cum timore, et semper vigilemus solliciti, quasi in proximo, et altera die judicandi simus, ac pendulæ exspectationis incerto, semper eum credamus futurum, quem ignoramus quando venturus sit. Signa quidem appropinquationis adventus ejus scire possumus et debemus, sed diem præcisum nescimus. Ubi *Chrysostomus :* « Ecce senectutis signa cognoscimus, diem autem ultimum mundi ignoramus ; sic et labentis seculi signa scimus, finem ejus non agnoscimus. Sicut enim quando videmus hominem senem, scimus quia prope moriturus est, quando autem, nescimus ; sic et cum mundum perturbatum videmus, casurum cognoscimus, diem autem ignoramus. » Ubi et *Augustinus :* « Finis quidem seculorum est ætas sexta mundi, videlicet ab adventu Domini usque in finem seculi. Senectus vero tantum temporis solet tenere, quantum omnes ætates ceteræ. Nam cum anno sexagesimo senectus dicatur incipere, et hominis vita possit usque ad annos centum viginti pervenire, manifestum est solam senectutem tam longam quam omnes ætates priores esse posse ; frustra igitur annos qui remanent huic seculo conaremur diffinire, omnium enim de hac re calculantium digitos et peritiam numerandi resolvit, et quiescere jubet, qui ait : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate :* » hæc *Augustinus*. Non est quippe nostrum nosse tempora ultra quam revelatur, vel traditur per Scripturas, quia hoc est præsumptionis. Sed secundum Scripturas nosse est eruditionis, quamvis ergo revelatum forte fuit alicui tempus adventus Antichristi, non tamen sequitur ut sciat de die judicii. Nescitur enim quanto interstitio post Antichristum futurum sit judicium. Quia licet scriptum sit quod quadraginta dies dabuntur Sanctis ad pœnitendum post Antichristum, nescitur tamen utrum statim post illos dies quadraginta futurum sit judicium. Creditur tamen quod nocte resurrectionis Dominicæ erit generalis resurrectio, scilicet in nocte Paschæ. Ideo, secundum *Isidorum*, in primitiva Ecclesia fideles tota nocte illa vigilabant, quasi Judicem exspectantes. Quo autem anno dies iste venturus sit, penitus ignoramus. Istud vero quod hic ad litteram expo-

nitur de die judicii generalis, moraliter potest intelligi de die judicii particularis, qui est dies mortis cujuslibet hominis; diem enim mortis suæ nullus scit, nisi Deus sibi revelaverit, et ideo est nobis vigilandum de hac die, sicut de illa sollicite cogitandum, quia qualis quisque exierit de hoc mundo, talis præsentabitur etiam in futuro judicio.

ORATIO

Domine Jesu Christe, veni ad me in nubibus pœnitentiæ, et cor meum in pluviam lacrymarum resolve; ejice in potestate vitiorum dæmonia, et majestate in me regna. Fac me, o nostra Redemptio, ad te respicere interioribus oculis, et levare caput mentis; da mihi videre ficulneam, sentire scilicet tuæ caritatis dulcedinem, ut omnium virtutum arbores producant in me fructum bonorum operum; et mihi prope sit æstas regni cœlorum. Præsta mihi cavere omnia vitia, et vigilare in oratione continua, ut merear mala ventura fugere, et in judicio ante te securus stare. Amen.

CAPUT XLV

DE DIE DOMINI JUXTA EXEMPLUM NOE VEL LOTH SUBITO VENTURO, AC DE UNO ASSUMPTO ET ALIO RELICTO.

Matthæi cap. XXIV et Lucæ cap. XVII.

1 SIMILITUDO DE TEMPORIBUS NOE SUMPTA. — Post hæc declarat incertitudinem diei Domini, introducens terrorem insperati diluvii, et hortans ut vigilemus, et nos præparemus bene operando, ne dies Domini inveniat nos imparatos. In hanc autem comparationem temporis judicii, et ipsius diluvii, implicantur duo judicia generalia: unum quod præcessit, scilicet per aquam in diluvio; aliud quod futurum est, scilicet per ignem in generali incendio. Ponitur ergo comparatio, quantum ad incertitudinem utriusque, quoad tempus determinatum, et etiam quoad incredulitatem multorum carnalium. *Sicut* autem *in diebus Noe*, eo fabricante arcam, et prædicante diluvium futurum, *ita erit et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium* homines *comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes*, id est gulæ, et ebrietati, ac luxuriæ dediti, et sine timore lascivientes securi; *et* eis credere nolentibus, ac vanitatibus vacantibus, et nihil timentibus, subito *venit diluvium*, quod submersit *et perdidit omnes*, præter Noe et cum eo in arca existentes; *secundum hæc erit qua die Filius hominis revelabitur*, id est sic et circa diem judicii hominibus vacantibus voluptatibus, et vanitatibus, ac in securitate existentibus, et de nullo timentibus, adventus Christi subito et insperate veniet; et omnes quos reperiet extra arcam, id est extra Ecclesiam, perdet et condemnabit; sed in Ecclesia per fidem et operationem existentes custodiet et salvabit. « Non hic, ut dicit *Beda*, conjugia, vel alimenta damnantur; sed immoderatus licitorum usus arguitur. Neque enim quia hæc agebant, sed quia his se totos dedendo Dei judicia contemnebant, aqua perierunt : » hæc *Beda*. Interitus quidem illorum erat subitaneus, non quia ante minime nuntiatus; sed quia a nullo creditus. Unde *Maxi-*

mus Episcopus : « Noe, etsi tacebat voce, opere loquebatur; si et lingua silebat, fabricatione clamabat. Nam utique, cum operaretur opus novum, et nulli aliquando compertum, admonebat cunctos novis periculis nova tabernacula præparari; loquebatur ergo opere, et dicebat illud evangelicum Domini dictum : *Si mihi non vultis credere, operibus credite:* » hæc *Maximus.* Sed perversi homines arcam in tot annis constructam videntes, sine dolore lætabantur, nihil futurorum prævidentes, et judicia Dei contemnebant, non evigilantes, sed in malitiis dormitantes; et subito a diluvio absorpti sunt et repentinus interitus tulit omnes in magna securitate existentes, et nihil timentes. Sic, Domino fabricante arcam Ecclesiæ, extra quam non est salus, prædicatur adventus Domini ad judicium inopinatus. Multi quoque hoc tempore pœnitentiam agentes, et exempla pœnitentiæ aliis ostendentes, etsi tacent voce, tamen cum Noe loquuntur opere, dicentes : Si nobis non creditis, vel operibus credite. Sed reprobi contemnentes lasciviunt, et in die qua non putant veniet Dominus, et perdet eos. Et cum dicent pax et securitas, quasi securi existentes, et de nullo timentes, repentinus superveniet eis interitus, et non effugient tribulationem imminentem. Ubi ait *Beda* : « Mystice autem, Noe arcam ædificat, cum Dominus Ecclesiam de viris fidelibus, quasi lignis levigatis adunando construit; quam perfecte consummatam ingreditur, cum hanc in die judicii præsentia suæ visionis æternus habitator illustrat. Sed cum arca ædificatur, iniqui luxuriantur; cum vero intratur intereunt, quia qui Sanctis hic certantibus insultant, eis illic coronatis æterna damnatione plectentur : » hæc *Beda.* Sic multi de morte sua non cogitant, quamvis certitudinaliter sint morituri; et frequenter venit mors, quando nullum timetur periculum, subitus enim erit adventus Filii hominis ad judicium generale, vel particulare venientis. Unde *Chrysostomus* : « Et quid mirum, si periturum mundum audiunt, et non credunt? Ecce morituros se esse quotidie audiunt homines, quoties mortuos alios vident, et tamen non credunt se morituros. Si enim crederent se morituros, non facerent ea pro quibus moriuntur morte digna. Si ergo illud quod quotidie fieri vident in aliis, in se futurum esse non credunt, quomodo illud credent futurum, quod adhuc numquam factum est? » hæc *Chrysostomus.*

2 Similitudo de temporibus Loth sumpta. — Hoc idem etiam ostendit ex similitudine facti in diebus Loth. Similiter enim sicut tunc factum est, scilicet quod impii igne et sulphure perierunt; sic impii in die adventus Christi peribunt. Quia homines illius temporis *edebant et bibebant*, ecce peccatum voluptatis; *emebant et vendebant*, ecce peccatum cupiditatis; *plantabant et ædificabant*, ecce peccatum nimiæ securitatis, et in securitate erant usque in diem vindictæ. *Qua die* enim *exiit Loth a Sodomis*, Dominus *pluit ignem*, contra immoderatum ardorem, *et sulphur*, contra fœtorem, *de cœlo*, scilicet aereo, *et omnes* illos, et cum eis adjacentes civitates *perdidit*. Ubi *Beda*: « Prætermisso Dominus illo maximo et infando Sodomorum scelere, sola ea quæ vel levia, vel nulla putari poterant delicta commemorat; ut intelligas illicita qua pœna feriantur, si licita et ea sine quibus hæc vita non ducitur, immoderatius acta, igne et sulphure puniuntur : » hæc *Beda. Secundum hæc*, vel sic *erit* quando, vel *qua die Filius hominis revelabitur*, qui modo occultatur, scilicet in adventu suo futuro, erunt homines in securitate, nihil timentes de futuro judicio, usque ad tempus illud, quo Christus in humanitate gloriosa videbitur veniens ad judicium; veniet enim quando homines non advertent periculum. Secundum *Chrysostomum*, hoc totum dixit, ostendens qualiter repente veniet et inopinate, et pluribus lascivientibus, et sine sollicitudine existentibus. Ubi *Beda* : « Pulchre dicit, *revelabitur*, quia, qui interim non apparens omnia videt, tunc apparens omnia judicabit; apparebit autem

judicaturus eo maximo tempore, quo cunctos judiciorum ejus oblitos, huic seculo conspexerit esse mancipatos, quia licet mundi terminus olim præfinito sit venturus in tempore; frigescente tamen circa finem caritate multorum, tanta crebrescet humani generis iniquitas, ut merito debeat cum ipso, quem inhabitat, orbe deleri. Nam et nunc quidem innumeros adeo commessationi et ebrietati, emptioni et venditioni, ceterisque mundi rebus inhærere videmus, ut palam districti Judicis iram eos provocare non lateat. Sed tamen quod sine gravi mœrore sapiens quisque saltem cogitare non valet, pejora jam jamque superventura formidamus, quod enim de una quondam peccatrice gente delenda dictum est : *Necdum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum*, de tota procul dubio pravorum massa damnanda constat esse sentiendum. » — Mystice, secundum eumdem *Bedam*, Loth, qui interpretatur *declinans*, est populus electorum, qui dum in Sodomis, id est inter reprobos ut advena moratur, quantum valet eorum scelera declinat. Exeunte autem Loth de Sodoma, perit, quia, secundum *Chrysostomum*, quamdiu sunt homines fideles, stat iste mundus, et cum Sancti de mundo deficiunt, est utique casurus ; sic etiam, egredientibus Israelitis de Ægypto, exterminatus est Ægyptus. Hæc igitur prædicta audientes timeamus actus nostros. et ab otio ac lasciviis amodo abstinentes, et de præteritis pœnitentiam agentes, ad illam diem Domini nos sine cessatione præparemus.

3 De uno assumendo et altero relinquendo. — Deinde, post incertitudinem temporis judicii, ostendit incertitudinem salutis judicandorum, ne quis de suo statu præsumat, vel se elevet, quia in omni statu erunt aliqui electi, et aliqui reprobi. *Tunc* enim *in illa nocte* tribulationis, quia Antichristus hora tenebrarum est, et similiter est in nocte mortis, *duo erunt in agro*, id est in agricultura prælationis, qui præsunt Ecclesiis, et operantur in Ecclesiæ ministerio tamquam in agro Dei, ut surgat et proficiat messis hujus agri Dominici : *unus assumetur*, scilicet ad gloriam, ut prælatus bonus et utilis ; *et unus relinquetur*, ad pœnam, scilicet prælatus malus et inutilis. Item, *duæ erunt molentes in mola* id est in exercitio actionis, quæ in modum molæ volvitur sollicitudinibus, et pertinet ad populos qui feminarum nomine designantur, quia tamquam infirmi a præpositis reguntur : *una assumetur* ad gloriam, scilicet justus, *et una relinquetur* ad pœnam, scilicet injustus. Item, *in illa nocte erunt duo in lecto uno*, id est in quiete contemplationis, qui otium et quietem eligunt, et neque negotiis ecclesiasticis, neque secularibus occupati, sed velut ad hæc infirmi secedunt ad otium et quieti esse diligunt, non se magnis actionibus committentes, et quodam modo in stratu infirmitatis Deum rogantes, *unus*, scilicet bonus; *assumetur* ad salutem ; *et alter*, scilicet malus, relinquetur ad damnationem. In quolibet ergo istorum statuum ostenditur aliquos esse electos, et aliquos reprobos ; in quolibet enim sunt boni et mali. Quia, secundum *Augustinum*, in omni conditione, et gradu optimis mixta sunt pessima. Et qui boni fuerint assumentur ad gaudia æterna ubi et Christus, quia *ubi fuerit corpus*, id est Dominus in corpore, scilicet Christus, qui est homo corporeus, et ideo aquilarum, id est animarum sanctarum præda, *ibi congregabuntur et aquilæ*, spirituales in corpore, scilicet Sancti et electi, qui ejus Passionem humilitatemque imitando, tamquam de ejus carne saturantur, quorum per resurrectionem, *renovabitur ut aquilæ juventus*; mali vero cum diabolo ad pœnam æternam relinquentur. Et ideo, ut dicitur in Osea : *Consolatio abscondita est ab oculis meis, quoniam ipse inter fratres dividet.* Cum ergo dicitur quod de agro, et de mola, et de lecto, unus assumetur, et alter relinquetur, non de duobus hominibus dictum est, sed de duobus generibus affectionum. Nec alia videntur esse genera hominum, quibus constat Ec-

clesia, quam ista tria habentia binas differentias, propter assumptionem et relictionem. Unde ait *Chrysostomus* : « Quando justi quidem assumentur, peccatores autem relinquuntur, omnes justi in uno homine figurantur, et omnes peccatores in uno. Videat unusquisque qualis sit modo, et talem se faciat quod debeat assumi, et non relinqui; boni enim tantum assumentur, mali vero relinquentur. » Hi autem tres ordines, quoad salvandos, significantur per tres viros qui salvaverunt animas suas, et quos solos liberandos Ezechiel Propheta prænuntiat, scilicet : Noe, qui significat statum prælatorum, per quos Ecclesia regitur, sicut per illum in aquis arca gubernata est, quæ figuram Ecclesiæ gestabat; et Job, per quem significatur status activorum, qui uxorem, atque filios, et amplas terrenarum copias habuit, et curam domus propriæ exercuit; et Daniel vir desideriorum, per quem significatur status contemplativorum, qui nuptias contempsit, et cœlitem vitam elegit, et in aula regia abstinentiæ deditus fuit. De clericis vero et de monachis, qui negotia secularia, et causas civiles tractant dubitari potest, sub quo horum trium statuum comprehendi possint et debeant.

4 Vigilantia præcipitur dilatioque boni operis vituperatur. — Et, quia, ut dictum est supra, incerta est dies Domini, et de die illa nemo hominum scit, et, ut jam visum est, incertitudo est etiam salutis in quocumque statu quis fuerit; ideo ex præmissis concludit Dominus, ne torpeamus in peccatis dormitando, sed solliciti simus et vigilemus contra mortis incertitudinem, bonis operibus jugiter insistendo, dicens: *Vigilate ergo*, et semper in sollicitudine estote, *quia nescitis qua hora* : vel in mane pueritiæ, vel in tertia juventutis, vel in sexta senectutis, vel in sero senii, *Dominus vester venturus sit*, ad judicium particulare, in cujuslibet morte, sive ad judicium generale in resurrectione; ne cum venerit subito et ex insperato, dormientes nos inveniat et imparatos. Unde legitur in Ecclesiastico : *Nescit homo finem suam; sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves comprehenduntur laqueo, sic capiuntur homines in tempore malo.* Unde *Bernardus*: « Nihil morte certius. et nihil hora mortis incertius. Nam nescimus quomodo, aut quando, aut ubi moriemur, quoniam mors ubique exspectat nos. Idcirco debemus esse parati; ut cum corpus revertetur ad terram, de qua sumptum est, spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. » Unde et *Gregorius* : « Nemo in hujus vitæ itinere torpeat, ne in patria locum perdat. Quia enim adhuc hodie licet bene agere scimus; utrum cras liceat, ignoramus. » Unde etiam ait *Chrysostomus*: « Qua ratione ab unoquoque homine absconditus est dies mortis ipsius? Videlicet ut semper beneficiat, semper mortem suam sperans; eadem ratione et ab omnibus hominibus absconditus est dies adventus Christi, videlicet ut non una generatio salvetur sciens adventum ejus, sed omnes, dum in singulis quibusque generationibus adventus ejus speratur : » hæc *Chrysostomus*.

5 Quisque debet timere mortis horam, et semetipsum hic judicare. — Quia ergo tempus judicii, et etiam mortis est incertum, ideo debemus semper esse parati ad ipsum exspectandum; et semper esse in continua sollicitudine, ne improvisi inveniamur in morte. Unde *Bernardus* contra negligentes se parare : « Miser, quare omni hora te non disponis? Cogita te mortuum, quem scis de necessitate moriturum; distingue qualiter oculi vertentur in capite, venæ rumpentur in corpore, et cor scindetur dolore : » hæc *Bernardus*. Habeamus igitur in memoria : quia modus fallax, vita brevis, finis dubius, exitus horribilis, Judex terribilis, pœna interminabilis; et hæc semper nos terreant, et ad vigilandum inducant. Unde *Basilius* : « Semper ante oculos tuos versetur ultimus dies. Cum diluculo surrexeris, ne ad vesperam te confidas pervenire. Et cum quiescens lectulo membra tua composueris, de lucis non confidas adventu; et facillime poteris refrenari ab omnibus vitiis. Semper cor tuum cœlestia pro-

missa meditetur, ut ipsa te ad virtutis viam provocent. Esto nunc talis in operibus tuis, qualem te vis futurum postmodum: » hæc **Basilius**. Hæc itaque scientes, et illam diem semper suspectam habentes, faciamus nunc de nobisipsis judicium, præoccupando faciem Domini in confessione et justitia; perficiendo dignos fructus pœnitentiæ, ut Deum nobis propitium inveniamus et benignum. Unde ait *Bernardus* : « *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*, dicit Apostolus. Bonum judicium quod me ab illo districto divinoque judicio subducit et abscondit! Prorsus horreo incidere in manus Dei viventis ; volo vultui iræ judicatus præsentari, non judicandus. Quid ergo faciam? Judicabo mala mea, judicabo et bona. Mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lacrymis, punire jejuniis, ceterisque sanctæ laboribus disciplinæ. In bonis de me humiliter sentiam, et juxta præceptum Domini servum inutilem me reputabo, qui quod facere debui tantum feci; scrutabor ego vias meas, et studia mea, quo is qui scrutaturus est Jerusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me, sive indiscussum inveniat. Neque enim judicaturus est bis in idipsum. Unde *Chrysostomus*: « In propriis peccatis non erubescamus homines; sed timeamus, ut oportet, Deum, qui et nunc videt quæ fiunt, et tunc punit eos qui non pœnitentiam hic agunt. Qui enim verecundiam hominum inspicit nunc solum, Deo autem inspiciente, non verecundatur agere aliquod inconveniens, neque vult pœnitere et transmutari ; in illo die, universo orbe terrarum considerante, exemplificatur Omnia enim ut in imagine tunc stabunt secundum oculos nostros, ut per se condemnatus unusquisque sit. De reliquo igitur, si non vult quis divulgari quæ sua sunt in illa die, sanet jam vulnera ; instat enim de reliquo noxarum tempus. Simus semper parati, non semper horum potestatem habebimus. Quocirca, hic pœniteamus, ut ita propitium Deum inveniamus secundum futuram diem, et multa potiamur ejus clementia: » hæc *Chrysostomus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, da mihi incertitudinem diei adventus tui vigilando et bene operando prævenire, ne voluptatibus et vanitatibus vacans, subito imparatus inveniar in illa die. Præsta mihi, ut tunc inter electos tuos merear tua gratia connumerari, et cum ipsis ad gaudia æterna misericorditer assumi ; et sic cum eisdem electis et Sanctis tuis, quorum per resurrectionem *renovabitur ut aquilæ juventus*, ego, te miserante, ubi tu in corpore glorioso es congregatus, de tua satiari merear visione, et exsultans te jugiter laudare sine fine. Amen.

CAPUT XLVI

DE VIGILIA PATRISFAMILIAS CUSTODIENTIS CONTRA FUREM DOMUM SUAM.

Matthæi cap. XXIV et Marci cap. XIII.

1 PER SIMILITUDINEM PATRISFAMILIAS DECLARATUR HORÆ ULTIMÆ INCERTITUDO ET VIGILANTIÆ NECESSITAS. — **Deinde**, probat per exemplum, quod est vi-

gilandum. Magis enim vigilandum est pro æternis, quam pro temporalibus; sed pater familias hora suspecta de adventu furis vigilaret pro corporalibus ; ergo et nos omni hora, quia omnis hora est suspecta, debemus vigilare pro spiritualibus, et semper esse solliciti, ut in morte inveniamur parati. Si ergo pater familias sollicitus est de domo custodienda, multo fortius nos debemus esse solliciti de vita æterna, ne perdamus eam; quod erit, si inveniamur per gratiæ carentiam. Secundum *Chrysostomum*, confundit hic desides, quia non tantum studium faciunt pro anima, quantum alii pro pecunia, qui fures exspectant ne perdant ; illi enim vigilant ut resistant furi, hi autem non vigilant ut inveniantur parati. Exponitur autem hæc similitudo, secundum *Chrysostomum*, dupliciter. Primo modo vocat furem, diabolum ; domum, mentem, quam si intraverit per negligentiam janitoris rationis, spoliat domum illam vestimentis justitiæ, auro sapientiæ, et argento innocentiæ. Domum ergo suam quis sinit perfodi, cum suggestionibus diaboli consentiens virtutibus spoliatur, viribus læditur. Secundum hanc viam notantur tria de patrefamilias, videlicet : scire, vigilare et non sinere. Debet ergo scire insidias furis, id est cognoscere prudenter ; vigilare ad sui custodiam, id est cavere solerter ; non sinere, id est resistere fortiter, ne perfodiatur domus fossorio diaboli, qui : primo percutit suggestione, secundo fodit delectatione, tertio perdit consensu ; primum vix potest caveri, secundum, magis, tertium maxime. Alio modo exponendo hanc parabolam, vocat : furem, mortis diem, quia occulte, sicut fur; domum, corpus; januam, os et aures; fenestras, oculos. Et est sensus : *Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret*, id est mors quæ fur dicitur, et merito : vel propter improvisum adventum, et occultum introitum, vel propter scrutinium, vel propter spoliationem rerum omnium, *vigilaret utique* ne moreretur in peccato et culpa : quia *mors peccatorum pessima* est ; *et non sineret perfodi domum suam*, id est cum violentia animam a corpore extrahi, sed sponte exire. Unde ait *Chrysostomus* : « Quoniam animæ peccatrices in corpore quasi in proprio domicilio delectantur, veniens cum sententia Dei, Angelus mortis perfodit corpus, et animam violenter avellit ab eo. Animæ autem justæ, quæ non delectantur in corpore, sed quasi in exsilio ibi sunt, veniente sententia, non perfodiuntur nolentes, sed vocantur gaudentes. » Unde et *Gregorius* : « Nesciente patrefamilias, fur domum perfodit, quia, dum a sui custodia spiritus dormit, improvisa mors veniens carnis nostræ habitaculum irrumpit, et eum quem dominum domus dormientem invenerit, necat, quia dum ventura damna spiritus minime prævidet, hunc mors ad supplicium nescientem trahit. Furi autem resisteret, si vigilaret, quia adventum Judicis, qui occulte animas rapit, præcavens, ei pœnitendo occurreret, ne impœnitens periret. » Et iterum : « Horam vero ultimam Dominus noster idcirco nobis voluit esse incognitam, ut possit semper esse suspecta, ut dum illam prævidere minime possumus, ad illam sine intermissione præparemur : hæc *Gregorius*. Deinde concludit ex prædictis, et admonet nos ut parati simus, quia si tanta adhibetur diligentia pro custodia rei parvæ, multo magis adhiberi debet pro custodia animæ. Unde dicit : *Ideo et vos estote parati*, sine macula cordis, oris et operis, *quia qua nescitis hora*, id est insperate, *Filius hominis venturus est*, ad judicium particulare, in morte, vel ad judicium generale, in mundi fine. Igitur, quia nescimus diem, vel horam illam unam, quando occulte et furtim venturus sit Dominus, vigilemus non una die, vel una hora, sed semper, omnibus diebus et horis, quasi semper sit venturus, ne in illa die et hora dormientes et imparati inveniamur. O quam felix qui novissima providet, qui sibi a peccatis cavet, qui seipsum non negligit, qui se omni tempore ad mortem præparat et disponit, ut quandocumque mors venerit, para-

tum eum inveniat, gaudenterque ipsum recipiat, quasi qui liberatoris sui adventum desideratum exspectet, dicens cum Apostolo : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo !*

2 QUISNAM PRO QUOCUMQUE NOVISSIMUS DIES ? — Deinde, generaliter subjungit : *Quod autem vobis dico, omnibus* scilicet præsentibus et futuris, tam rectoribus Ecclesiæ quam subditis, *dico : Vigilate*, per sollicitudinem, quam sibi quilibet impendere debet, ut commune omnium præceptum novissimi per primos audiant. Ubi ostendit Dominus quod non loquebatur tantum discipulis, sed pro omnibus fidelibus præsentibus et futuris. Quamvis enim dies ille non omnes inventurus sit in hac vita, tamen ad omnes quodammodo pertinet, videlicet, quia tunc unicuique dies ille veniet, cum venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis illo die judicandus est. Talis enim præsentabitur judicio, scilicet in parte electorum vel damnatorum, qualis invenietur in morte, quantum ad gratiam et meritum, vel culpam et demeritum. In quocumque statu quemque invenerit suus novissimus dies, in eo comprehendet eum mundi novissimus dies ; quoniam qualis in die isto quisque capitur et moritur, talis in die illo præsentabitur et judicabitur. Unde *Augustinus :* « Nemo quærat novissimum diem, quando futurus sit. Sic vigilemus omnes bene vivendo, ne novissimus dies cujuscumque nostrum inveniat nos imparatos, et qualis quisque hinc exierit suo novissimo die, talis inveniatur in novissimo seculi die ; et ideo vigilare debet animo omnis Christianus, ne imparatum eum inveniat Domini adventus. Imparatum autem inveniet dies ille, quem imparatum invenerit suæ vitæ hujus ultimus dies. Ubi inveniemur, ibi judicabimur : » hæc *Augustinus.* Qualem ergo Dominus in morte quemque invenerit, tamen illo die judicabit, qui etiam in morte judicium suum cognoscit. Unusquisque enim Christianus in morte Christum videbit, et tunc cognoscet, an de electis vel damnatis sit. Unde *Lotharius*, qui postmodum *Innocentius III* est dictus, in libro : De miseria conditionis humanæ, sic ait : « Videat ergo tam bonus quam malus, antequam anima egrediatur a corpore, Christum in cruce positum. Malus videt Christum ad erubescentiam et confusionem, ut erubescat se non esse redemptum sanguine Christi, sua culpa exigente ; unde de malis dicitur : *Aspicient ad me, quem confixerunt,* quod intelligetur de adventu Christi ad judicium et de adventu ad diem mortis. Bonus vero videt ad exsultationem ; unde et Christus de Joanne Evangelista ait : *Sic eum volo manere donec veniam*, etc., ad obitum ipsius. Quatuor ergo leguntur adventus Christi ad homines, duo feliciter visibiles, duo invisibiles : primus adventus visibilis fuit in infirmitate corporis, scilicet in carne, alius adventus visibilis erit in majestate Dei, scilicet ad judicium ; primus adventus invisibilis fit in mente justi per gratiam, secundus adventus invisibilis est in obitu cujusque fidelis, unde dicitur obitus, quia obviam venit Christus. Hos quatuor adventus repræsentat Ecclesia in quatuor Dominicis de adventu, non solum numero dierum, sed etiam ratione officiorum : » hæc *Innocentius III* Papa. *Eia ergo, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte; et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exsilium ostende, benignum ! O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria !*

3 QUISNAM FIDELIS DISPENSATOR A DOMINO REMUNERANDUS ? — Postquam ergo Dominus in communi nos ad indefessam vigilantiæ curam admonuit, consequenter specialem rectoribus et principibus in exspectatione et adventu suo sollicitudinem mandat, et quod vigilandum sit, ostendit per secundum exemplum de servo patrisfamilias, qui sollicitus est regere domum sibi commissam, non solum in præsentia Domini, sed etiam in absentia ejus, ut sic veniens Dominus eum remuneret ; si autem in contrariis actibus ipsum inveniat, æternaliter puniat. Unde dicit : *Quis putas est fidelis*, intentione, Domino

propter Dominum serviens, oves Christi non ad lucrum temporale, sed pro amore Christi pascens, *servus*, id est humilis affectione, non suam, sed Domini gloriam quærens, *et prudens*, in officii exsecutione, qui subditorum capacitatem, vitam, et mores discutiat, *quem constituit Dominus*, qui scilicet sit vocatus a Deo, et ipse non se ingesserit, *super familiam suam*, regendam et pascendam; *ut det illis*, non subtrahat negligenter, pigritia, vel occasione alia, nec vendat simoniace nummo, scilicet cupiditatis terrenæ, vel laudis humanæ, *det*, inquam, *in tempore* opportuno, scilicet necessitatis et tribulationis, id est habita temporis opportunitate, non indiscrete, *tritici mensuram*, id est *cibum* animæ et corporis, scilicet divini verbi vel exempli, vel temporalis subsidii, electum ad usum hominum, et mensuratum pro qualitate auditorum et indigentium? Quod autem dicit quærendo : *Quis putas*, non est ignorantis, nec signat hæc interrogatio impossibilitatem perficiendæ virtutis, sed difficultatem, et rei raritatem, rarus est enim talis, et difficile est ista in uno invenire; non autem impossibile. Unde dicit *Theophilus* : « Sicut enim in dispensationibus facultatum, sive aliquis incautus sit licet fidelis domino existens, sive etiam prudens sit sed infidelis, dispereunt res domini; sic et in rebus divinis opus est fidelitate et prudentia. » Duo ergo, secundum *Chrysostomum*, expetit ab hujusmodi servo, scilicet : fidelitatem, ut nihil quod Domini sui est, sibi proprium furando faciat, aut vane consumat; et prudentiam, ut ad id quod oportet, et in tempore, quæ data sunt dispenset. Debet autem familiam Domini pascere magis quam se, et dare eis cibum triplicem prædictum, secundum mensuram et capacitatem singulorum, et hoc in tempore : quia prædicatio neque debet esse assidua, ne vilescat, neque nimis rara, ne subditi insolescant. Idem etiam panis esurienti quidem appetibilis est, satiato autem non multum utilis. Prælatis ergo incumbit vigilare super se, et super gregem suum, et cuilibet fideli pro modulo suo : *Beatus* enim *ille servus, quem Dominus ejus*, in suo adventu, et *cum venerit* in morte ipsius, quærens servitii rationem, *invenerit sic facientem*, id est bona spiritualia et corporalia fideliter et prudenter, ac bene ministrantem, hoc est in actibus caritatis se exercentem, ac pro se et sibi commissis vigilantem, quia per talia meretur æternam beatitudinem. *Amen dico vobis quoniam super omnia bona sua*, id est, super omnia cœlestis regni gaudia, et in Dei gloriam ultra quam nihil melius est, *constituet eum*, quia in beatitudine æterna consequetur bonum infinitum, quod includit omnia bona; beatitudo enim est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Bona quippe præsentia sunt particularia, sed bona cœlestia sunt communia et perfecta, quia nunc ex parte cognoscimus, et ex parte diligimus, sed tunc perfecte. Constituetur autem super omnia, non ut solus, sed ut præ ceteris possideat præmia et gaudia æterna, tum pro sua vita, tum pro suæ gregis custodia. Nam, secundum *Chrysostomum*, ex propriis meritis habebit auream, et ex aliorum acquisitione aureolam: primum, quia bene vixit; secundum, quia alios bene vivere docuit. Unde Apostolus: *Qui bene præsunt, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.* Unde dicit *Augustinus*, quod apud Deum nihil beatius Episcopi, vel presbyteri, aut diaconi officio, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet. Iste servus, de quo hoc dicitur, est quilibet Christianus, qui est dispensator Domini sui, quod tripliciter intelligi potest : uno modo in dispensatione spiritualium, quod proprie pertinet ad prælatos; alio modo, in regimine temporalium, quod pertinet ad principes seculares et judices; tertio modo, in bono usu gratiarum a Deo sibi collatarum, ut quando aliquis in quo ratio vires inferiores debito modo regit, vitam virtuose peragit, et hoc pertinet ad omnes. Cum ergo dicitur: *Quis putas est fidelis servus et prudens*, etc.? potest responderi: Hic est bonus

prælatus, vel bonus princeps et judex, vel etiam bonus simplex Christianus, quia, ut dicitur in Ecclesiastico : *Mandavit unicuique* Deus *de proximo suo*; scilicet, ut det illi cibum, id est auxilium, in tempore necessitatis, ad quod quilibet prædictorum tenetur. Unde ait *Chrysostomus* : « Hæc autem non de pecuniis dicta sunt solum ; sed et de sermone, et de virtute, et de pecuniis, et de omni dispensatione, quæ unicuique commissa est. Hæc et ad principes seculares aptabitur utique parabola. Unumquemque enim his quæ habet ad communem utilitatem uti oportet, et si sapientiam habuerit, et si principatum, et si divitias, et si aliquid aliud quodcumque, non ad nocumentum conservorum, neque in perditionem suiipsius : » hæc *Chrysostomus*.

4 Quisnam servus malus a Domino puniendus? — Deinde, secundum eumdem *Chrysostomum*, non solum ab honore quo muuerat bonos, sed etiam a pœna qua minatur malis, erudit Dominus auditorem, cum subdit : *Si autem servus*, id est homo *malus*, nihil cogitando de Domini adventu in morte vel judicio, et promittendo sibi longam vitam, *dixerit in corde suo*, id est præsumpserit; ac si in corde suo diceret : *Moram facit Dominus meus venire*, id est in judicium, aut mors longe est a me, hoc quippe dicunt illi, qui non cogitant de morte ; *et cœperit*, quanto magis si perseveraverit, voluptatibus et illecebris, ac malis operibus et caritati contrariis, occupari, et *conservos suos*, quos fovere et defendere debuit, *percutere*, sicut injuriis lacessendo, vel pravo verbo et exemplo corrumpendo, et peccare faciendo, sicque cum securitate vixerit perverse ; *veniet Dominus servi illius* mali, scilicet in morte, ubi est judicium particulare, vel in extremo examine, ubi erit judicium generale, *in die qua non sperat, et hora qua ignorat..... De die illa* enim *et hora nullus hominum scit*. Et sic exprimit malorum prælatorum, qui in hoc servo intelliguntur, vitam et demeritum in sex, quæ sunt propria eorum, scilicet : præsumptio, minorum oppressio, gastrimargia, luxuria, contemptus, atque negligentia. Veniet, inquam, *et dividet eum* separando animam a corpore in morte, et a consortio Sanctorum in examine; *partemque ejus ponet* duplicem, scilicet corpus et animam, vel partem, id est retributionem, *cum hypocritis*, id est falsis Christianis in agro vel in mola, et in lecto derelictis, et cum infidelibus qui nec fidem habuerunt, separando eum a Beatis, et conjungendo eum damnatis. Et potius dicit, *cum hypocritis*, quam cum aliis, ut similitudo pœnæ respondeat similitudini culpæ : hypocrita enim aliud est, et aliud ostendit, sic qui in agro, vel in mola, seu in lecto erant, et idem facere, ac boni esse videbantur; sed exitus diversæ voluntatis apparet, cum derelinquuntur et cum damnatis sociantur. Ecce malorum servorum remuneratio, scilicet æterna damnatio. Ubi ait *Chrysostomus* : « Dividet eum de consortio Christianorum, ut neque cum Sanctis glorificetur; neque cum his qui mediocriter deliquerunt, mediocriter puniatur. Et junget eum hypocritis infidelibus, ut quorum imitatus est mores, ipsorum puniatur interitu. Quoniam sacerdos quemadmodum super omnem populum glorificatur, si benefecerit, non solum propter suam justitiam, sed et propter omnium, quia causa est ipse justitiæ universorum ; ita et peccans super omnes punitur, non solum propter suum peccatum, sed et propter omnium, quia ipse causa sit omnium ad peccandum : » hæc *Chrysostomus*. Deinde de pœna eorum subdit, dicens : *Illic erit fletus*, ex vehementia caloris, *et stridor dentium*, ex vehementia frigorum, juxta illud Job : *Maledicta pars ejus in terra; ad calorem nimium transeat ab aquis nivium*. De hac pœna latius habes supra eadem feria tertia, de non habente vestem nuptialem. Attende ergo hæc, o serve male, et te emendare stude; quia nunc est tempus emendationis et laboris, postea erit retributionis et mercedis, vel punitionis et vindictæ.

ORATIO

Domine Jesu Christe, da mihi incessabiliter diem transitus mei et diem judicii cogitare, ac novissima providere, ut vigilem sollicite pro spiritualibus et æternis, mihi cavendo a peccatis, et insistendo operibus bonis; meque ipsum non negligam, sed omni tempore ad mortem me præparem et disponam. Præsta, Domine, ut mihi quotidiano actu provideam et procurem consummationem, et ut tota vita mea talis sit in conversatione, ut liber merear esse in fine, teque in morte, vel judicio venientem gaudenter recipere, et tecum sine fine gaudere. Amen.

CAPUT XLVII

DE LUMBIS PRÆCINCTIS ET LUCERNIS ARDENTIBUS.

Lucæ cap. XII.

1 QUID SINT LUMBI PRÆCINCTI ET LUCERNÆ ARDENTES? — Et, quia ad vigilandum multipliciter Dominus nos monuit, consequenter quædam ad vigilandum nos præparantia, seu ad vigilantes pertinentia, describit, monens, ut *sint lumbi* nostri, tam mentis quam carnis, *præcincti*, cingulo castitatis; *et sint lucernæ ardentes in manibus*, et operibus nostris. Lumbi mentis sunt: voluntas, seu affectus, et intellectus, ex quibus procedunt cogitationes malæ, et desideria prava. Lumbi vero carnis sunt, ex quibus prodeunt carnales concupiscentiæ et opera impudica; et utrique lumbi sunt præcingendi, id est coarctandi ab illicitis cogitationibus et operibus. Cinctorium primorum est divinæ Legis meditatio assidua, quæ fit per studium Sacræ Scripturæ; cinctorium secundorum est justitia, quæ fit per rigorem disciplinæ: et ita per primum fluxus cogitationum et desideriorum inutilium reprimitur in mente; per secundum fluxus concupiscentiarum carnalium et operum restringitur in carne. Lucernæ vero ardentes sunt doctrinæ claræ et lucidæ, et exempla bona ex caritate, quæ debent esse in manibus nostris, ut adimpleamus opere. Lucernæ ergo, per bonorum sermonum et operum evidentiam, ardentes autem, per æternæ caritatis fervorem, et lucentes, per sanctæ conversationis splendorem, sint in manibus nostris, id est in operibus bonis, sicut *Joannes erat lucerna ardens et lucens*. Ubi ait *Gregorius*: « Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus; lucernas ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus. » Ubi et *Fulgentius*: « Jubens Dominus, ut sint lumbi nostri præcincti, mandat ut mala desideria atque opera fugiamus; jubens, ut sint nostræ lucernæ ardentes, monet ut bona diligamus et faciamus. » Prius ergo præcinge lumbos, et tunc accende lucernam; prius, *declina a malo, et* tunc *fac bonum*; prius, *quiesce agere perverse, et* tunc *disce benefacere*. Nam, ut ait *Augustinus*, non nobis infert Deus bona sua, nisi mala aufert nostra; et in tantum illa crescunt, in quantum ista minuuntur; nec illa perficientur, nisi ista finiantur. Item, monet ut tamquam fideles et prudentes ac de nostra custodia solliciti et vigiles, Dominum a nuptiis in cœlo per copulationem Angelorum factis revertentem, id est

adventum ejus ad judicium particulare in morte, vel generale in resurrectione, cum timore et amore exspectemus; sicut antiqui Patres exspectabant eum venturum in carnem. *Et vos* ergo *similes hominibus exspectantibus dominum suum*, Christum judicem scilicet, *quando revertatur a nuptiis*, quem bene exspectamus, dum ad ejus adventum in omnibus nosmetipsos præparamus.

2 RETRIBUTIO QUÆ MANET VIGILANTES ET DOMINO APERIENTES. — *Ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei,* id est aperiamus Christo et ipsum suscipere parati simus. Ubi *Gregorius:* « Ad nuptias quidem Dominus abiit, cum resurgens a mortuis, et ascendens in cœlum supernam sibi Angelorum multitudinem novus homo copulavit. Qui tunc revertitur, cum nobis per judicium manifestatur. Venit quippe, cum ad judicium properat; pulsat vero cum jam per ægritudinis molestias mortem esse vicinam designat. Cui confestim aperimus, si hunc cum timore suscipimus. Aperire etenim Judici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, et videre eum, quem contempsisse se meminit, Judicem formidat. Qui autem de sua spe et operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia lætus Judicem sustinet; et cum tempus propinquæ mortis agnoverit, de gloria resurrectionis hilarescit : » hæc *Gregorius.* Talis quippe potest dicere cum Apostolo : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo*. Qui ejusmodi est, omnibus hujus mundi felicibus est felicior, et regalibus regalior. Unde *Anselmus :* « Hoc unum dico, omnibus hujus mundi præstare deliciis, honoribus, atque divitiis, si ob conscientiæ serenitatem, fidei firmitatem, spei certitudinem mortem non timeamus. Quod ille poterit maxime experiri, qui aliquo tempore sub hac servitute suspirans, ad liberioris conscientiæ auras evasit. Hæ sunt futuræ beatitudinis nostræ primitiæ salutares, ut morte superveniente, naturalem horrorem fides superet, spes temperet, conscientia pura repellat : » hæc *Anselmus.* Sed hoc solis perfectis convenit; numquid ergo imperfecti, qui vitam habent in desiderio, et mortem in patientia, damnabuntur? Absit. Multi enim salvandi sunt in caritate imperfecta, qui scilicet ædificant lignum, fœnum, stipulam; et de corpore exire timent, propter cremabilia, quæ secum ferunt. Sed, quia Deum istis temporalibus, quibus adhærent, præponunt, de vita æterna certi sunt. Ast de his, licet sint salvandi, non loquitur hic, sed de perfectis qui vitam habent in patientia, et mortem in desiderio. Deinde, subjungit præmii et retributionis magnitudinem, quia vigilantibus promittit beatitudinem : *Beati* enim *servi illi*, in præsenti beatitudine spei, et in futuro beatitudine speciei, *quos cum venerit Dominus*, in eorum morte, vel in extremo examine, *invenerit vigilantes*, in statu gratiæ, et non dormientes, in statu culpæ! Ubi *Gregorius:* « Vigilat, qui ad aspectum veri luminis apertos mentis oculos tenet. Vigilat, qui a se corporis et negligentiæ tenebras repellit : » hæc *Gregorius.* Sed veniens Dominus, quid vigilantibus servis exhibeat, audiamus. Nam, *amen dico vobis, quod præcinget se*, id est ad retributionem præparabit; *et faciet illos* vigilantes *discumbere*, id est in æterna quiete refoveri et quiescere, ut edant super mensam suam in regno suo; *et transiens*, id est, de judicio ad regnum rediens, *ministrabit illis*, quia suæ lucis illustratione et divinitatis contemplatione fideles satiabit; quem et enim in humanitate in judicio cernemus, etiam in divinitate post judicium videbimus. Ministrabit illis lac humanitatis et vinum deitatis, et manna dulcissimum, quod in cor hominis non ascendit. Faciet itaque illos discumbere, quasi fessos refocillans; et ministrabit illis spirituales delicias apponens. Unde *Dionysius Areopagita :* « Discubitum enim opinamur quietem a multis laboribus, et copiosam donationem omnium bonorum; hoc est enim quod Jesus facit eos recumbere, dans eis perpetuam quietem, et distribuens eis bonorum multitudinem : » hæc *Dionysius.*

3 QUANDONAM PULSAT DOMINUS ET EI APERIMUS IN SENSU MORALI? — Moraliter, pulsat Dominus hominis animum, cum eum inducit ad melius propositum, cui confestim aperit, per bonum consensum, et sequentem effectum; et tali servo ministrat Dominus gratiam in præsenti, et gloriam in futuro. Delectatur quippe Dominus esse cum filiis hominum; ideo quærit ubi mansionem apud eos inveniat. Pulsat ergo ad ostia cordium multipliciter, ut si pro uno non aperietur ei, saltem pro altero : pulsat per doctorum verba, pulsat per bonorum exempla, pulsat per collata beneficia, pulsat per illata flagella, pulsat per promissiones præmiorum, pulsat per minas tormentorum, pulsat per passiones suas et Sanctorum. Quidam autem sunt qui pulsanti Domino respondere nolunt; quidam humiliter respondent, sed tamen eum abire faciunt; quidam aperiunt, sed diu apud se quiescere eum non permittunt; quidam, licet aperiant et eum recipiant, tamen, supervenientibus aliis hospitibus, eum quasi pauperem ejiciunt, aut quia domus plena est utensilibus, et non invenit ubi caput reclinet; quidam autem Dominum pulsantem recipiunt, et alios hospites excludunt, et insuper ei delectabilem præparant mansionem ut a nullo inquietetur, et illi multa bona per talem hospitem consequuntur. — Primi sunt, qui ita sunt duri, ut ad nullam prædicationem, vel beneficium cor eorum valet aliqualiter molliri. — Secundi sunt, qui se peccatores quidem humiliter confitentur, sed adhuc non habent voluntatem deserendi peccata. — Tertii sunt, qui in aliquo se emendant, et in aliquo non; et qui usuras et res alienas amplius accipere nolunt, sed acceptas refundere recusant. — Quarti sunt, qui pro tempore compunguntur vel se emendant, sed cito recidivant, ut faciunt qui, aliis hospitibus supervenientibus, pauperes hospites ejiciunt : hospites vero supervenientes sunt delectationes carnis, mundi et hujusmodi; varia utensilia sunt occupationes superfluæ, quæ cordis libertatem angustant, et Spiritum Sanctum exstinguunt; sed, ut dicitur:

Turpius ejicitur, quam non admit-
[titur hospes.

— Quinti et ultimi sunt, qui bona inchoant, et ad finem proficiendo perducunt; apud istos mansiones Dominus facit et eos valde diligit.

4 TRES VIGILIÆ IN SENSU LITTERALI ET MORALI. — In nocte ergo hujus seculi semper debemus vigilare, et contra hostes nostros solliciti esse et exspectare Judicem, et Dominum omnibus hominibus, in qualibet ætate paratis lucem perpetuam ministraturum. Et ideo, si in prima vigilia et ætate, negligentes fuimus, nec sic desperare, et a bono opere cessare debemus. Nam longanimitatis suæ patientiam insinuans Dominus, subdit : ***Et si venerit in secunda vigilia***, et ætate, ***et si in tertia vigilia***, et ætate ***venerit***, in morte, vel judicio, ***et ita invenerit*** eos, scilicet vigilantes, et in bono perseverantes, ***beati sunt servi illi***, nunc in spe, et postea in re. Ubi ait *Gregorius* : « Prima vigilia primævum tempus est vitæ nostræ, id est pueritia; secunda, adolescentia vel juventus; tertia autem senectus accipitur. Qui ergo vigilare in prima vigilia noluit, custodiat vel secundam, et qui in secunda noluit, tertiæ vigiliæ remedia non omittat, ut qui converti in pueritia neglexit, saltem in tempore juventutis, vel in senectute resipiscat. » Sed, ut ait idem *Gregorius*, nemo hanc longanimitatem Dei negligat, quia tanto districtiorem justitiam in judicio exiget, quanto longiorem patientiam ante judicium prorogavit. Unde *Alcuinus* : « Satis est alienus a fide, qui ad agendam pœnitentiam tempus senectutis exspectat; timendum est enim ne dum exspectat misericordiam, incidat in judicium. Sed, heu! hodie homines florem juventutis in vanis consumunt, et fæcem senectutis in agendo pœnitentiam vix expendunt. » Unde et *Seneca* de talibus loquens, sic ait : « Quemadmodum ex amphora primum quod est sincerissimum effluit, gravissimum quoque turbidumque subsidet; sic in ætate nostra quod

est optimum in primo est, idque exhauriri in aliis potius patimur, ut nobis fæcem servemus. » Vigilias hic vocat a similitudine excubantium in nocte; quia in hujus mundi nocte semper debemus solliciti lucem venturam, id est adventum Judicis, exspectare, quia nescimus quando Dominus veniet, an mane, id est in juventute, an galli cantu, id est in virili ætate, an media nocte, id est in senectute, an sero, id est in senio. Et, quia in quolibet horum statuum aliqui moriuntur, et Domini adventus est nobis incertus, ideo in quolibet statu, et omnibus ætatibus vigilare debemus, et parati esse per justitiam ad recipiendum mortem, ut in morte Dominum venientem recipiamus per bonam voluntatem.

5 Scientia culpam aggravat, nec excusat ignorantia affectata. — Et, ne quis confidat de status dignitate, aut de scientiæ claritate, si male servierit, subjungit quod, *ille servus*, ut non sit discretio in genere, *qui cognovit voluntatom Domini sui*, bonam, et ad implendum obligantem : *et non se præparavit*, ad bonum, *et non fecit secundum voluntatem ejus*, ipsam in opere adimplendo, et etiam in opere potissimo, ac magis beneplacito Domino ; plagis *vapulabit*, id est punietur, *multis*, quia peccavit in multis, et quia contempsit non faciendo quod faciendum sciebat. Talis enim non ex ignorantia, sed ex certa scientia peccat, et scienter peccans magis Dominum contemnit, et plus offendit, ac vivus in infernum descendit. Ecce quod scientia aggravat culpam. Unde ait *Gregorius* : « Ubi donum majoris scientiæ, ibi transgressor majori subjacet culpæ. » Unde et *Chrysostomus* : « Levior culpa est veritatem non apprehendere, quam contemnere apprehensam. Non enim similiter in omnibus omnia judicantur, sed major cognitio fit majoris pœnæ occasio. » Unde sacerdos eadem peccans cum populo, multo graviora patietur. *Qui autem* servus scilicet, *non cognovit*, scilicet voluntatem Domini, sed scire potuit si negligens non fuisset, *et fecit*, peccata, *digna plagis*, et punitione, *vapulabit paucis*, et minus punietur, ceteris paribus, quam qui scienter peccat, et ex certa malitia; quoniam talis peccat ex ignorantia, quæ diminuit de peccato, nisi fuerit affectata, sicut cum aliquis vult ignorare illud, quod tenetur facere vel vitare, ut licentius possit peccare : ex magna enim libidine peccandi provenit, cum aliquis vult illud ignorare, cujus scientia posset eum a peccato impedire, vel retrahere. Multi quidem æstimantes se minus vapulaturos, si nesciant quod operari debeant, avertunt aurem, ne verbum Dei, et veritatem audiant vel intelligant; sed cum possent scire, si studium vellent adhibere, non ut nescientes, sed ut contemptores judicabuntur, quia ille solus non cognoscere dicendus est, qui apprehendere vult, sed non valet; de talibus personis legitur in Job, quod dixerunt Deo : *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Unde ait *Beda* : « Multi hanc sententiam male intelligentes, nolunt scire quid faciant, et quasi minus se vapulaturos æstimant, si nesciant quid operari debuerant. Sed errant : aliud enim est nescisse, aliud est scire noluisse : nescit namque, qui apprehendere vult, et non valet; qui autem, ut nesciat, aurem a voce veritatis avertit, iste non nesciens, sed contemptor merito dicitur. » Unde et *Chrysostomus* : « Non est eis excusatio condemnationis ignorantia veritatis, quibus fuit inveniendi facilitas, si fuisset quærendi facultas, nam veritas, salus, et vita cognoscentium se magis debet quæri, quam quærere. » Unde etiam *Bernardus* : « Multa scienda nesciuntur : aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut verecundia inquirendi, et quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem. » Et iterum : « Frustra sibi de infirmitate, vel de ignorantia blandiuntur, qui ut liberius peccent, libenter vel ignorant, vel infirmantur : » hæc *Bernardus*. Sed pauci per ignorantiam excusantur, quia, ut ait *Leo* Papa, intonante quotidie auribus nostris eloquio Dei, omnis homo quid divinæ justitiæ placeat, scire convin-

citur. Unde et *Beda* : « Nemo igitur ex eo quod dictum est, servum nescientem voluntatem Domini vapulare plagis paucis, interpretandum de remedio nesciendi præsumat, qui, ut alia taceam, ex eo ipso quod homo est, nec mala quæ caveat, nec bona potest ignorare quæ appetat. » Ut autem hic dicit *Glossa* : « Inter omnes pœnas mitissima est eorum, qui præter originale peccatum nullum addiderunt; minor postea eorum, qui ex ignorantia peccaverunt; postea eorum qui ex infirmitate, tamen scienter; postea eorum qui ex malitia. » Et nota, quod licet gravius sit peccare ex certa scientia, periculosius tamen est peccare ex ignorantia.

6 Plus quæritur ab eo qui plus accepit. — Deinde reddit causam jam dictorum, quia ab *omni cui multum datum est*, et cui plus commissum est de gratiis, multum exigetur et *quæretur ab eo* : in hoc tempore, ut non solum sibi, sed etiam aliis proficere conetur; et in die judicii, quando de omnibus commissis, ratio exigetur; *et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo*. Quanto enim Dominus plura dona, et bona homini confert; tanto magis, et majore contemptuis Dominum offendit cum peccat, et ideo magis punietur, quia : *Potentes potenter tormenta patientur*, et : *Fortioribus fortior instat cruciatio*. Et ergo merito cognoscens plus, et non cognoscens minus vapulabit, quia isti plus, illi minus est commissum : hoc specialiter potest intelligi de his quæ data sunt prælatis ad regimen aliorum, vel generaliter de his quæ data sunt unicuique ad regimen proprium; et hoc sive sint bona naturæ, sive fortunæ, sive gratiæ. Unde ait *Beda* : « Multum sæpe datur etiam quibusdam privatis, quibus etiam cognitio Dominicæ voluntatis, et exsequendi quæ cognoscunt facultas impeditur; multum autem commendatur illi, cui cum sua salute, Dominici quoque gregis pascendi cura committitur, majori ergo gratia donatos, si deliquerint, major vindicta sequetur. » Unde et *Chrysostomus* : « Quanto enim majus aliquis beneficium accipit, tanto magis est obnoxius pœnæ ingratus existens, et neque honore melior effectus; propter hoc utique et divites pauperibus magis puniuntur, mali existentes, quoniam neque in copiositate facti sunt mansueti : » hæc *Chrysostomus*. Et non tantum reddemus rationem de his quæ accepimus, sed de his quæ accipere potuimus, si per nos non stetisset; quod intelligentes et desides valde terrere deberet.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui jussisti et lumbos restringere, et lucernas ardentes tenere, tu ipse lumbos nostros præcinge, ut nulla nobis dominetur iniquitas, et ad nullum declinemus peccatum; lucernas nostras tu ipse fac ardere, ardentesque custodi, ut non refrigescat nostra caritas, sed semper ad tuam justitiam faciendam omnis nostra cogitatio, locutio, et operatio dirigatur. Fac me, Domine, vigilanter et sollicite adventum tuum exspectare, ut lætus te suscipiens ad gaudia æterna valeam, te miserante, pervenire. Amen.

CAPUT XLVIII

DE DECEM VIRGINIBUS.

Matthæi cap. XXV.

1 Universitias judicandorum in tres status distinguitur. — Postquam Dominus ostendit quædam antecedentia judicium, et monuit ad vigi-

landum, consequenter describit ipsum judicium. Et quia universitas judicanda distinguitur in tres status, scilicet : activorum, contemplativorum et prælatorum, ideo tres ponit parabolas ad istas tres pertinentes.

2 PARABOLA DE DECEM VIRGINIBUS SPECIALITER AD CONTEMPLATIVOS SPECTANS. — Prima est de decem virginibus, et pertinet specialiter ad contemplativos, virginitas enim vitam contemplativam significat, quoniam castitas mentem a carnalibus elevat, et sic ad contemplationem veritatis disponit; numerus autem denarius universitatem contemplativorum significat, quia numeri solum usque ad decem procedunt; vel, decem propter operum Legis observantiam. Nihilominus tamen ad omne genus hominum potest hæc parabola referri : et primo circa vitam contemplantium, et consequenter etiam aliorum, ponitur meritum et demeritum; secundo, examinationis judicium. Optat quippe Dominus ut nos, cum venerit, inveniat præparatos, et cum eo januam cœlestis regni intremus, et ne excludamur improvidentia fatuitatis, et nobis claudatur janua Sponsi cœlestis; unde vigilare oportet, quia nescimus quando Sponsus veniet. Et cur sit opus vigilare, docet, et ad hoc parabolam de decem virginibus inducit. *Simile erit regnum cœlorum*, id est præsens Ecclesia militans specialiter, quantum ad statum contemplantium, et nihilominus quantum ad statum aliorum, *decem virginibus*, scilicet continentibus. *Quinque autem ex eis erant fatuæ*, quia vanitati quinque sensuum servierunt, et opera sua bona de genere, non ad finem debitum ordinantes, propriam gloriam, et favorem, seu laudem hominum, vel quæstum principaliter in eis intenderunt; *et quinque prudentes*, quia veritati pro æternis servierunt, et opera sua bona ad finem debitum, scilicet ad gloriam Dei principaliter, et ad perfectionem sui, et ad ædificationem proximi consequenter, ordinaverunt.

3 HIS VIRGINIBUS SIMILIS ECCLESIA. — His recte Ecclesia similis perhibetur, quia in ea et boni religiose, et mali superstitiose conviventes permixtim continentur, qui per quinque prudentes, et per quinque fatuas virgines, per quinque partitam sensuum continentiam a carnis illecebris, et voluptatibus significantes, intelliguntur. Quicumque enim opera sua bona pro vana gloria, vel quæstu faciunt, fatui quidem sunt, etsi prudentes esse videantur. Inde enim et virgines dicuntur, quia bona operantur et boni ab hominibus videntur. Sunt enim in actione virgines et intentione corrupti, quia bona quæ agunt, non casta et sincera intentione faciunt; et merito dicuntur virgines fatuæ, quia bonum opus de genere perdunt, propter defectum intentionis rectæ : magna quippe fatuitas est difficilia et ardua aggredi, et sustinere, sine fructu et utilitate. Magna enim fatuitas est jejunare, vigilare, carnem affligere, orare, et similia facere, et nullam inde aliam mercedem, nisi vanam gloriam exspectare; de talibus enim Dominus ait : *Receperunt mercedem suam*. Prudentes vero virgines totam intentionem ad Deum referunt, et pro operibus suis a Deo, cui soli placere cupiunt, mercedem recipiunt; prudentia quippe magna est, ex modicis magna, et ex temporalibus acquirere sempiterna. Et in his dividitur totus mundus, et tota fidelium multitudo, quia, ut dicit *Hieronymus* : « Sancta Ecclesia virgines prudentes habet pro Deo bene operantes, et fatuas, pro vana gloria laborantes. Videat ergo unusquisque, ut bonum opus bene, et bona intentione faciat : quia non bonum facere, sed bene facere laudabile est; non enim verbis meremur, sed adverbiis, id est non in eo quod aliquid facimus, sed in eo quod bene facimus : » hæc *Hieronymus*.

4 OLEUM LAMPADUM. — *Quæ* omnes scilicet virgines istæ, tam fatuæ quam prudentes, *accipientes lampades suas*, id est opera bona de genere boni, *exierunt obviam sponso et sponsæ*; ad hoc enim debet ordinari exercitium vitæ nostræ, ut homo possit secure et decenter Christo ad judicium venienti obviare. *Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus*, id est operibus

suis, *non sumpserunt oleum secum*, id est non habuerunt spirituale gaudium, quod oritur ex operibus bonis, propter Deum factis, et hoc propter defectum rectæ intentionis. Ut enim dicit *Augustinus* : « Qui non propterea gaudet, quia intrinsecus Deo placet, non habet oleum secum. » *Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis*, id est intra conscientias, *cum lampadibus*, id est cum bonis operibus. Hoc est, ut dicit idem *Augustinus*, lætitiam bonorum operum in corde atque conscientia posuerunt, quia propter rectitudinem intentionis gaudent in Domino de suis operibus bonis. Dicitur autem gaudium istud *oleum*, quia nutrit et fovet caritatis ignem. Ex hoc enim quod aliquis delectatur in opere, fortius et melius operatur et per consequens disponitur, ut ei major caritas infundatur. Omnes quippe virgines tam fatuæ, quam prudentes acceperunt oleum, in vasis cum lampadibus; fatuæ autem solum in lampadibus non in vasis, ita quod vasa habuerunt vacua; sic in Ecclesia quidam accipiunt oleum in lampadibus quasi videantur ab hominibus boni, interius autem sunt bonitate vacui et mali.

5 Mora Sponsi, dormitio virginum, et clamor eas a somno excitans. — *Moram autem faciente Sponso*, id est Christo differente judicium, scilicet donec impleatur numerus electorum, *dormitaverunt omnes* virgines, quantum ad languorem corporis, *et dormierunt*, quantum ad somnum mortis; vel dormitaverunt per inertiam et negligentiam. Unde *Chrysostomus* : « Tardante consummatione seculi, non solum peccatores, sed justi et spirituales ad negligentiam sunt devolvendi, et ad carnalia delectamenta transituri, ut impleatur illud Psalmistæ : *Salvum me fac Deus, quoniam defecit sanctus ; quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.* » Et bene comparatur mors somno, quia a morte erit ad vitam excitatio. Deinde ponitur examinationis judicium circa prædicta opera contemplantium, et aliorum, cum dicitur : *Media autem nocte*, id est subito, nullo sciente aut sperante; quia sicut fur, ita dies Domini in nocte veniet, cum enim tempus judicii est nobis occultum, ideo signatur per mediam noctem, quia illa quæ fiunt nocte media, sunt hominibus occulta ; media ergo nocte, *clamor factus est*, tubantium Angelorum, excitans mortuos et convocans ad judicium : *Ecce Sponsus venit, exite obviam ei.* O quantus clamor, quia non erit anima ita alte in cœlo, nec ita profunde in inferno, nec corpus in sepulchro, quin audiat hunc clamorem, et contremiscat! Ad litteram, media nocte, secundum quosdam, fiet judicium. Qua ergo hora Angelus Ægyptum devastavit, et Dominus infernum spoliavit, eadem hora electos suos de hoc mundo liberabit; sed, secundum alios, de die celebrandum dicitur, quia scriptum est : *Nox* illa *sicut dies illuminabitur.*

6 Vana petitio virginum oleum in vasis suis non habentium. — *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ*, fatuæ et prudentes, quia omnes scilicet boni et mali resurgent, ut in judicio appareant, *et ornaverunt lampades suas*, id est, aptaverunt rationes operum suorum reddendas, cogitando et numerando apud se opera sua, pro quibus exspectabant remunerationem; iste enim ornatus non est aliud nisi recursus ad mentem, cogitando de justitia operum suorum, et bonitate circumstantiarum, ac de reddenda ratione eorum : hoc enim commune est fatuis et prudentibus; sed in fatuis est vana fiducia, in prudentibus vera. Ad veritatem quippe ornatus: lampadis tria exiguntur, videlicet claritas vitri, in quo significatur puritas quoad seipsum; plenitudo olei, in quo misericordia quoad proximum; inflammatio ignis, in quo fides cum dilectione quoad Deum, quæ omnia in prudentibus sunt, et in fatuis deficiunt. *Fatuæ autem* sua fiducia deceptæ *sapientibus dixerunt* : *Date nobis de oleo vestro.* Quasi dicerent : Justitia vestra sufficiens est vos glorificare, et nos excusare ; excusetis ergo nos, vel feratis testimonium de operibus nostris quæ vidistis, quia continentes et fideles; *quia lampades no-*

stræ exstinguuntur, id est opera nostra quæ videbantur nobis lucere, et clara hominibus foris apparere, in adventu Judicis intus obscurantur; oleo etenim veræ gloriæ et intentionis rectæ privantur. Nam, secundum *Augustinum*, quorum facta tantum aliena laude fulciuntur, eadem subtracta deficiunt. *Responderunt prudentes, dicentes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis*. Ista petitio vana et responsio negativa signant quod nullus tunc ad alium quantumcumque justum poterit pro auxilio habendo accurrere; nec aliquis quantumcumque justus poterit alium juvare, sed vix sibi soli sufficit sua justitia. Unde *Augustinus :* « Unusquisque pro se rationem reddet; nec alieno testimonio quisque adjuvabitur apud Deum, sed vix sibi quisque sufficiet, ut ei testimonium perhibeat conscientia sua. » Unde et *Hieronymus* : « Hoc non de avaritia, sed de timore dicunt, quia unusquisque de operibus suis mercedem accipiet; nec possunt in hac die judicii aliorum virtutes, aliorum vitia sublevare. » *Ite* ergo *potius ad vendentes et emite vobis* ; quasi eis dicerent, secundum *Augustinum*, crimen eorum commemorando, videamus nunc quid vos adjuvent, qui vobis laudes vendere consueverunt, et vos in errorem inducere, ut non coram Deo, sed ab hominibus gloriam quæreretis. Exprobratio est fatuitatis præteritæ, in hoc quod bona opera de genere, dederunt pro favore laudis humanæ ; quia venditores sunt adulatores. Quasi dicerent eis : Considerate quid valuit vobis, pro tali favore continenter vivere.

7 Virginibus prudentibus in cœlum introductis, clauditur janua fatuis non aperienda. — *Dum autem irent emere*, tropice loquitur, id est si adhuc viverent et invenirent, irent emere; in quo implicatur quod remanet affectus et habitus vanitatis præteritæ, id est, secundum *Augustinum*, dum inclinarent se in ea, quæ foris sunt, et solita gaudia requirerent, *venit Sponsus*, scilicet ille qui judicat, id est Christus, ut remunerationem bonorum faciat; *et quæ*, per opera caritate formata, *paratæ erant*, scilicet prudentes virgines, quibus, secundum *Augustinum*, bonum testimonium coram Deo conscientia perhibebat, *intraverunt cum eo ad nuptias*, scilicet ad cœlestis regni gloriam. *Et*, fatuis exclusis, et ad pœnam relictis, *clausa est janua*, id est aditus ad regnum cœlorum, qui non est alicui possibilis post judicium. Janua, inquam, triplex est, scilicet : misericordiæ, ad indulgendum, quæ modo omnibus aperitur; gratiæ, ad merendum, quæ modo omnibus offertur; gloriæ, ad intrandum, quæ modo omnibus pœnitentibus reseratur; ergo clausa est exclusis reprobis, inclusis electis, operibus consummatis. Non enim, ut ait idem *Augustinus*, post judicium patet precum aut meritorum locus. Unde et *Chrysostomus :* « Ita est terribile illud judicium, ut nec innocentia sibi confidat. Tantus timor erit omnium, etiam Sanctorum, ut nemo speret se justum inveniendum; sed adhuc timeat ne forte reus existat. Quomodo ergo pro peccatoribus tunc intercedant Sancti, cum timeant ipsi de se? Nam sicut tempus misericordiæ judicium non recipit, sic et tempus judicii misericordiam non recipit; ubi autem locum misericordia non habet, nec intercessio valet. » Unde etiam *Gregorius :* « O si sapere in cordis palato possit, quid admirationis habet quod dicitur : *Venit Sponsus !* Quid dulcedinis : *Intraverunt cum eo ad nuptias!* Quid amaritudinis : *Et clausa est janua !* Tunc regni janua lugentibus clauditur, quæ modo quotidie pœnitentibus aperitur, quia nequaquam tunc veniam invenit, qui modo tempus veniæ apertum perdit. Ibi a Domino non potest mereri quod petit, qui hic noluit audire quod jussit : » hæc *Gregorius*. *Novissime*, per nimis tardam et infructuosam pœnitentiam, *veniunt et reliquæ virgines, dicentes : Domine, Domine, aperi nobis ;* per hoc quod vocant eum Dominum, significatur quod crediderunt in Christum. Unde *Hieronymus :* « Egregia quidem in Domini appellatione confessio, idemque repetitum judicium fidei est. Sed, quid prodest voce invocare, si

operibus neges? » Non humanis verbis hæc aguntur, sed conscientiæ sibi loquuntur. Et, quia fides eorum fuit informis, et, secundum *Augustinum*, magna ejus severitas post judicium, cujus ante judicium ineffabilis misericordia prærogata est; ideo, *ille respondens, ait : Amen dico vobis, nescio vos*, id est non cognosco, scilicet notitia approbationis, qua soli electi a Deo cognoscuntur. Quasi diceret : Ideo vos desero, quia vitæ meritum in vobis non cognosco. Nescit eas et repellit, qui, secundum *Augustinum*, non intrant in gaudium ejus, qui non coram Deo, sed ut placerent hominibus, visi sunt aliquid secundum præcepta ejus operari.

8 Conclusio et scopus hujus parabolæ. — In fine autem hujus parabolæ intentam conclusionem infert ad nostram instructionem, dicens : *Vigilate itaque*, ad habendum fidem caritate formatam, et vos ad mortem et judicium sollicite parando, antequam veniat Sponsus vos ad hoc subito vocando; *quia nescitis diem neque horam*, mortis vel judicii, sed de utroque incerti estis. Ecce quo parabola tendit, ut quia ignoramus diem judicii, et etiam mortis nostræ dubiæ, sollicite testimonium bonæ conscientiæ nobis præparemus; ne, si Judex nos inveniat imparatos; cum fatuis virginibus foris et extra januam remaneamus. Singulorum enim discutientur actus, accusante vel excusante conscientia unumquemque. Unde *Hieronymus* : « Ex hoc autem quod infert : *Vigilitate itaque, quia nescitis diem neque horam*, intelliguntur universa quæ dicta sunt esse præmissa, ut quia ignoramus judicii diem, solliciti nobis lumen bonorum operum præparemus; vigilia enim opus est mentis, ante mortem corporis. » Ut autem dicit *Augustinus*, non solum illius ultimi temporis, quo venturus est Sponsus, sed et suæ quisque dormitionis, diem et horam nescit. Quisquis autem paratus est usque ad mortem, quæ omnibus debetur, paratus invenietur etiam cum illa vox media nocte sonuerit, qua omnes evigilaturi sumus. « Itaque, ut dicit *Chrysostomus*, revocemus ad memoriam exemplum, quod de virginibus refertur, quæ exclusæ sunt a thalamo Sponsi, propter olei defectum. Ponamus nosmetipsos in illis quæ excluduntur, et inde quis dolor, quæ pœna sit, si cogitemus posse etiam nos eadem pati, cum negligimus? Estne aliquis ita lapideus qui hoc exemplo non moveatur, et timeat ne similia incurrat? » hæc *Chrysostomus*. Igitur vigilemus, et opera lucis agentes in vigilia hujus vitæ ornemus lampades nostras et opera; ut habentes oleum, ac gloriam, et gaudium in conscientiis nostris, præparati intremus cum Sponso ad nuptias regni cœlestis. Unde dicit hic *Chrysostomus*, quod Judæi exituri de Ægypto expediti et præcincti agnum jussi sunt manducare, et ad eumdem parati, ostendentes nobis quoniam quicumque nostri Agni Eucharistiam manducant, ita debent esse expediti, quasi quotidie exituri de mundo. Ad hoc ergo tendit ista parabola, ut ad futura oculos cordis aperiamus, mala evadamus, deserendo culpam, bona promereamur, sectando justitiam ; et cum omni diligentia quotidie exspectemus Domini adventum, cujus nescimus diem neque horam. Ubi dicit *Gregorius* : « Quia post peccata Deus pœnitentiam suscipit, si sciret quisque de præsenti seculo, quo tempore exiet, aliud tempus voluptatibus atque aliud pœnitentiæ aptare potuisset; sed qui pœnitenti veniam spondet, peccanti diem crastinum non promisit. Semper ergo extremum diem debemus metuere, quem numquam possumus prævidere. Illa hora est nostri exitus semper intuenda; ista Redemptoris admonitio ante mentis oculos est semper ponenda, qua ait : *Vigilate ergo, quia nescitis diem neque horam* : » hæc *Gregorius*. Illi ergo, qui exspectant ut in ultima hora convertantur falli possunt; qui vero in bono perseverant, falli non possunt. Omnis enim homo in eo judicatur, in quo invenitur; et ergo numquam nisi in bono judicantur, qui semper in bono inveniuntur. Igitur, ut ait *Richardus*, debet anima perfecta, et assidue summorum contemplationi debita, omni

hora peregrinationis suæ terminum, et ergastuli hujus egressum, cum suo desiderio exspectare ; et ad illud divinæ contemplationis spectaculum, quod in futura vita speramus, animum suum suspendere ; et in ejusmodi exspectatione vehementi desiderio anhelare, ut id quod interim videt per speculum, et in ænigmate, mereatur facie ad faciem videre.

ORATIO

Domine Jesu Christe, Sponse bone, da mihi cum prudentibus virginibus bona opera, et intentione recta facere, ac in eis vigilanter perseverare, ut paratus inventus, ad nuptias tuas valeam gaudenter intrare. Peto, Domine, ut notum facias mihi finem meum antequam veniat, et ne me ante finiri sinas, quam peccata mea dimittas, ut in hora exitus mei ultio divina super me non veniat, et potestas tenebrarum mihi non occurrat, nec noceat ; sed talem me dies examinationis reddat, qualem me fons regenerationis exhibuit. Amen.

CAPUT XLIX

DE TALENTIS ET BONIS A DOMINO SERVIS TRADITIS.

Matthæi cap. XXV, Marci cap. XIII et Lucæ cap. XIX.

1 Parabola de talentis specialiter ad prælatos spectans. —Subjungit Dominus secundam parabolam de talentis, quæ specialiter pertinet ad prælatos, quia licet omnes, maxime tamen prælatos inducit, ut vigilantes gratiis et donis a Deo receptis bene utantur ad Dei gloriam, et sui perfectionem, et proximi ædificationem, et fructum afferant, exemplo servorum, qui de talentis lucrati sunt, et a Domino veniente remunerati ; nec abscondant in terra, vel sudario, prædictis utendo ad mundi gloriam vel temporale lucrum, seu carnale commodum, ne ut servus piger et torpens damnentur, ac foras extra conventum Sanctorum in tenebras exteriores et infernales ejiciantur. Et primo, circa statum prælatorum specialiter, et nihilominus aliorum describit meritum et demeritum propriæ actionis ; secundo, judicium discretionis, ideo dicit : Dico vobis ut vigiletis benefaciendo, et in bonis perseverando, quia nescitis diem adventus Sponsi et Judicis, sicut hominis peregre proficiscentis incertus est reditus servis suis.

2 Quinam sunt duplicantes et abscondentes talenta ? — Sponsus enim prædictus, *sicut homo peregre proficiscens*, secundum corpus, scilicet ad cœlestem patriam carnem nostram portans, peregrinatio enim fuit cœlum carni, vel quia a nobis non videtur in præsenti, *vocavit servos suos et tradidit illis bona sua*, scilicet talenta : quinque, duo, et unum ad fructificandum, *unicuique secundum propriam virtutem*, scilicet susceptivam, ne quem gravaret, nec cuiquam deficeret ; et est argumentum inde, quod Deus non præcipit impossibile : *et profectus est statim*, liberam eis potestatem operandi permittens. *Abiit autem*, per affectum voluntatis, *qui quinque talenta acceperat*, id est donum quinque sensuum, et exteriorem scientiam quinque sensibus acquisitam, *et operatus est in eis*, per exercitium exterioris operis, *et lucratus est alia quinque*, quia merita sua multi-

plicavit, ex creaturis Creatorem, ex corporalibus spiritualia, ex temporalibus æterna cognoscens, ac fructum ædificationis in proximis faciens. *Similiter et qui duo acceperat*, scilicet intellectum Scripturarum et operationum, *lucratus est alia duo*, scilicet bonum sapientiæ a se diffundendo in proximum per verbum prædicationis, et bonum operationis per exemplum ædificationis. *Qui autem unum acceperat*, scilicet solam intelligentiam Scripturarum, *abiens fodit in terra*, curvitate terrenæ intentionis et carnalis actionis; *et abscondit pecuniam domini sui*, sine ædificatione proximi. Unde *Gregorius* : « Talentum in terra abscondere, est acceptum ingenium in terrenis actibus implicare, et non lucrum spirituale quærere. » In his ergo tribus servis significantur omnia genera hominum, quibus competit negotiatio activæ vitæ, scilicet : imperfecti, perfecti et mali. Imperfecti, quia pluribus indigent, designantur in illo qui accepit quinque; perfecti, in illo qui accepit duo; mali, in eo qui accepit unum. Illi autem duplicant talenta, qui ex eis faciunt opera bona; illi vero abscondunt, qui otiose vivunt, vel ex eis temporalia lucra quærunt.

3 PRÆMIUM SERVORUM, QUI FRUCTIFICARE TALENTA FECERUNT. — Examinationis judicium circa prædicta ponitur, cum dicitur : *Post multum vero temporis*, scilicet in secundo adventu, *venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis*, requirens a singulis de commisso rationem, exquirens merita, et exigens cum usura quod tradidit. Quid quisque accepit, consideret; et quod lucrum de acceptis reportet, penset. *Et accedens qui quinque talenta acceperat*, id est præparans se et confidens de reddenda ratione, *obtulit alia quinque talenta; et qui duo acceperat, obtulit alia duo*; multiplicata enim talenta sunt multiplicata merita, quæ offeruntur, cum a Deo acceptantur. Obtulit, inquam, *dicens : Domine, quinque*, vel *duo, talenta tradidisti mihi*, confitetur gratitice, et totum ei deputat, quia ab ipso accepit; *ecce alia quinque* vel *duo, superlucratus sum*, id est multiplicata sunt merita ex gratia tua, cum usu liberi arbitrii. Et *ait illi* utrique *dominus ejus : Euge*, quod est interjectio gaudentis, id est, secundum *Chrysostomum*, bene sit tibi : *serve*, per propriam humiliationem quoad teipsum, *bone*, per divinam assimilationem quoad Deum, *et fidelis*, per utilem dispensationem quoad proximum; vel, bone et fidelis, quærens in actibus suis gloriam domini sui, non suam. *Quia super pauca fuisti fidelis*, scilicet super bona vitæ præsentis, *super multa te constituam*, scilicet bona vitæ sequentis, de quibus Psalmista sic dicit : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te*. Unde *Chrysostomus* : « Pauca sunt quæ in hoc seculo nobis præstantur, multa quæ in illo servantur. » Unde et *Hieronymus* : « Omnia, quæ in præsenti habemus, licet magna videantur et plurima, tamen comparatione futurorum parva et pauca sunt. » *Intra* ergo *in gaudium Domini tui*, et suscipe quæ *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*; et bene dicit, *intra*, ut ex omni parte gaudium habeat : sursum ex visione Dei, deorsum ex consideratione inferni, interius ex gloria conscientiæ, exteriusque ex decore omnis creaturæ. Gloriose consummato cursu certaminis, in gaudium Domini sui intrabit, qui centum millibus prædicans, vel unam animam lucratam Domino suo reportaverit; nec ideo minus gloriose si nullam, dummodo fideliter pro posse faciat quod faciendum est pro salute. Nempe miles strenuus in certamine commendatur, si constanter et legitime certaverit, etiamsi domino suo triumphum non obtinuit; sic et Doctor Gentium, repositam sibi habere coronam justitiæ gloriabatur non minus, quam si omnes quos converterat, in vera et fide et unitate sanctæ matris Ecclesiæ perstitissent

4 REPREHENSIO SERVI PIGRI. — *Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait : Domine, scio quia homo durus es*, graviter puniens delinquentes, *metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti*. Seminat

Deus notitiam, in prædicatione veritatis; spargit virtutem, in exemplo bonitatis; metit ergo ubi semen Legis vel Evangelii non ministravit, et colligit ubi bonitatis exempla in Patribus Veteris vel Novi Testamenti non sparsit. In prælatis etiam Ecclesiæ non solum requirit bona in persona propria, sed etiam in aliena, scilicet in subditis eorum, quia eorum officium est alios et maxime subditos inducere ad bonum. *Timens* itaque, scilicet aggredi altioris vitæ statum, ne ipse periclitaret quærens salutem aliorum, *abii et abscondi talentum tuum in terra*, hoc est non sum usus notitia mihi data propter æterna, sed propter terrena; *ecce habes, quod tuum est.* Quasi diceret: Sufficit mihi, quia tenui quod habui, nec aliis ministravi. Iste timor servi pigri non est nisi pusillanimitas bene agendi Ut autem dicit *Chrysostomus*, etsi talentum non perdidit, reus tamen est damni; sicut qui causa seminandi semen accipiens tempore seminationis non seminaverit, domino suo damnum fecit, etsi semen non perdidit, quantum poterat lucrum facere si opportuno tempore seminasset. *Respondens autem Dominus ejus, dixit ei: Serve, male*, propter calumniam respectu Domini, *et piger*, in multiplicatione respectu proximi, *sciebas quia meto ubi non semino*, multa magis ubi semino, *et congrego ubi non sparsi*, multo magis ubi sparsi. Quasi diceret: Pro omissione veritatis et virtutum judico illos quibus non prædicavi, nec exemplum bonitatis proposui; ergo multo magis te, cui talentum notitiæ meæ ad negotiandum commisi; et sic te accuso, ex quo te excusas. *Oportuit ergo te* ad tuum meritum, et ad aliorum commodum, *pecuniam meam*, id est sermonem vel legem, dare gratis ad mensam, id est ad aliorum refectionem internam, et *committere nummulariis*, id est auditoribus, qui quod audiunt operantur, vel potius docere alios, qui postea aliis ministrarent; *et veniens ego*, ad discutiendum merita, *recepissem quod meum est cum usura*, id est te *utique* et ipsos quos mihi acquisivisses: hæc enim est usura spiritualis, scilicet lucrum animarum, quæ maxime placet Deo.

5 Talentum ab eo aufertur. — *Tollite itaque ab eo talentum*, id est donum sibi traditum, scilicet naturalis ingenii vel notitiæ; et loquitur permissive, quia Dominus auferri permittit intelligentiam, vel per vitia, vel per dæmones, quando homo infatuatur in eligendo malum, vel infatuatur propter scientiæ abusum, vel non recipit mercedem, sed pœnam, quia bona divinitus collata non cedent male operantibus vel otiosis, ad gloriam, sed magis ad confusionem; *et date ei qui habet decem talenta*, quia damnatio reproborum cedet ad gloriam electorum, secundum illud Psalmi: *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Ex quo patet, quod non permittit Deus fieri malum, nisi inde efficiat aliquod bonum; jussit autem potius dari illi qui habebat decem, quam illi qui habebat quatuor, quia minus habuit qui quinque acceperat quam qui duo; per quinque enim significatur exteriorum scientia, secundum quinque sensus; sed per duo, operatio voluntatis et intellectus, oportuit ergo illi qui habuit exteriorum scientiam et administrationem, dari et intellectum interiorum, qui per unum intelligitur talentum. *Omni enim habenti*, et bene utenti, *dabitur* incrementum ejus quod habet, *et abundavit*: habenti enim sollicitudinem ministrandi verbum Dei, dabitur gratia, et abundabit in efficaci doctrina; item, habenti caritatem, dabitur augmentum caritatis, et abundabit usque ad perfectionem; item, habenti meritum, dabitur præmium, et abundabit, quia remunerabitur supra condignum. Augetur enim gratia ei qui laborat in ea, nam laborando meretur augeri, et ei qui reperitur in gratia, dabitur gloria et abundabit, non solum de sua et aliorum glorificatione, sed etiam de impletione justitiæ in malorum reprobatione. *Ei autem qui non habet*, studium vel caritatem, et bonum doni collati usum, *et quod videtur habere*, naturali ingenio vel studio litterarum, ac donum sibi collatum, *auferetur*

ab eo; item, ei qui non habet fidem, ut in Deo non credenti, etiam quod videtur habere, scilicet Legis scientia auferetur ab eo; item, ei qui in morte non inventus fuerit in gratia, bona naturæ et gratiæ cedent ei ad pœnam. Ut autem dicit *Augustinus*, omnis res quæ danda non deficit, si habetur et non datur, non habetur quomodo habenda est; et ut idem dicit, dare habenti, fuit misericordiæ, auferre non habenti, justitiæ. Prudenter ergo et fideliter laborantem, ac bonum usum in Dei munere habentem ampliori gratia Dominus donat; et otia sectantem, ac munere Dei non bene utentem, eo quod dederat, privat. Unde dicit *Gregorius*, quod quisquis caritatem habet, etiam alia dona percipit; quisquis caritatem non habet, etiam dona quæ percepisse videbatur, amittit.

6 Mittitur in tenebras exteriores. — Deinde, inutilem servum talento privatum jubet mitti in gehennam: *Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores*, id est corporales, quia, ut ait *Hieronymus*: « Dominus lumen est, qui igitur ab eo foras mittitur, caret lumine. » Exteriores tenebræ sunt mala corporis; interiores sunt mala animæ. Unde *Gregorius*: « Interiores tenebræ, sunt cæcitas mentis; exteriores æterna nox damnationis; qui ergo hic sponte cecidit in cæcitatem mentis, illic projicietur in noctem damnationis. » Unde et *Rabanus*: « Per pœnam in exteriores tenebras cadit, qui per culpam suam sponte in interiores occidit; ibi coactus patitur tenebras voluptatis: » hæc *Rabanus*. *Illic erit fletus*, proveniens ex fumo caloris; *et stridor dentium*, ex passione frigoris; vel, *fletus et stridor dentium*, id est dolor mentis et corporis; et ad ista reducitur omnis pœna infernalis. Ecce quia non solum qui mala operatur, sed et qui bona non facit ultima pœna punitur.

7 Quid signant quinque talenta servis tradita? — Possunt etiam per quinque talenta, intelligi: bona naturæ, bona gratiæ, bona scientiæ, bona potentiæ, et bona opulentiæ; et dicuntur talenta, quia per bonum usum talium potest homo sibi acquirere cœleste præmium; et aliqui habent omnia ista a Deo collata, alii plura istorum, alii unum tantum. Aliqui etiam sunt, qui talenta multiplicant et geminant, bene utendo prædictis ad sui perfectionem et proximi ædificationem; alii abscondunt in terra, qui eis utuntur ad mundi gloriam et lucra temporalia.

8 Altera parabola de homine nobili decem servis mnas decem tradente. — De eodem quoque Lucas ponit parabolam de homine nobili, scilicet Christo, qui non solum secundum divinitatem, verum etiam secundum humanitatem ex nobili genere ortus est: quia, secundum divinitatem, Dei Patris, et secundum humanitatem, David regis filius; *Homo* ergo iste *nobilis, abiit in regionem longinquam*, ascendens in cœlum empyreum, *accipere sibi regnum*, super ordines Angelorum, *ac reverti*, scilicet ad judicium particulare, in cujuslibet hominis morte. *Et*, priusquam illuc ascenderet, *vocatis*, per electionis gratiam, *decem*, propter Decalogi observantiam, *servis suis*, propter obedientiam omnimodam; vel, *decem servis suis*, id est Christianis, et fidelibus universis, quorum universitas numero denario bene designatur, propter perfectionem denarii, *dedit eis*, gratis *decem mnas*, id est talenta seu libras, scilicet spiritualem Decalogi intellectum, ad negotiandum, donec veniat ad judicium, quas veniens exiget cum usura et excrescentia; *ait* enim *ad illos*: *Negotiamini, dum venio*. Secundum *Bedam*, mna decem drachmis appenditur. Decem ergo mnæ centum drachmas, id est centum libras faciunt, qua numerus perfectorum designatur, et sacræ Scripturæ sermo, quia vitæ cœlestis perfectionem suggerit, quasi numeri centenarii pondere fulgescit; vel, per decem mnas intelligitur universitas donorum Dei, propter perfectionem ipsius denarii. Mutuavit ergo nobis Deus aliqua bona ad negotiandum, ut multiplicentur per fructus bonorum operum, quia tempus meriti currit usque ad judicium, de quibus

quærit lucrum meritorum, redditurus cumulum præmiorum. « Hoc profecto negotium, ut ait *Gregorius*, tunc vere nos agimus, si vivendo et loquendo proximorum animas lucramur, si infirmos quosque cœlestis regni gaudia prædicando in superno amore roboramus, si protervos ac tumidos gehennæ supplicia terribiliter insonando flectimus, si nulli contra veritatem parcimus, si supernis denique amicitiis dediti, humanas inimicitias non timeamus : » hæc *Gregorius*. Usura quippe est, quod ex mutuo ultra sortem accipitur. Et certe Dominus dando nobismetipsis pecuniam suæ gratiæ et doctrinæ, exigit eam cum usuris et excrescentia : primo, ut cum tribuit doctrinam fidei ad credendum, exigit ut quod credis, ore confitearis; secundo, ut quod ore confiteris, opere compleas; tertio, ut ex auditis in Lege Domini meditando, et legendo, et orando etiam alia intelligas; quarto, ut quod compleveris, docere non cesses : his enim partibus denarius vitæ fundatur æternæ. Unde idem *Gregorius* : « In quantum vos profecisse pensatis, etiam alios trahere vobiscum satagite ; in via Dei habere socios desiderate ; et si ad Deum tenditis, curate ne ad eum soli veniatis. Hinc enim scriptum est: *Qui audit, dicat*: *Veni*, ut qui in corde vocem superni amoris susceperit, foras etiam proximis vocem exhortationis reddat : » hæc *Gregorius*:

9 Servis retributio data. — *Accepto* autem *regno*, *factum est ut rediret* dominus servorum illorum, *et jussit servos, quibus dedit pecuniam, vocari* ad se, *ut sciret quantum quisque negotiatus esset*. Et, cum primus veniens cum mna sua alias quinque acquisitas obtulisset, congratulans ei Dominus dixit primo : *Eris potestatem habens super decem civitates*; alteri vero : *Et tu esto super quinque civitates*, id est gaudebis scilicet tu uterque de felicitate omnium qui per tuam doctrinam vel vitæ tuæ exemplum conversi sunt ad bonum. Servis autem bonis mnas cum lucro reportantibus, piger servus mnam suam sine lucro obtulit, quam in sudario ligatam habuit, quia molliter et delicate vivendo doctrinam commissam non enumeravit, ac gratiam sibi datam, in hac carne laboribus et fatigationibus traditam torpescens, et percepta dona sub otio torporis et ignaviæ abscondit ; et sic ipsam mnam sine operibus tamquam mortuam et sepultam in sudario habuit. Sudarium, enim est pannus in quo involvuntur corpora mortuorum ; et ideo mna in sudario reposita signat donum Dei a bonis operibus otiosum tamquam mortuum. Illis ergo qui de donis suis bene operando lucrum fecerunt, commendatis a Domino et remuneratis, pigrum qui in bonis operibus torpendo mnam suam in sudario ligavit, reprobat Dominus et damnat; vario tamen modo, secundum quantitatem meriti vel delicti, quia gradus sunt et in gaudiis et in tormentis.

10 Unusquisque talentum accepit, cujus debet reddere rationem. — Iste, *homo peregre profectus*, scilicet Christus ad Patrem ascendens, secundum Marcum, *reliquit* corporaliter, *domum suam*, id est Ecclesiam, quam tamen numquam divinæ potentiæ præsidio destituit, *et dedit servis potestatem cujusque operis*, quia dans fidelibus octo talenta, secundum Matthæum, et decem mnas, secundum Lucam, tribuit eis facultatem insistendi operibus bonis, dimittens eos agere secundum libertatem suæ voluntatis ; *et janitori*, qui ducit in domum cœli, *præcepit ut vigilet*, ei scilicet, qui prædicat, et præest, cui dicitur : *Si non annuntiaveris*, iniquo iniquitatem suam, *sanguinem ejus de manu tua requiram*. Unde *Beda* : « Janitori autem præcepit ut vigilaret, quia ordini pastorum commissæ sibi Ecclesiæ jubet curam impendere ; non solum autem rectores Ecclesiæ, sed omnes vigilare præcipimur, januas cordium custodientes, ne antiqui hostis mala suggestio intret, nec nos Dominus dormientes inveniat : » hæc *Beda*. Janitor etiam est ratio, quæ debet esse vigil ad claudendum ostium consensus diabolo, et ad aperiendum Christo, qui ad ostium pul-

sat, quando ad bonum invitat. Negotiemur ergo fideliter de bonis naturæ, gratiæ, et fortunæ nobis datis, quia de omnibus rationem reddemus. Fugiamus pigritiam, quia piger locum diabolo præparat, et otiosus quasi pulvinar est diaboli, in quo requiescat. Omnibus quoque modis quibus possumus, nosmetipsos emendando, vel alios adjuvando, talentum Dominicum erogare, et erogando multiplicare studeamus, utpote de quo in districto judicio rationem reddituri sumus ; nec se aliquis ab hac negotiatione excusare poterit, quia nullus est qui talentum non acceperit. Unde *Gregorius* : « Sciendum vero est, quod nullus piger ab ac talenti acceptione securus est, nullus namque est qui veraciter dicat : Talentum minime accepi, non est unde rationem ponere cogar. Talenti enim nomine, cuilibet pauperi, etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit ; alius namque accepit donum intelligentiæ, prædicationis ministerium debet ex talento ; alius quidem terrenam substantiam accepit, erogationem talenti debet ex rebus ; alius vero didicit artem qua pascitur, ipsa ars ei talenti acceptione reputatur ; alius autem familiaritatis locum apud divitem meruit, talentum profecto familiaritatis accepit. Habens igitur intellectum, curet omnino, ne taceat ; habens rerum affluentiam vigilet, ne a misericordiæ largitate torpescat ; habens artem, qua regitur, magnopere studeat, ut usum atque utilitatem illius cum proximo patiatur ; loquendi locum apud divitem habens, pro pauperibus intercedat. Tantum quippe ab uno quoque nostrum venturus Judex exigit, quantum dedit. » Consideremus ergo quæ accepimus, atque in eorum erogatione vigilemus, nulla nos a spirituali opere terrena cura impediat, ne si in terra talentum absconditur, talenti Dominus ad iram provocetur. Unde *Augustinus* : « Unusquisque quod habet præstet alteri, quidquid plus habet largiatur inopi. Alius habet pecuniam : pascat pauperem, vestiat nudum, ædificet ecclesiam, operetur de dua pecunia quidquid boni potest. Alius habet consilium : regat proximum, et pellat tenebras dubitationis luce pectoris. Alius habet doctrinam : ergo de cellario Domini ministret conservis cibaria, confortet fideles, revocet errantes, quærat perditos, quantum potest faciat. Est quod sibi erogent pauperes : alius claudo pedes accommodet, alius cæco suos oculos duces præbeat, alius visitet infirmum, alius sepeliat mortuos : sunt ista in omnibus, ut prorsus difficile inveniatur aliquis, qui non habeat unde aliquid alteri præstet, et illud extremum et magnum quod ait Apostolusad Galatas : *Alter alterius invicem onera* vestra *portate, et sic adimplebitis legem Christi.* » Unde etiam *Chrysostomus* : « Omnia inferamus ad proximorum utilitatem : talenta enim hæc sunt uniuscujusque virtus, sive in præeminentia, sive in pecuniis, sive in doctrina, sive in qualicumque tali negotio. Nullus dicat, quoniam unum talentum habeo, et non possum facere, potest et per unum approbatus esse : non enim es vidua illa pauperior, non es Petro et Joanne rusticior, qui et idiotæ et illiterati fuerunt ; sed tamen quoniam desiderium monstraverunt, et ad communem utilitatem omnia fecerunt, cœlos apprehenderunt, nihil enim est ita Deo amicum sicut ad communem utilitatem vivere. Propter hoc, sermonem nobis dedit Deus, et manus, et pedes, et corporis virtutem, et intellectum, et sensum, ut omnibus his et ad nostram ipsorum salutem, et ad proximorum utilitatem utamur. Non opus est multis hic nobis sermonibus, neque longa circuitione, instat enim beatus Paulus, ratiocinium ferens et dicens : *Dissolvi et esse cum Christo multo magis melius* est ; *permanere autem in carne* magis *necessarium* est *propter vos ;* et ei, qui ad Christum erat discessioni, præposuit proximi ædificationem. Hoc enim maxime est esse cum Christo, voluntatem ejus facere, voluntas autem ejus nihil est ita, sicut quod expedit proximo. Si enim in secularibus nullus sibiipsi vivit, sed et ar-

tifex, et miles, et agricola, et negotiator ad id quod communiter expediti sunt, et ad quod proximo prodest conficiunt universi; multo magis in spiritualibus hoc oportet facere, hoc enim maxime est vivere. Qui sibiipsi vivit solum, et omnes despicit, superfluus est, et neque homo, neque generis nostri : » hæc *Chrysostomus.*

11 QUINAM VITAM RELIGIOSAM AMPLECTI DEBENT? — Ex prædictis videtur, quod aliquis fidelis in caritate manens, qui absque suo scandalo utilis est, vel esse potest proximis quoad vitam æternam, peccat mortaliter, si se transfert ad eremum, vel monasterium, ubi alios non instruit verbo vel exemplo, nec curam quam posset et debet circa proximos, gerit, quia ita abscondit talentum, et est servus piger; de infirmis enim non loquimur, qui de facili scandalizantur, quia eis est tutum fugere consortium pravorum et laqueos diaboli. Sed e contra videtur, quia prævalet activæ contemplativa; Dominus enim dicit Marthæ : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*; et *Hieronymus* in pluribus locis epistolarum suarum usque adeo præfert activæ contemplativam, ut viros religiosos, et multis utiles vocet ad eremum, quasi nihil boni in mundo agerent, habito respectu ad vitam monachorum et anachoretarum. In his ergo videtur necessarium, ut quisque vires suas consideret, et ad quod opus ipse sit aptior penset : si enim ad contemplativam habilior, et ad orandum devotior, tute se transferat ad eremum, oraturus pro se et aliis, et ita plus proderit eis in eremo pro ipsis orando, quam in mundo eis prædicando, nec abscondit pecuniam Domini sui in terra, sed in Domino, licet non prædicet, quia talenta orationis et devotionis, in quo amplius valet, et meliorem se sentit, omnibus erogat, nec piger dici debet qui totus in sancta devotione et oratione, jejunio, vigilia, et fletu est; verumtamen, si quis videret gregis sibi commissi periculum imminere, et nullum idoneum in curam gregis sibi successurum, periculum esset gregem deserere, et ad eremum se transferre, licet habilior ad orandum sit, dummodo de suo scandalo non præsumat : prælatus quidem qui idoneus est ad prædicandum, et plures instruere potest, ac sibi et aliis in tali officio utilis est, talis fraternam caritatem non observat si populum sibi commissum relinqueret, et se ad eremum transferret, cum utilior in agro prædicationis, quam in eremo esse possit : in his vero quemque in caritate manentem Spiritus Sanctus intus docebit, quid ei melius faciendum sit, et sollicitі circa hæc inquisitoris quæstioni satisfaciet.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui nobis tua dona misericorditer tradidisti, monens ut vigilantes et sollicite agentes ex eis fructum afferamus, da mihi indigno servo tuo de donis a te receptis vigilanter negotiari et ea per fructus bonorum operum multiplicare; eisque ad tui gloriam, proximi ædificationem, et mei perfectionem sic bene uti, ut cum servis tuis bonis et fidelibus merear remunerari, ac, te jubente, intrare gaudium felicitatis æternæ, et suspicere quæ præparasti diligentibus te, bone Jesu. Amen.

CAPUT L

DE VENTILATIONE AREÆ IN EXTREMO JUDICIO.

Matthæi cap. XXV.

1 ADVENIENTE DOMINO CUM ANGELIS AD JUDICANDUM, CONGREGABUNTUR OMNES GENTES. — Postremo ponit Dominus tertiam parabolam, quæ pertinet ad activos, quorum est se exercere in actibus misericordiæ pro quorum exercitio vigilantes in talibus remunerabuntur; desistentes autem a talibus condemnabuntur; et describit ventilationem areæ, quæ fiet in extremo judicio, ac modum ipsius divini judicii. De hoc Evangelio dicit *Augustinus:* « Si quis esset, qui de tota Sacra Scriptura nihil aliud sciret nisi solummodo lectionem istam præsentem, hoc solum sibi sufficeret ad salutem, quia continentur hic merita et demerita, præmia et supplicia bonorum et malorum. » Conditiones autem Judicis in hoc adventu secundo ponit, per oppositum conditionum ejus in adventu primo : venit enim primo in humilitate, Apostolorum pauperum societate, et propria infirmitate; secundo veniet in majestate, Angelorum societate, et judicis dignitate. Veniet ergo Filius hominis, scilicet Virginis, ad judicium, in majestate sua, quia tunc judicaturus apparebit in forma hominis gloriosa, qui in primo adventu judicandus apparuit in forma passibili et infirma. Unde *Remigius:* « In majestate deitatis judicaturus adveniet, qui in humilitate servi judicandus apparuit; itaque, tradendus in proximo crucis supplicio, promittit gloriam triumphantis, ut secutura scandala hac promissione compensaret, et ut melius illa paterentur discipuli, et libentius, sub tantæ gloriæ exspectatione. » Unde et *Chrysostomus:* « *Deus manifeste veniet*, manifeste, inquit, non jam celatus in corpore sicut antea, ut vix eum etiam boni cognoscerent, sed manifestus in gloria, ut etiam mali eum confiteantur inviti, ut qui contempserunt eum in humilitate, cognoscant eum in potestate, et qui scire noluerunt quam dulcis est misericordia ejus, sentiant quam gravis est ira ipsius : » hæc *Chrysostomus.* In forma ergo humana veniet, ut ab omnibus videri possit, si enim in forma divina veniret, non posset videri a malis, quia talis visio non est sine delectatione maxima, quæ tunc non competit eis, et ideo dicit : *Cum autem venerit Filius hominis, in majestate sua, et omnes Angeli cum eo*; in famulatu enim ejus venient omnes Angeli ejus cum eo, propter Judicis honorem, et tamquam testes actuum humanorum, et exsecutores sententiæ ferendæ per ipsum. Unde idem *Chrysostomus :* « Omnes enim Angeli ejus cum ipso aderunt, testantes et ipsi quantum administraverunt, missi a Dominatore ad salutem hominum. » *Tunc sedebit super sedem majestatis suæ*, id est in Ecclesia, in qua apparebit cum omnipotentia sua, per quod significat potestatem judiciariam quæ Christo homini est data; *et tunc congregabuntur ante eum*, tamquam ante Judicem suum, *omnes gentes*, omnis temporis, omnis conditionis, omnis ætatis, quia nullus poterit tunc latere vel se abscondere. Unde idem *Chrysostomus :* « Ubi illuminatio Evangelii ad omnes gentes prædicata pervenit, tunc omnes gentes inexcusabiles factæ sunt, et ideo tunc juste ad judicium congregabuntur omnes. »

2 SEPARATIO BONORUM ET MALORUM. — *Et separabit eos ab invicem*, scilicet bonos a malis, *sicut pastor segregat oves ab hædis*, de die sunt si-

mul in pascuis oves et hœdi, sed in vespere pastor eos segregat; sic in vita præsenti sunt in Ecclesia simul boni et mali, sed in vespere mortis seu mundi, separabit Christus bonos a malis, sicut oves ab hœdis. Separabit, inquam : merito, omnia merita discernendo ; loco, loca varia assignando; vocabulo, diversis nominibus appellando hos hœdos, illos oves. In ovibus intelligitur innocentia bonorum, propter simplicitatem, mititatem, fœcunditatem; in hœdis intelligitur perversitas malorum, propter fœditatem, impetuositatem, sterilitatem. Unde *Chrysostomus :* « Deinde, a nominibus uniuscujusque, modum ostendit, hos quidem hœdos vocans, hos autem oves : ut horum quidem infructificationem ostendat, nullus enim ab hœdis fructus fit; horum autem multum quæstum ostendat, etenim multus ovium est quæstus, et a lana lacteque, et ab his quæ parturiuntur, a quibus universis desertus est hœdus. » Et iterum : « Oves, homines justi : propter mansuetudinem, quia ipsi neminem lædunt, et propter patientiam, quia cum ab aliis læsæ fuerint, sustinent; hœdos autem homines peccatores dicit, quia in capris hæc naturaliter insunt vitia : libido præ ceteris animalibus, superbia, rixa, invidia, concupiscentia gulæ, et clamoribus super omnia garrulæ; in omnibus his vitiis peccatores abundant, et ideo hœdis sunt assimilati : » hæc *Chrysostomus. Et statuet oves*, seu bonos, *a dextris suis; hœdos autem*, seu malos, *a sinistris*. In ipsa positione dexteræ et sinistræ, jam ex tunc utraque pars cognoscere poterit, cui misericordia, et cui miseria immineat. Unde idem ait *Chrysostomus :* « Justos quidem ad dexteram constituet, peccatores ad sinistram, ut unusquisque meritorum suorum conditionem, ex ipsius loci qualitate cognoscat. Merito justos ad dexteram collocabit, quoniam numquam sinistram cognoverunt; merito impios ad sinistram, quia numquam cognoscere voluerunt dexteram partem : *Vias enim quæ a dextris sunt, novit Dominus*; *perversæ autem sunt, quæ ad sinistram sunt.* » Et iterum: « A sinistris sunt, qui quærunt temporalia; a dextris vero, qui quærunt æterna. » Unde et *Remigius*: « In dextris æternæ beatitudinis confirmabuntur, qui amaverunt æterna; in sinistris æternæ miseriæ, qui cupierunt præsentia. Nam et ipsa transitoria Dei dona, respectu æternorum, dicuntur esse sinistra; æterna, vero in dextera, qui sunt potiora, hinc est illud : *Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius :* » hæc *Remigius*.

3 Quid dicet Rex bonis ? — *Tunc dicet Rex his qui a dextris ejus erunt*, id est bonis : hic non dicit, Filius hominis, sicut supra, sed, *Rex*, ad cujus apicem pertinet subditos regere, leges condere, transgressores legis punire, et observatores præmiare; quod tunc apparebit manifeste. Tunc non quæret Pilatus : *Ergo rex es tu?* Tunc non dicent Judæi : *Non habemus regem nisi Cæsarem*. Dicet, inquam, Rex : *Venite, benedicti Patris mei*, id est a Patre meo, qui a Patre benedictionem gratiæ accepistis; quia non nisi benedicti primo per gratiam et meritum, vocantur ad beatitudinem æternam et præmium : non dat enim Deus pacem æternitatis, nisi supra pacem pectoris ; vel, secundum *Rabanum*, dicuntur benedicti, quibus pro bonis meritis debetur æterna benedictio : *Possidete*, et æternaliter tenete, *paratum vobis regnum* cœlorum, locum Sanctorum, *a constitutione mundi*. Ubi dicit *Chrysostomus :* « Antequam enim vos nasceremini, ait, hæc vobis præparata sunt et præaptata, quia vidi vos tales futuros. » Ubi etiam ait *Remigius :* « Rex regum sine strepitu verborum loquetur, id est manifestabit conscientias et merita, dicetque per collationem gloriæ : Venite, beneficio Patris mei promoti ad obtinendum regnum vitæ, prædestinatum vobis a constitutione mundi : » hæc *Remigius*. Ante mundi constitutionem paratum fuit, per prædestinationem; a constitutione mundi, per creationem; ab ascensione, per apparitionem. Attende hic dulcissimam invitationem Domini, cum dicit : *Ve-*

nite, benedicti Patris mei. O quam felices et beati qui hoc dulce invitatorium ad se directum meruerint audire, et a Domino invitati regnum ejus percipere ! Frequentemus ergo nunc et cantemus devote invitatorium Ecclesiæ, dicentes : *Venite, exsultemus Domino,* ut tunc cum electis mereamur audire invitatorium Domini, et regnare sine fine cum eo.

4 OPERA MISERICORDIÆ AD CORPUS PERTINENTIA. — Et commemorabit Dominus sex opera misericordiæ, in se capite et in membris suis propter eum facta, quæ sunt : pascere esurientem, potare sitientem, collocare hospitem, vestire nudum, visitare infirmum, consolari vinculatum et per hæc intelligitur septimum, quod est in Tobia, scilicet sepelire mortuos. Unde versus :

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Et secundum quosdam non erit aliud hæc commemoratio, nisi quia omnes scient merita sua, pro quibus salvabuntur vel etiam damnabuntur. Ubi *Chrysostomus* : « Putas quanto gaudio extolluntur Sancti quando in conspectu omnium Angelorum, quod fecerunt hominibus fatetur se accepisse, nam tale videtur opus eorum non quale datum est, sed qualis persona illius est qui accepit : » hæc *Chrysostomus.* Sed justi, quasi laudem fugientes, interrogabunt quando hæc sibi fecerint. Secundum *Remigium,* in conscientiis suis ita respondebunt, non dubitantes vel diffidentes de verbis Domini ; sed vel stupentes pro magnitudine majestatis Regis, vel, quia parvum videtur eis omne bonum quod fecerunt comparatione præmii, juxta illud Apostoli: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Unde ait *Chrysostomus* : « O humilitas, quæ nec post mortem deficies ! Homo enim malus etiam falsis honoribus delectatur, vir autem bonus etiam sibi debitam laudem fugit ; sic et Sancti, debitam sibi laudem repellentes, dicent : *Quando te vidimus esurientem,* etc. : » hæc *Chrysostomus. Et respondens Rex, dicet illis : Amen dico vobis, quamdiu,* id est eo et quanto tempore, *fecistis,* id est opera misericordiæ exhibuistis *uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Fratres sunt, quia fecerunt voluntatem Patris ; minimi vero, quia fuerunt humiles et abjecti. Ubi idem *Chrysostomus* : « O bonitas Christi ! Quamdiu in corpore contemptibili erat in mundo, fuerat verisimilis ratio, ut propter similitudinem visionis fratres suos homines appellaret ; quid autem dicamus, quod in illa gloria constitutus, adhuc contentus est eos dicere fratres, quibus sufficeret ad laudem si vel bonos servos illos vocaret? » Et iterum : « Propter hoc enim sunt fratres, quia humiles, quia abjecti et contemptibiles, hos enim tales maxime in fraternitatem vocat. » Unde et *Augustinus* : « Minimi ergo qui sunt Christi, hi illi sunt qui omnia dimiserunt et secuti sunt eum, et quidquid habuerunt pauperibus distribuerunt, ut Deo sine seculari compede expediti servirent, et ab oneribus mundi liberos velut pennatos sursum humeros tollerent. Hi sunt minimi ; quare minimi? Quia humiles, quia non elati, et quia non superbi. Apprehende minimos istos, et grave pondus invenies : » hæc *Augustinus.* Christus itaque in esurientibus esurit, in sitientibus sitit, in infirmis ægrotat, et in aliis similiter patitur ; magna ergo reverentia suscipiendi sunt minimi et pauperes Christi ; et cum magna veneratione serviendum est eis, siquidem Christus in eis suscipitur et honoratur. Unde *Gregorius* : « Ad tribuendum ergo pigri cur estis, quando hoc quod jacenti in terra porrigitis, sedenti in cœlo datis? »

5 OPERA MISERICORDIÆ AD ANIMAM PERTINENTIA.— Hæc præmissa sunt opera misericordiæ, ad corporis miserias pertinentia ; ad animas vero spectat : ut esurientem et sitientem justitiam, pane verbi Dei reficias, et potu sapientiæ refrigeres, errantem per hæresim, per schisma, vel per peccatum in domum matris Ecclesiæ Dei revoces, innocentem a malis protegas, nu-

dum a bono opere virtutibus ornes, infirmum in fide corrobores, tribulatione seu carcere tristitiæ oppresso subvenias compatiendo, vel consolando. Qui enim hæc facit, veram dilectionem et caritatem adimplet, et hæc majora sunt quam alia præmissa, quia, ut ait *Gregorius*, plus est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem morituræ carnis terreno pane satiare. Unde *Chrysostomus* : « Si hæc omnia corporaliter corporibus Christi ministrare magnæ beatitudinis est, quæ omnino post modicum sunt peritura, putas quantæ beatitudidis est, hæc omnia spiritualiter animabus periclitantibus ministrare, quibus vivificatæ possint vivere in æternum! Quanto melior est anima quam corpus, tanto meliora sunt quæ ad salutem animarum, quam quæ ad sustentationem corporum, ministrantur. »

6 Quid dicet Rex malis? — *Tunc dicet* Rex *et his qui a sinistris* ejus *erunt*, id est reprobis, qui sinistra, id est temporalia, quamdiu vixerunt, ardenter amaverunt : *Discedite a me.* O infelix discessio! O dura separatio! O miserabilis conditio! Discedite ergo a me fonte vitæ indeficientis, a me lumine gloriæ beatificantis, a me torrente voluptatis inundantis, a me plenitudine ubertatis inebriantis; *maledicti* dupliciter : primo maledictione culpæ, sed modo maledictione pœnæ æternæ, *in ignem æternum*, sine fine vos arsurum, *qui paratus est diabolo et angelis ejus*, ut quibus colligati fuistis in culpa, sociemini in pœna. O consortium malum, horribile quidem ad imaginandum, horribile amplius ad videndum, sed adhuc horribilius ad cohabitandum! Non portastis, inquit, clavem crucis, in regnum non intrabitis ; non navigastis in nave crucis, ideo ad portum non pervenietis ; sed pœnam damni et sensus habebitis. Dum mali permixti sunt bonis, videntur esse cum Deo, sed tandem discedent ab eo, et mittentur in ignem æternum, nec videbit impius gloriam Dei. *Discedite*, inquit, qui adhuc commixti fuistis bonis in mundo, a mea facie, ab omni mea misericordia, ab omni gloria ; *maledicti*, sed non addit Patris mei, quoniam ex Patre est benedictio, ex nobis vero maledictio. Ubi sic ait *Chrysostomus* : « Quasi qui non sufferat præsentiam illorum vel aspicere, sic inquit : *Discedite* a me, nam Deus qui in sanctitate delectatur animarum, peccatrices animas aspiciens quasi gravatus non suffert. Tamquam si dicat eis : Quasi putredo et spurcitia estis, nec tamdiu vos sustineo, quamdiu statis in judicio meo. » Et iterum : « *Discedite, maledicti*, non a Patre meo, neque ipse eos maledixit, sed propria opera, *in ignem æternum*, *qui paratus est*, non vobis, sed, *diabolo et angelis ejus*: quia vero vosipsos in ignem misistis, vobis ipsis reputate. » Sed, ne umquam hæc patiamur, o unigenite Fili Dei, scilicet faciem illam mansuetam videre aversam a nobis, et tranquillum illum oculum non ferentem videre nos, neque accipiamus aliquam experientiam illius pœnæ incurabilis, scilicet excidere a cœlestis regni gloria, et comburi in gehenna. De hac etiam exclusione et separatione sic dicit idem *Chrysostomus* : « Ponamus illud ante oculos, quanti doloris est excludi et projici a regno cœlorum, quod ut mihi videtur, ipsa gravius est gehenna. Nam, et si ille ignis non arderet et immortalis illa pœna non esset parata; hoc solum quod alieni efficimur a Christo, et excludimur a bonis æternis, nonne omni pœna cruciabilius diceretur? » hæc *Chrysostomus*.

7 Quomodo Christus est in membris Ecclesiæ? — Et commemorabit Judex opera misericordiæ prædicta, ab ipsis reprobis sibi non facta ; sed reprobi quasi se excusantes respondebunt et interrogabunt, quando hæc sibi non fecerunt. Verum, ut ait *Rabanus*, et si se excusare satagunt, tamen Deum fallere non possunt. Et idcirco *respondebit illis*, *dicens* : *Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis*. Unde dicit *Augustinus*: « Christus caput est Ecclesiæ, corpus ejus Ecclesia. In nostro corpore caput sursum est, pedes in terra. In aliqua constipatione hominum, quan-

do aliquis tibi pedem calcat, nonne dicit caput : Calcas me? Quo modo ergo lingua, quam nemo tangit, dicit: Calcas me; sic Christus caput Ecclesiæ, quem nemo calcat, dicet : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare*, etc. » Unde et *Chrysostomus* : « Et vide qualiter levia injungit; non enim dicit : In carcere eram, et non eripuistis me, infirmus, et non curastis me; sed non visitastis me, et non venistis ad me. In esuriendo etiam non petit mensam pretiosam, sed necessarium cibum. Omnia ergo sufficientia sunt ad pœnam : primo quidem, facilitas petitionis, panis enim erat; secundo, misericordia ejus, pauper enim erat qui petebat; tertio, comparatio naturæ, homo enim erat; quarto, desiderium promissionis, regnum enim promisit; quinto, dignitas ejus qui accipiebat, Deus enim erat qui per pauperes accipiebat; sexto, superabundantia honoris, quoniam dignatus est ad hominibus accipere; septimo, justitia dationis, ex suis enim a nobis accipit, sed contra universa hæc homines per avaritiam excæcantur : » hæc *Chrysostomus*.

8 Avaritiæ redargutio. — Revera quippe per avaritiam homines circa opera misericordiæ exercenda excæcantur, et ad ea duri et quasi insensibiles redduntur; sicut enim caritas, quæ directe opponitur avaritiæ, vult omnibus subvenire et benefacere, sic avaritia suadet a talibus abstinere, et non operibus misericordiæ intendere. Suggerit enim quasi consulendo ipsi misero quem possidet, ut de talibus non curet, quia tantum constaret, et ideo tantum damnum inde reciperet. Hic siste, tu, miser avare, qui aliis in necessitate positis non curas succurrere, et maxime, tu crudelis præsidens seu prælate, et specialiter religiose, qui infirmis tibi commissis de ministris et custodibus, vel quibuscumque aliis necessariis non studes providere. Attende et vide, quia hoc terribile judicium, in quo de operibus misericordiæ disceptatio fit, tibi specialiter imminet, quia præcipue immisericordes arguet Judex et puniet; tunc audies correptiones durissimas, quibus non poteris contradicere, qui modo abjicis monitiones mollissimas, quibus non vereris repugnare; tunc erit hora tua, qua tibi instabit horrenda miseria, ut cum maledictis eas in ignem æternum, diabolo et angelis ejus paratum. Illuc perges derelictus a cura et custodia divina, qui hic tuos infirmos dereliquisti sine cura et custodia humana; et tunc nihil eorum quæ contra caritatem servasti et necessitatibus indigentium crudeliter subtraxisti, te a miseria liberabit, sed tua crudelitas te sine fine immaniter cruciabit. Tunc boni poterunt contra te sumere parabolam, et dicere ad exaggerandum tuam miseriam : *Quomodo cessavit exactor, quievit tributum?* Cessavit exactor, quia aliis necessaria subtrahendo, quasi exactionare eos videbatur; quievit tributum, quod alii defectum patiendo, quasi solvere cogebantur. Quid tibi, miser, tunc proderit tua crudelitas et avaritia, pro qua habebis pati tanta et talia sine fine mansura? Tunc per pœnam, sed nimis tarde aperientur oculi tui, qui modo per avaritiam contra opera misericordiæ sunt excæcati, et tunc sola vexatio dabit intellectum, tibi, qui modo circa vexatos habes cor induratum. Hæc pauca, o avare, impie, crudelis, et dire tyranne, diligenter attende; et dum adhuc vales te emendare, stude ut mala perpetua possis, Deo auxiliante, evadere. Amen.

9 Quomodo audienda operum misericordiæ sufficientia? — Sufficientia autem prædictorum operum misericordiæ hoc modo accipitur : homo enim in vita præsenti primo indiget ex parte corporis alimento, sine quo non potest esse, scilicet cibo et potu, et sic est duplex opus misericordiæ, scilicet pascere esurientem, et potare sitientem. Secundo, indiget tegumento, sine quo non potest bene esse, scilicet indumento et domicilio, et sic iterum est duplex opus misericordiæ, scilicet vestire nudum, et colligere vel recipere hospitem. Tertio, indiget post vitam istam sepultura, et sic est quintum opus misericordiæ, scilicet sepelire mortuos. Ista autem quinque

prædicta sunt omnibus communia. Alia sunt duo opera misericordiæ, quæ impenduntur alicui, ex aliquo accidente superveniente, ut si aliquis incurrat infirmitatem, vel si capiatur ab hostibus : et sic accipiuntur duo opera misericordiæ, quæ sunt visitare infirmos et redimere captivos. Et nomine redemptionis intelligitur omne beneficium eis impensum. Ista autem septem impensa fidelibus propter Christum, reputat ipse Christus sibimetipsi facta; et e contrario fidelibus denegata, sibimetipsi reputat denegata. Fideles sunt ejus membra : propter quod facientibus opera misericordiæ, reddit vitam æternam; denegantibus autem ea, reddit pœnam. Advertendum tamen quod cum dicitur : *Domine, quando te vidimus esurientem*, etc., non est quæstio procedens ex ignorantia, quoniam justi cognoscent quod opera misericordiæ facta membris Christi, ipse sibi reputat fieri, et pro talibus se salvari; et similiter mali scient se pro contrario damnari; sed est quæstio admirationis, pro magnitudine gratiæ quæ fiet electis, et pro magnitudine miseriæ quæ infligetur reprobis. Sic itaque *judicium sine misericordia*, fit *ei qui non fecit misericordiam*. Quid ergo merentur qui aliena rapiunt, si æternaliter damnantur, qui de suo non dederint? Et, si talia sustinebunt immisericordes, qualia passuros putamus crudeles? Unde ait *Chrysostomus* : « Ex hoc loco sciendum est, quod non tantum pro eo quod peccaverunt homines condemnandi sunt, sed etiam pro eo quod bene non faciunt ; si autem pro eo quod bene non faciunt sic condemnantur, putas quales pœnas exsolvent pro eo quod peccant? Et digne, Deus enim hominem ideo fecit ut benefaciat, et ad gloriam Dei pertineat, non ideo tantum ut non peccet, nam si non faciat bonum, nec est causa qua creatus est. Sine dubio enim, si creatus non fuisset, peccatum non fieret super terram ; nam qui intelligit mysterium divinæ dispensationis, quare factus est homo cognoscit, quia merito quasi peccans condemnetur, qui justitiam non facit : » hæc *Chrysostomus*. Sicut autem melius est opera misericordiæ circa animam, quam circa corpus facere ; sic pejus est ea circa animam quam circa corpus negligere. Unde idem *Chrysostomus* : « Si hæc corporaliter corporibus non præstare impietatis est, quæ et si accipiunt ea, non possunt tamen vivere semper, putas quantæ impietatis et hæc omnia spiritualiter animabus periclitantibus non ministrare, quæ poterant vivere in æternum, si hæc eis ministrata fuissent? Quantum enim melior est anima quam corpus, tanto gravius est peccatum animabus laborantibus spirituales eleemosynas non præstare, quam corporibus corporales. In Ecclesia ergo non solum sunt pauperes corporaliter esurientes, aut debiles corporaliter, aut peregrini et captivi secundum corpus; sed etiam spiritualiter pauperes sine cibo justitiæ, sine potu agnitionis Dei , necnon sine vestimento Christi. Maxime taliter pauperes sunt, qui corporaliter videntur divites esse, quoniam plerumque in abundantia rerum inopia justitiæ invenitur. Sunt peregrini in hoc mundo, sunt debiles animo, sunt mente cæci, in obedientia surdi, et ceteris passionibus spiritualibus ægrotantes, quorum animæ omnem escam spiritualem abominantes appropinquaverunt usque ad portas mortis. Qui ergo non habet unde faciat eleemosynas corporales, faciat spirituales, ex gratia verbi quam accepit a Deo, et inveniet retributionem dignam a Christo, qui omnia tam corporalia quam spiritualia data, quasi in se facta commemorat, quæ cum hominibus fiunt; hæc diximus ut sciant doctores quantum beatitudinis sibi acquirant, si diligentes fuerint circa verbum Dei annuntiandum, et quantum damnationis, si fuerint negligentes : » hæc *Chrysostomus*.

10 Sicut retributio ita punitio erit æterna. — ***Et ibunt hi***, scilicet reprobi, ***in supplicium æternum ; justi autem in vitam æternam***. Unde *Chrysostomus* : « Propter hoc utique et hi juste puniuntur et illi coronantur, etsi decem millia bona fecerint, gratiæ

enim hæc est munificentia pro tam parvis et vilibus cœlum tantum et regnum, et tam magnum eis dari honorem : » hæc *Chrysostomus*. Æternum est ergo supplicium malorum, et similiter præmium bonorum, sicut enim peccata actualia transeunt actu, et remanent reatu ; ita bona opera transeunt actu, et remanent merito. Unde *Hieronymus* : « Prudens lector attende, quod et supplicia æterna sint ; et vita perpetua, metum deinceps non habeat ruinarum. »

11 CUR DE MISERICORDIA POTIUS QUAM DE JUSTITIA DISQUIRETUR ? — Et notandum, quod potius fit disceptatio de operibus misericordiæ, quam de operibus justitiæ, cum tamen magis teneamur ad opera justitiæ, quia opera misericordiæ faciliora sunt : natura enim ad hæc inclinat, et ideo magis arguenda ubi deficiunt, et minus remuneranda ubi ad sunt. Et ergo, si ista remunerantur, et alia. Item, potius arguit de omissione, quam de commissione , cum tamen majoris criminis sint commissa, et ideo magis arguenda, quia puniendo quod minus est, innuit amplius faciendum de majoribus ; si enim omissa arguit, multo plus commissa. Item, magis arguit, de peccatis in proximum, quam in Deum, quia si peccata in proximum condemnantur, multo magis peccata in Deum, ut blasphemia et idololatria. Item, cum septem sint opera misericordiæ, unum, scilicet sepulturam mortuorum, de qua in tantum Tobias commendatur, omittit, quia minus est necessaria inter cetera opera misericordiæ. Item, cum sit misericordia corporalis et spiritualis, potius defectum arguit operum corporalium, quam spiritualium, quia opera corporalia sunt evidentiora, vel per hoc etiam significantur illa.

12 SENTENTIA JUDICIS ERITNE MENTALIS AN VOCALIS? — Potest autem quæri utrum illa disceptatio et sententia erit vocalis, vel mentalis tantum ; et videtur quod vocalis, quia, ut dicit *Augustinus*, per quot dies hoc judicium tendatur, incertum est ; sed si mentaliter fieret tantum, statim expediretur. E contra quidam dicunt, quod judicium erit mentale, et non vocale, aliter multo tempore protenderetur ; unde Sapiens : *Disrumpet illos inflatos sine voce*. Alii dicunt, quia et mentale erit interius, et vocale exterius ; quia judicabit Christus non tantum ut Deus, sed ut homo, ideo ejus judicium erit non divino modo tantum, sed humano. Ex hoc autem majus gaudium sensibile bonorum, et major dolor sensibilis reproborum erit ; unde non frustra erit hoc, sed utiliter sicut et corporalis apparitio hominum. Huic opinioni adhærendo dicendum ad objectum, sapientiæ locum quod disrumpet illos sine voce excusationis sufficientis vel appellationis ; sed non sine voce disceptationis generalis.

13 RETRIBUTIONIS ET DAMNATIONIS CAUSÆ. — De motivis autem hujusce sententiæ sic habet *Augustinus* : « Quære causas vel tantæ mercedis, vel tanti supplicii : *Percipite regnum*, etc. ; et : *Ite in ignem æternum*, etc. Quare illi percepturi regnum ? *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare*, etc. Quare isti ituri in ignem æternum ? *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, etc. Quid est hoc, rogo ? Video de his qui percepturi sunt regnum, quia dederunt tamquam boni et fideles Christiani, qui verba Domini non contemnentes, et cum fiducia promissa sperantes fecerunt hoc ; quia, si non fecissent, vitæ ipsorum bonæ sterilitas ista non utique convenisset. Forte enim casti erant, non fraudatores, non ebriosi, abstinentes se ab operibus malis ; si hoc non adderent, steriles remanerent, fecissent enim, *declina a malo* ; non fecissent, *et fac bonum*. Scriptum est : *Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna peccatum* ; item, scriptum est : *Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit* Dominum ; et alia multa sunt divini eloquii dogmata quibus ostenditur multum valere eleemosynam ad exstinguenda et delenda peccata. Proinde illis quos damnaturus, imo plus illis quos coronaturus est solas eleemosynas imputabit, dicens : Difficile est ut si examinem vos et apprehendam, et

scruter diligentissime facta vestra, non inveniam unde vos damnem; sed ite, *percipite regnum : Esurivi enim, et dedistis mihi manducare*; non ergo itis in regnum, quia non peccastis, sed quia peccata vestra eleemosynis redemistis. Rursus et illis : *Ite in ignem æternum*, sine dubio videbunt se juste damnari pro sceleribus suis ; at quasi eis diceret : Non inde unde putatis, sed quia *esurivi, et non dedistis mihi manducare*. Si enim ab illis omnibus vestris factis aversi, at ad me conversi illa omnia crimina atque peccata eleemosynis redemissetis, ipsæ eleemosynæ modo liberarent vos, et a reatu tantorum criminum absolverent : *Beati* enim *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*; et : *Judicium sine misericordia, ei, qui non fecit misericordiam* : » hæc *Augustinus*.

14 Prædestinationis et præscientiæ discrimen. — Sicut ergo boni, quibus paratum est regnum a constitutione mundi, antequam fierent, ad vitam æternam erant prædestinati; sic mali, qui mittentur in ignem paratum diabolo et angelis suis, a constitutione mundi, antequam fierent, ad mortem erant præsciti. Est autem differentia inter prædestinationem et præscientiam, quia prædestinatio est præcognitio bonorum, cum causalitate eorumdem ; sed præscientia dicit præcognitionem respectu malorum sine causalitate, quæ potius residet penes liberum arbitrium. Fit autem conditionaliter prædestinatio Dei, nihilque sine aliqua conditione prædestinatum est : prædestinatum est enim ut salvaretur mundus, sed per aquam Baptismatis et mortem Filii Dei ; prædestinati sunt omnes boni ad gloriam, ea tamen conditione, si fidemte nuerint, si caritatem, si humilitatem, si patientiam, si misericordiam et pietatem, et his similia habuerint. Tales enim eos futuros prævidit, quos Deus ad vitam prædestinavit ; et quasi prædestinando eis diceret: Ego quidem ad vitam vos prædestino, si tamen tales et tales fueritis, si mandata mea custodieritis, si fidem et misericordiam habueritis, et si in bono tandem inventi fueritis. Qui ergo talis esse non vult, qui mandata Dei custodire non nititur ; ideo non venit ad prædestinationem, quia non servat conditionem. Noli igitur attendere ad prædestinationem Dei quam ignoras ; attende ad verba, quæ audis et intelligis. Sicut enim prædestinatione sua verus est Deus, et mutari non potest; ita et verba ejus vera sunt, et mutari non possunt. Sed audiamus quænam sint hæc verba : *Peccator*, inquit, *quacumque hora conversus fuerit et ingemuerit, vita vivet et non morietur*; et iterum : *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis ; quod si nolueritis, gladius devorabit vos*. Similiter in Evangelio inquit : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit*, etc.; et iterum : *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cœlestis*, etc. Nec quæras aliam pædestinationem. In his enim verbis omnis et vitæ et mortis prædestinatio et præscientia consistit : si hæc feceris, esto securus, et crede indubitanter, quia ad vitam æternam prædestinatus es; quod si, indurato corde, hæc facere nolueris, et in hac malitia perseveraveris, pro certo te scias ad mortem præscitum. Quamvis enim nullus homo ad peccatum sit prædestinatus, omnis tamen homo, aut ad gloriam, aut ad supplicium est prævisus. Nullus ergo dicat frustra se orare Deum, et alia bona facere; quoniam prædestinatio divina, quæ est præparatio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro, cum sit æterna, sicut ab æterno Deus prædestinavit aliquem ad beatitudinem, ita et præordinavit modum per quem daret sibi illam beatitudinem, scilicet per merita sua et orationem. Prædestinatio enim taliter est instituta, ut precibus et laboribus obtineatur; et ideo nullus frustra orat Deum, quia oratio est illud per quod ex ordinatione divina debet consequi gratiam et gloriam ; et eadem ratio est de omnibus aliis bonis, quia cadunt sub ordine divinæ prædestinationis. Unde sicut Deus aliquem salvandum prævidet, sic et modum quo salvari debeat. Propter hoc stultus est, qui

dicit : Volo facere quod mihi placuerit, quia si salvari debeo, salvabor, vel si damnari debeo,damnabor ; sicut stultus esset infirmus qui diceret : Volo comedere et bibere quod mihi placuerit,quia si curari debeo, curabor, et si mori debeo, moriar : sic enim inutiles essent medicinæ Sane si Deus dimittit liberum arbitrium, quod se habet ad utrumlibet, in malum cadere, hoc non permittit nisi juste; rursus, si præveniat per gratiam, nulli facit injuriam. Unde, secundum *Augustinum*, liberum arbitrium est libertas eligendi bonum vel malum; et hoc in paradiso homo habuit liberum, nunc vere captivum, quia bonum non vult, nisi gratia Dei præveniatur, nec potest nisi eam sequatur. Cum ergo malos damnat et reprobat, operatur secundum justitiam suam; quando vero prædestinat et salvat, agit secundum gratiam et misericordiam suam, quæ non excludit justitiam.

15 Providentia Dei non cogit, nec tollit libertatem arbitrii prædestinatio. — Nullam autem necessitatem infert providentia Dei rerum eventibus; sed sicut sese habent res ad utrumlibet, scilicet fieri et non fieri, sic se providentur habere. Quæ providentia, seu quod idem est præscientia Dei, ex sua sapientia præscientis omnia antequam sint, omnino inevitabilis est, et nullo modo potest falli ; et ideo omnia prævisa a Deo necesse est fieri, quia non potest simul esse quod prævisa sint et non fiant, sed non sequitur quod necessario fiant. Sic quoque dicimus: Me vidente te currere, necessarium est ut curras, hoc est, non potest simul fieri: ut videam te currere, et non curras; et ex hoc nequaquam provenit quod necessario curras. Unde ait *Boetius* : « Duæ sunt enim necessitates: simplex una, veluti quod necesse est omnes homines esse mortales ; altera vero, conditionis, ut si aliquem ambulare scias,eum ambulare necesse est, hanc etiam necessitatem non facit propria natura, sed conditionis adjectio.Nulla enim necessitas cogit incedere voluntarie gradientem,quamvis eum tunc cum graditur necessarium sit incedere.Quæ igitur, cum fiunt carent existendi necessitate, eadem priusquam fiant sine necessitate futura sunt : nam sicut scientia præsentium rerum nihil his quæ fiunt, ita præscientia futurorum nihil his quæ futura sunt, necessitatis importat. Eodem modo, si quid providentia præsens videt, id esse necesse est,tametsi nullam naturæ habeat necessitatem : » hæc *Boetius*. Et ideo hæc duplex est. Si Deus prævidet hoc, necessario evenire oportet, quia conjunctim vera, divisim est falsa ; et est ibi necessitas consequentiæ, et non consequentis. Exemplum habemus ex eodem *Boetio* : « Si aliquis videat aliquem facientem rotam, necesse est quod ille faciat rotam, nec tamen visus ejus causa est illius factionis; sic Deus prævidet mala istius opera, nec tamen causa est quare iste male operetur : verumtamen fiet, si prævisum est. Quando autem Deus facit aliquam rem, non fit in ipso Deo mutatio ; sed in re certa quam operatur. Unde quando fecit prædicari subversionem Ninivæ, et prædici mortem Ezechiæ, quorum neutrum accidit, in talibus non mutavit Deus consilium quod ab æterno secum fuit ; sed sententiam quæ respectum ad ipsa negotia habuit, quia Niniva subvertenda erat secundum merita, et Ezechias moriturus erat secundum causas inferiores, vel etiam secundum merita ; sed hæc non imposuerunt necessitatem divinæ potentiæ. Prædestinatio igitur, licet certa sit, libertatem tamen arbitrii numquam tollit; unde bonorum salvatio est necessaria necessitate consequentiæ vel conditionata, non necessitate consequentis vel absoluta. Ista enim propositio : Prædestinatus potest damnari, falsa est, in sensu composito ; est tamen vera, in sensu diviso. Sic ergo exclusum est sophisma quod multos in errorem duxit, ut omnia ex necessitate fieri putarent. Si ergo dicis quid adhuc faciendum est? Respondeo, quia hoc solum superest consilium, ut curramus, et contendamus placere ei, qui nos vocavit. Dicit enim *Augustinus* : « Sic præordinata est divina prædestinatio, ut

ad eam per bonorum operum perseverantiam perveniamus. » Hinc *Bernardus* : « Ipsa cœlestis regni prædestinatio ita ab omnipotenti Deo præordinata est, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenus mereantur precibus obtinere quod ipse omnipotens Deus ante tempus disposuit donare : » hæc *Bernardus*.

16 Exemplum religiosi præsciti et salvati. — Ubi nota exemplum utile, et aptum ad propositum. Fuit in quodam monasterio frater quidam religiosus et devotus, cui sæpe revelationes fiebant divinitus; quod quidam alter ejusdem nonasterii frater sciens, institit apud eumdem, ut Deum oraret, quatenus sibi dignaretur ostendere, si ipse de numero salvandorum esset. Et, cum ille vix precibus victus orationi instando hoc a Deo postularet, ostensum est sibi quod ille frater de numero damnandorum esset, unde timens fratrem alium turbare, per aliquot dies hoc sibi celavit; sed tandem eidem requirenti, licet invitus, aperuit. Ille autem hoc audiens, et Scripturas intelligens, statim respondit : Benedictus Deus, nec tamen sic desperabo, sed pœnitentiam quam per ingressum religionis assumpsi, de cetero duplicabo, et triplicabo donec gratiam et misericordiam apud Deum altissimum, qui pius est, inveniam. Et post multos dies iterum fratri prædicto divinitus est revelatum, quod ille frater de numero salvandorum esset; quod cum eidem fratri retulisset, ille lætus effectus de revelatione, fortior factus est in opere, ac viriliter agens, et de virtute in virtutem quotidie proficiens perseveravit in bono sine cessatione. Utinam multi animati hoc exemplo, manum suam ad fortia mitterent, et non desperarent vel deficerent: quia sic agendo, et in hoc perseverando, Deum sibi propitium utique invenirent!

ORATIO

Domine Jesu Christe, judex vivorum et mortuorum, in extremo judicio me a dexteris collocare digneris, et tunc auditam fac mihi illam dulcissimam vocem tuam, quam promisisti electis tuis, dicens : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum;* et fac, ut non timeam ab auditione mala, quam comminatus es reprobis, dicens : *Ite, maledicti in ignem æternum.* O unigenite Fili Dei, miserere nostri, ne umquam illam pœnam incurabilem experiamur, scilicet excidere a regni cœlestis gloria, et comburi gehenna, Deus meus, misericordia mea. Amen.

CAPUT LI

DE PASCHA ET DIVERSIS HUJUS NOMINIS ACCEPTIONIBUS.

Matthæi cap. XXVI.

1 Christus est exemplar in monte monstratum. — Nunc, secundum *Hieronymum*, aspergamus de sanguine librum nostrum, et limina domorum, et funem circumdemus coccineum domui orationis nostræ, et coccum in manu nostra ut Zara ligemus, ut vaccam rufam in valle occisam enarrare possimus; jam enim instat, ut ad Passionem Domini veniamus, quam et ex affectu inspicere, et in effectu imitari debemus, juxta illud Exodi : *Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* — Christus enim est tamquam liber exemplaris, ad cujus exemplar totam vi-

tam nostram ducere et corrigere debemus; etsi Christus sæpius in Scriptura dicatur mons, ratione summitatis, sive excellentissimæ perfectionis, maxime tamen exaltatus in cruce mons dicitur, ratione sublimitatis meriti suæ sacratissimæ Passionis. In hoc ergo monte, Christo scilicet crucifixo, monstratum est nobis exemplar diligenter inspiciendum et efficaciter imitandum. Non enim sufficit Christiano Christum passum inspicere, nam hoc fecerunt Judæi et Gentiles sui crucifixores, sed exigitur etiam secundum exemplar monstratum operari et facere. Et hoc est quod indicitur cuilibet fideli in verbis propositis : *Inspice et fac*. Quasi diceret : Inspice exemplar Dominicæ Passionis ipsam tibi per intimam compassionem visceraliter incorporando, et fac secundum illud exemplar, ipsum efficaciter imitando. Et utrumque horum docet beatus Petrus : *Christus*, inquit, *pro nobis passus est*, ecce primum, quod est diligenter cordis oculo inspiciendum; *vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*, ecce secundum, quod est efficaciter in facto imitandum.

2 Tota vita Christi passio fuit. — Circa primum sciendum est, quod si nos omnia quæ Christus in mundo passus est, vellemus enarrare, innumerabilia utique essent, præsertim, cum tota vita Christi in terris quædam passio fuerit. Nimirum, cum etiam tota vita cujuslibet Christiani, si secundum Evangelium vivat, quædam crux atque martyrium sit, ut *Augustinus* dicit, quanto magis hoc indubitabile est de ipso Domino Christo, qui Evangelium condidit, et in seipso perfectissime adimplevit? Exordiendo enim a primordio Nativitatis suæ, inspice quam pauper natus fuit, qui nec domicilium neque vestes habuit, sed in vili diversorio natus, in præsepi super fœno exiguo ante bruta animalia reclinatus, pannis vilibus involutus fuit ; octavo die circumcisus fuit, et jam sanguinem suum pro nobis fundere cœpit; deinde persecutionem Herodis fugiens in Ægyptum deportatus, et inde rediens per totam pueritiam et adolescentiam suam parentibus subjectus, et non dubium in magna paupertate educatus fuit. Dehinc, adveniente tempore ostensionis suæ, inspice quomodo tempore magni frigoris baptizatus in aquis frigidis mergi voluit, et quomodo, tempore jejunii quadraginta dierum continuato, maceratus fuit, et quantas tunc a diabolo tentationes sustinuit, quantas etiam injurias et contumelias a Judæis frequenter passus fuit, nunc dicentibus ipsum a dæmone obsessum, nunc Samaritanum, nunc voratorem et vini esse potatorem, nunc de fornicatione natum, nunc blasphemum, nunc populi seductorem, *et alia multa blasphemantes dicebant in eum*; nihilominus ad facta injuriosa sæpe attentabant procedere, nunc volentes eum lapidare, nunc de supercilio montis præcipitare Inspice etiam cum quanto labore vixerit, quia quotidie erat prædicans in templo, et in synagoga, et de civitate in civitatem, de terra in terram perambulavit, in oratione sæpe pernoctavit, infirmos multos curavit, obsessos a dæmone liberavit, mortuos suscitavit, multitudinem esurientem pavit; et nihilominus in his omnibus naturæ legibus subjectus, fami, siti, et ceteris infirmitatibus hominis, absque tamen peccato, expositus fuit. Ecce quomodo tota vita sua in laboribus et passionibus fuit, sed omnibus talibus Passionem, de qua nunc tractandum est, antecedentibus omissis, inspice diligenter, quid in hac sustinuit, et præcipue articulos et puncta Passionis, in quibus singulis Christus notabiliter passus fuit.

3 Specialius tamen nobis præbet in Passione virtutum exemplum et vitiorum antidotum. — Circa hoc autem sciendum est, quod, secundum *Augustinum*, non solum quidquid boni Christus in terra gessit, sed et quidquid mali sustinuit, totum disciplina morum fuit, unde Passio Domini in se complectitur omnem perfectionem hominum, in hac vita possibilem; quoniam omnia opera perfectionis quæ Christus umquam in Evangelio docuit, ipse in semetipso in sua Passione perfectissime adimplevit. Itaque

in cruce Domini est finis Legis atque Scripturæ, in Passione ejus, summa omnis perfectionis, in morte ipsius est consummatio omnis sermonis. Unde Apostolus, dicit: *Non judicavi me aliquid scire inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum*, nempe quia hoc scire, est omnia scire quæ ad salutem spectant. Nam, si de paupertate voluntaria agitur, quis umquam pauperior Christo nudo pendente in cruce, quia nec habebat ubi caput suum réclinet? Si de obedientia et humilitate loquimur, quis umquam in tantum se humiliavit et exinanivit, sicut Christus, qui *factus* est *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, tantaque vilia et magna opprobria sustinuit pro nobis? Si de castitate virginali mentio fiat, quis castior eo, cujus mater Virgo est, cujus Pater feminam nescit? Si de caritate sermo fuerit, quis umquam majorem vel tantam caritatem habuit, quam Christus, qui in Passione sua posuit animam suam pro ovibus suis, et tam horrenda supplicia pati voluit pro nobis, cum tamen nos liberare potuisset solo nutu voluntatis? In Passione ergo Domini relucet exemplar perfectionis omnium virtutum, prout jam supra est tactum. Item, in ea relucet perfectum remedium et antidotum contra omnem spiritualem morbum. Nam, per hoc quod pati voluit mortem exprobratissimam, habemus remedium contra superbiam; per hoc quod latronibus se associare voluit, remedium præbet contra invidiam; per hoc quod contra ipsum blasphemantes obticuit, remedium præbet contra iram; per hoc quod in cruce distendi, et clavis cruci affigi voluit, præbet remedium contra accidiam, quæ non sinit amplecti pœnitentiæ crucem; per ejus vero nuditatem et paupertatem, habemus remedium contra avaritiam; per fellis et aceti degustationem, habemus remedium contra gulam; per vulnerum inflictionem, et summi doloris afflictionem, habemus remedium contra luxuriam, et hæc sunt septem sigilla librum vitæ consignantia, quæ Christus nobis in Passione aperuit, et postea nobis vitæ aditum reseravit: prædicta ergo in Passione Christi adimpleta videmus. Denique, si de patientia agitur, tota Passio excellentissimam Christi patientiam demonstrat. Si de contemptu mundi, et abstractione a rebus mundialibus loquimur, quis umquam elongatior et abstractior ab omnibus terrenis, quam Christus in cruce supra terram, et super omnia terrena elevatus et abstractus? Si de abstinentia et jejunio, seu victus inedia mentio fiat, Christus nihil in Passione sua nisi fel, et acetum, vel vinum mirrhatum gustavit. Si de corporis castigatione agitur, cujus umquam corpus in tantum castigatum fuit, quantum corpus Domini in cruce? Si de efficacia orationis sermo fiat, quis umquam efficacius Christo oravit, qui ex vehementi attentione orationis guttas sanguineas sudavit? Si de eleemosynarum largitione, aut de aliis misericordiæ operibus loquimur, quis umquam majorem eleemosynam dedit, quam ipse Christus, qui proprium Corpus suum in cibum, et Sanguinem suum in potum, nobis pauperibus in eleemosynam perpetuam dedit; infirmos etiam visitavit, dum infirma discipulorum corda confortavit, et ægros multos curavit, captivos multos in limbo redemit, mortuos de sepulchris suscitavit. Si de dilectione inimicorum agitur, in cruce pendens pro suis crucifixoribus oravit; et si de offensarum dimissione loquimur, quis umquam liberalius dimisit debita debitoribus suis quam Christus, qui latroni non solum debita dimisit, sed et paradisum sibi promisit? Et sic de similibus inducendo, per singula opera supererogationis, quæ omnia in Passione Christi, si bene advertimus, supereroganter adimpleta invenimus; similiter et nos, si perfecti imitatores Christi esse volumus, adimplere vel in facto, vel in desiderio, vel in ministerio debemus. Nam sicut dicit *Hieronymus* : « Singula ea quæ circa Dominum in Passione gesta sunt, quamvis Judæi et alii quæcumque fecerunt alia mente fecerunt, nobis tamen credentibus mystica afferunt sacramenta; sic etiam ipse Caiphas quando dixit: *Expedit unum hominem*

mori pro populo, nescivit quid diceret, et tamen prophetavit. Similiter est de singulis gestis Passionis Dominicæ, quæ nos inspicere debemus, et secundum exemplar illorum facere. »

4 TRADENTIUM CHRISTUM DIVERSÆ VOLUNTATES. — *Et factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes* prædictos, de secundo adventu, ubi se venturum ad judicium in claritate prædixit, consequenter se passurum ostendit, ut sacramentum crucis admixtum esse gloriæ æternitatis admoneat; quasi, qui compatitur crucifixo, non timuit de judicio, conjuncta enim sunt ut causa finalis et effectus, gloria æternitatis et meritum Passionis. Post adventum ergo majestatis subdit humilitatem Passionis, ut causam illius: Passionis enim effectus, vel causa finalis, est gloria æternitatis, unde Apostolus : *Christus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum.* Incipit ergo narrationem de Pascha et de sua Passione, qua Christus ipse Pascha nostrum fuerat immolandus. Et eadem die, scilicet feria tertia in sero, et ibidem, scilicet in monte Oliveti; *dixit* ergo *discipulis suis : Scitis quia post biduum*, id est feria quinta ad vesperam, *Pascha fiet*, et agnus paschalis immolari debet. *Et*, ego addo quod nescitis, scilicet quod tunc etiam *Filius hominis*, id est Virginis, *tradetur ut crucifigatur*, et Pascha faciet transeundo. Ex quo patet, quod non fuit ex ignorantia traditus; sed ex sua præscientia, et voluntate. Bene autem dicit : *Filius hominis*, quia, secundum formam humanam tentus et crucifixus est, non secundum divinam, in qua semper immortalis est; et bene impersonaliter posuit, *tradetur*, quia uno traditionis verbo diversæ voluntates exprimuntur. Nam Deus Pater tradidit Filium propter caritatem, et generis humani utilitatem, e contra Judas Judæis, propter avaritiam et lucri sui cupiditatem; item, Spiritus Sanctus propter suam benignitatem, e contra Judæi Pilato propter invidiam et malignitatem; item, Filius seipsum, ut impleret beneplacitum divinum, e contra Pilatus cruci, ut satisfaceret perversæ voluntati Judæorum; item, diabolus propter timorem, ne per Christi doctrinam et miracula evelleretur genus humanum de manu sua, non advertens quia magis erat per ipsius mortem eripiendum, quam fuerat per doctrinam et miracula ereptum. Ecce opus commune, sed voluntates diversæ valde, ergo Pater et Filius et Spiritus Sanctus non solum amandi, sed etiam glorificandi; Judas autem et alii non solum detestandi, sed etiam contemnendi sunt, quia quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus bona, hoc illi mala intentione fecerunt. Prædicit autem discipulis se tradendum, præmuniens eos ne prius quam audiant quæ eventura fuerant, subito videntes tradi ad crucem Magistrum, obstupescant.

5 VOX PASCHA MULTIFARIAM ACCIPITUR. — Et, quia hoc nomen Pascha in diversis locis reperitur, et diversa per ipsum significantur; ideo ne in æquivoco erremus, diversas ejus acceptiones videamus. Sciendum ergo, ad solutionem multarum contrarietatum, quod Pascha appellatur primo, tota septimana, seu septem dies azymorum, quibus Judæi panes azymos, hoc est sine fermento, comedebant; nam ἀ, sine, et ζύμη, fermentum significat, unde in Actibus : *Volens post Pascha producere eum populo*, etc. ; primus et ultimus dies illius septimanæ magis solemnes erant quam medii. — Secundo, dicitur hora immolationis agni, scilicet vespera qua agnus immolabatur, quæ est initium primi diei azymorum, qui solemnior erat, ut hic: *Scitis, quia post biduum Pascha fiet*, unde cantat Ecclesia : *Quartadecima die ad vesperam, Pascha Domini est*, etc.; dies autem præcedens illam horam, nec Pascha dicebatur, nec solemnis erat. — Tertio, dicitur primus azymorum, qui erat celeberrimus, scilicet quintadecima luna primi mensis, quando egressus est populus Israel de Ægypto, ut ibi: *Appropinquabat dies festus azymorum, qui dicitur Pascha*; et ibi : *Ante diem festum Paschæ*, etc. — Quarto, dicitur festivitas epulæ paschalis, ut in Paralipomenis:

Non fuit Phase simile huic in Israel. — Quinto, dicitur agnus paschalis, qui paratus comedebatur : *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Et ibi: *Venit dies azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha.* — Sexto, panes azymi, vel quicumque cibus paschalis, ut ibi: *Non introierunt prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha,* id est panes azymos, seu paschales ; quia ad comedendum azyma septem diebus, oportebat eos mundatos esse, et ideo quolibet septem dierum non poterant in prætorium introire.— Septimo, dicitur ipse Christus per agnum paschalem signatus, ut ibi : *Pascha nostrum immolatus est Christus,* ipse enim est verum Pascha nostrum. De prædictis autem Paschæ acceptionibus sunt isti versus :

Hebdomas, hora, dies, epulæ, agnus,
[azyma, Christus,
Pascha solent dici; velut exemplis
[patefeci.

Communiter tamen Pascha vocatur dies, in qua immolabatur agnus.

6 Cur Pascha dicitur transitus? — Declinatur autem Pascha Paschæ vel Paschatis, et dicitur Pascha non a Passione, sed a transitu. Prima enim origo hujus vocabuli Paschæ ex Hebræo habetur, quia Pascha dicitur quasi *Phase*, quod in Hebræo idem est quod transitus. Dicebatur autem Pascha Judæorum transitus, propter duo: quia ea nocte, qua immolatus est agnus, Angelus exterminator, videns sanguinem agni in foribus Israelitarum, pertransivit, non percutiens eos; et quia filii Israel fugientes illa nocte de Ægyptiaca servitute, mare rubrum transierunt, et deinde ad terram promissæ olim hereditatis et pacis venerunt, et ideo festum istud bene Pascha vocatur. Quo transitu præfiguratus est etiam transitus Christi de hoc mundo ad Patrem; et transitus noster de vitiis ad virtutes, et de terrenis ad cœlestia. Et ideo similiter Pascha Christianorum mystice dicitur transitus : quia in eo Dominus per mortem transivit de hoc mundo ad Patrem ; et significat quod ejus exemplo fideles Christum sequentes, vel pœnitentiam et martyrium assumendo, secundum illud : *Transivimus per ignem et aquam*, vel mentis desiderio ad cœlestia anhelando, secundum illud : *Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me,* transituri sunt pro Christi sanguine fuso, ad patriæ cœlestis promissionem. Sanguis enim Christi debet poni super utrumque postem, scilicet : super intellectum, devote recogitando ; et super affectum, devote per pœnitentiam imitando. Unde, secundum *Augustinum,* signum crucis a nobis repellit exterminatorem, si tamen cor nostrum Christum habeat inhabitatorem, cujus sanguine illinitis postibus nostris, id est, cujus crucis signo signatis frontibus nostris, a perditione hujus seculi tamquam a captivitate Ægyptiaca liberamur; et agimus saluberrimum transitum, cum a diabolo transimus ad Christum, et ab isto instabili seculo ad ejus fundatissimum regnum. Secundum autem *Bedam,* quia Paschæ dies in azymis panibus est celebrari præceptus, et uno die agno immolato ad vesperam, septem ex ordine dies sequuntur azymorum, Jesus semel pro nobis passus est, et de hoc mundo transiens per omne nobis hujus seculi tempus, quod septem diebus agitur, in azymis sinceritatis et veritatis præcepit esse vivendum ; et quasi Pascha perpetuum faciendo, semper ex hoc mundo transeundum, totoque semper nisu desideria seculi, quasi Ægypti retinacula fugere, et quasi a mundana conversatione secretam solitudinem iter nos admonet subire virtutum.

7 Reditus Christi in Bethaniam. — Post hæc, Dominus Jesus rediit cum discipulis duodecim in Bethaniam, et mansit apud Lazarum, et Martham, et Mariam, sorores ejus, docens eos more solito, et confortans. Et deinde non venit in Jerusalem, sicut ante fecerat, usque ad diem cœnæ ultimæ; et sic Judæi locum suum habebant tractandi liberius de sua morte.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui die tertia ante tempus Passionis et mortis tuæ, discipulis tuis Pascha et transitum tuum ex hoc mundo prædixisti, da mihi per omne tempus vitæ meæ in azymis sinceritatis et veritatis vivere; meque de hoc mundo transire non permittas antequam per triduum pœnitentiæ, scilicet per cordis contritionem, oris confessionem, et operis satisfactionem, peccata mea omnia deleas, donans mihi sacratissimi Corporis et Sanguinis tui communionem, olei sacri unctionem, ac in omnibus perfectam consummationem; et me tandem feliciter consummatum transire facias ad te dulcissimum Dominum meum, super omnia benedictum. Amen.

CAPUT LII

QUA DIE ET CUR JUDAS VENDIDIT DOMINUM.

Matthæi cap. XXVI et Lucæ cap. XXII.

1 Concilium Judæorum de Jesu tenendo et occidendo. — *Tunc*, scilicet quarta feria sequenti, *principes sacerdotum*, qui audierant Jesum dixisse : *Non me videbitis amodo*, videntes eum abiisse, et putantes ipsum velle ab eis fugere, *congregati sunt, et* cum eis *seniores populi*, qui erant judices ordinarii, *in atrium principis sacerdotum qui dicebatur Caiphas, et concilium fecerunt, ut* eum, *Jesum* scilicet *dolo tenerent, et occiderent*; quia nullam mortis causam in eo invenire poterant, nisi eam dolose confingerent. Prius quidem determinaverant ipsum interficere, et deliberaverant de facto; sed nunc quærebant consilium de faciendi modo, et qualiter possent facere occulte, et sine populi seditione. Qui se debuerant parare ad paschalem agnum, et secundum ritum Legis purificari, ut esu agni digni fierent, contra verum Agnum magis et potius se armant, et hoc faciunt ex dolo et consilio, timentes ne eis auferatur populi auxilio. Unde, *dicebant* habito concilio : *Non in die festo*, scilicet azymorum, id est in solemnitate paschali imminenti de proximo, supple capiendus est ad occidendum; quod non dicebant propter reverentiam festi, sed *ne forte tumultus fieret in populo* propter diversa studia ipsius populi scilicet diligentis Christum et odientis, credentis et non credentis. Mult enim propter solemnitatem Paschæ venerant in Jerusalem : et quia aliqui reputabant Jesum esse verum Christum, timebant si, durante solemnitate paschali, in eum manus mitterent, ne populus qui eum diligebat illis consurgens, innocentem defenderet; et sic ipse manus eorum evaderet. Timebant quidem plebem, non vitantes scandalum, sed impetum; nec seditionem metuentes, sed ne de suis manibus tolleretur caventes, propter quod consulebant mortem suam differri usque post festum. Postea tamen mutaverunt istud consilium, quia invenerunt opportunitatem capiendi eum secrete per discipulum. Attende hic, quia majores principaliter quærebant Jesum perdere; *a* principibus enim et *senioribus egressa est iniquitas de Babylone*. Sic et hodie majores præ ceteris contra eum insurgunt, et majora scandala quam ceteri faciunt. Unde ait *Bernardus :* « O bone Jesu, totus mundus videtur contra te conjurasse; et hi in persecutione tua primi sunt qui videntur regere-

populum, et dirigere principatum : » hæc *Bernardus*.

2 SATANAS INTRAT IN JUDAM, QUI TRIGINTA ARGENTEIS MAGISTRUM VENDIT. — *Intravit autem Satanas in Judam*, id est in Judæ animam, *qui cognominabatur Iscariotes*, quia de villa Iscarioth fuit oriundus, *unum de duodecim*. Intravit, inquam, non impellens, sed patulum inveniens ostium; nam oblitus omnium quæ viderat, ad solam avaritiam dirigebat intuitum; intravit autem, non per essentiam, et essentialiter in animam illabendo, quia, secundum *Augustinum*, sic solus Deus intrat in animam, qui creavit eam; sed intravit primo per effectum suggestionis, venditionem et traditionem Christi suggerendo, et secundo post buccelam per effectum plenioris possessionis eum suæ servituti subjugando. Ex quo patet quod in omni peccato mortali diabolus intrat hominem, ut ipsum denuo vel amplius quam ante possideat. *Tunc* ergo Judas audiens eos congregatos ad tractandum de Christi morte, qui etiam audierat a Christo se tradendum ut crucifigeretur in Pascha tunc instanti, et apud se cogitans, et dicens in corde : In proximo morietur homo iste, et ad lucrum meum possum eum tradere, *abiit*, a Christo, et facta societate, non tantum corpore, sed etiam mente recedendo et apostatando, *et veniens ad consilium proditor, ait illis* : *Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam*, occulte scilicet, et sine strepitu ? *Et* ipsi *gavisi sunt*, quia ille modus capiendi Christum, per suum discipulum videbatur magis conveniens et secretus; propter quod mutaverunt consilium prædictum, scilicet de differenda morte ejus, usque post festum. Quia enim traditorem invenerunt, in ipsa festivitate Christum occiderunt. Hoc autem, secundum *Leonem* Papam, divino intelligimus dispositum fuisse consilio. Oportebat enim ut manifesto implerentur effectu, quæ diu figurato fuerant promissa mysterio. Et pepigit Judas cum eis de Christo tradendo pro triginta argenteis : *At illi constituerunt ei triginta argenteos*, idem pretium quo Joseph venditus est a fratribus suis : in venditione enim Joseph præfigurata fuit venditio Christi. Judas ad congregationes ivit ubi Christum vendidit; sic multi ad spectacula vadunt, ubi Christum pro modica tentatione et modico pretio vendunt. Ipse dedit pro triginta argenteis, sed peccatores dant sæpe pro pretio minori. Ubi dicit idem *Leo* Papa, quod anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit, nullumque in illo corde est justitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum. Infelix mercator Judas, qui tantum dedit pro tanto, Deum pro nummo, verum pro vano, æternum pro transitorio! Quia enim audierat Dominum tertia die moriturum, et eum in morte detineri putavit, mortem imminentem lucrativam sibi facere voluit. Cum enim esset fur et loculos habens, et videret unguentum super caput et pedes Domini effusum, quod putaverat esse vendendum, et pretium sibi tradendum, quod perdiderat in effusione unguenti, voluit recuperare in venditione Magistri. Illi quippe triginta argentei valebant trecentos denarios usuales; quilibet enim decem valebat, et ita in venditione Christi recuperavit valorem unguenti prædicti, et recompensavit damnum trecentorum denariorum de quo dixerat: *Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis et datum est egenis?* Et forte hæc causa fuit quare Matthæus hic factum Mariæ recitavit, ut scilicet congruenter factum Judæ, quo Dominum vendidit, narraret, tamquam continuans effectum ad causam, quia hoc factum fuit occasio venditionis Christi. Judas itaque unus de duodecim, numero non merito, nomine non munere, corpore non animo, a principibus non invitatur, non cogitur, nulla necessitate constringitur, sed propria sponte processit et propria malignitate consilium sceleratæ mentis iniit; nec in venditione Magistri certam postulavit summam, ut de re cara fieri solet, sed quasi vile tradens et venale exponens mancipium, in potestate ementium posuit quantum dare vellent. Cum enim vilia

exponuntur, solet quærere venditor ab emptore, quantum dabis? Cum autem cara, e converso dicit, tantum dabis.

3 Mystice quinam Judæ similes? — Mystice autem per Judam significantur judices ac prælati et sacerdotes, qui judicia ac beneficia et sacramenta vendere non cessant, dicentes sæpe, etsi non verbo, tamen facto : *Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam?* Unde *Bernardus* : « Quanti hodie de his qui animas regere susceperunt, quod sine miserabili gemitu non est dicendum, Christi opprobria, flagella, clavos, lanceam, crucem, mortem in fornace avaritiæ conflant, hoc solo a Juda differentes : quod ille omnium horum emolumentum denariorum numero compensavit; isti, voratoria ingluvie lucri, infinitas exigunt pecunias, his inhiant, timent ne amittant, in harum amore quiescunt, animarum apud eos nec casus reputatur nec salus ; et cum sint de patrimonio Christi nimium impinguati, incrassati, dilatati, *non compatiuntur super contritione Joseph!* » hæc *Bernardus*. Propter avaritiam vero Judas factus est talis, quia, ut *Leo* Papa dicit : Anima lucri cupida, etc., ubi supra.

4 Tria documenta moralia e venditione Christi trahuntur. — Ex hoc autem articulo venditionis Christi, tria trahuntur notabilia documenta. Primum est, ut nobis caveamus ne et nos tam detestandum facinus, scilicet venditionis Christi, umquam perpetremus, quod utique diversis modis incurrimus. Unde *Beda* : « Multi hodie Judæ scelus, quod Dominum et Magistrum Deumque suum pecunia vendiderit, velut immane et nefarium exhorrent, nec tamen cavent. Nam, cum pro muneribus falsum contra quemlibet testimonium dicunt, profecto quia veritatem pro pecunia negant, Dominum pro pecunia vendunt, ipse enim dixit : *Ego sum veritas*. Cum societatem fraternitatis discordiæ peste commaculant, Dominum produnt : *Quoniam Deus caritas est.* » Qui, etiamsi nullus pecuniam det, Dominum argenteis vendunt, quia principis seculi imaginem, id est exempla hostis antiqui, neglecta Conditoris ad quam creati sunt imaginem, sumunt. Nam, secundum *Hieronymum*, sicut Joannes Baptista, qui non pro Christi confessione, sed pro defensione veritatis occubuit, ideo tamen pro Christo, quia pro veritate martyrium suscepit; ita e contrario qui caritatis et veritatis jura spernit, Christum utique, qui est veritas et caritas, prodit. Imo universaliter, sicut dicit *Origenes*, omnes qui pro temporalibus et mundialibus rebus justitiam deserunt, Deum qui est justitia vendunt. Similiter Dominum vendit: qui justitiam, vel consilium vendit, ipse enim est justitia, ac spiritus, et Angelus consilii. Ille etiam Dominum vendit : qui, ejus timore et amore neglecto, terrena ac caduca, imo etiam criminosa plus amare et curare convincitur. Dominum etiam pro temporali pecunia vendit, qui bona sua pro vana gloria expendit. Item, Deum vendunt et simoniaci, qui gratiam Dei, quæ est in missæ sacrificio, in sacramentis, in aliis sacratis et spiritualibus rebus, pecunia commutare non verentur. Et, quia simoniæ peccatum est tam in dante, quam in recipiente, ideo non solum peccavit Judas in vendendo Christum, sed etiam Judæi in emendo Christum. Emit autem a me Christum, qui dando mihi aliquod temporale, aufert mihi Christum; verbi gratia, si adulator dat mihi laudem falsam, ex qua cor meum extollitur, aufert mihi Christum, et ego consentiens pro vana laude vendo Christum. Item, dans mihi pecuniam, qua allicit me ad peccatum mortale, aufert mihi Christum; et ego consentiendo vendo Christum. Nec tamen ille emendo retinet, sicut nec ego, sed nec mihi nec tibi. Sic fuit de Juda, et Judæis, quorum neuter Christum retinuit; sed acquisitus est nobis Christianis. Unde *Rabanus* : « Exsulta, Christiane, in commercio inimicorum tuorum vicisti, quod Judas vendidit, et Judæus emit, hoc tu acquisisti; noster enim Christus, non Judæorum, qui eum emerunt. » — Secundum est, ut etiam et nos vendi et vilipendi pro laude Dei patiamur; qui enim vendit rem aliquam, id pro quo rem vendit, plus

appretiatur, quam rem ipsam. Unde, si quis te minoris valoris in corde suo et factis æstimet, quam forte sis, non turberis, et maxime in causa Dei ; si enim ipse Dominus et Salvator noster, qui est summum bonum, et infinitæ bonitatis, in quo sunt omnes thesauri reconditi, dignatus est pro nobis tam vili et exiguo pretio æstimari, ac vendi et vilipendi injuste, nos qui veraciter viles, et ob hoc vilipensibiles sumus, si conditionis nostræ miseriam aspicere volumus, cur non pro Christo vilipendi, imo nihilipendi patiamur juste? Unde Psalmus : *Ego propter te sustinui opprobria.* — Tertium documentum est, quod homo debet vendere seipsum pro regno. Si enim regnum cœlorum venale est, et tantum valet quantum habes ; sed tu nihil habes melius teipso, vende ergo teipsum pro regno cœlorum, sicut Christus voluit vendi, ut nobis acquireret regnum cœlorum.

5 Quid recogitare debet Christianus hanc venditionem meditans? — In recolendo istum articulum, recogitet homo vilitatem suam, quia si justo pretio æstimari deberet, vix unum obolum valeret, imo nihil, in comparatione Christi, qui tam exiguo et vili pretio venditus est. Item, recogitet an ipse umquam Christum vendiderit : ipsum, et mandata ejus, pro re temporali vel pro delectatione transitoria deserendo. Item, recogitet qualiter ipse Christum sic venditum gratis sua mera bonitate acquisivit. Item, quia Christus adhuc hodie venalis est, ideo sicut Judas nequiter vendidit Christum, sic tu per contrarium cum eleemosynis eme ipsum; vel si aliud non habes, da pro eo cor tuum, hoc enim desiderat præ omni re mundi, juxta illud Sapientis : *Præbe, fili, cor tuum mihi.* Item, quilibet, quantumcumque perfectus, non præsumat de seipso, cum audit Christi apostolum, Magistrum et Dominum suum, imo et Deum et Creatorem omnium, prodidisse. Et, quia quarta feria Dominus fuit venditus, sic sexta feria fuit crucifixus, ideo in memoriam hujus venditionis Domini, per totum annum jejuniis pœnitentialibus feria quarta secundum post sextam tenet locum. Hinc est etiam quod multi quartis et sextis jejunare consueverunt, multi quoque abstinent a carnibus quarta feria, quia tunc caro Christi fuit vendita ; ex tunc etiam post feriam quartam illam, qua fuit venditus, tribus diebus sequentibus initia et fines horarum omittimus, quasi nobis ablatus sit *alpha et omega*, et impiis traditus.

6 Ingratitudo Judæorum. — Et, facta igitur ista pactione, *quærebat Judas opportunitatem*, scilicet loci, et temporis, et societatis, *ut traderet illum* occulte et *sine turbis*, scilicet quando populus non erat cum discipulis; quod et fecit tradens eum post cœnam, et de nocte cum in horto esset cum eis, ne per concursum et impetum populi tolleretur, qui de die eum sequebatur. Considera nunc quomodo Dominus Jesus toto vitæ suæ tempore usque hodie pro Judæis laboravit ; sed ipsi tanquam ingrati mala pro bonis Domino reddiderunt, et post multas contumelias usque ad ipsius emptionem et mortem sævierunt. Unde ait *Anselmus* : « Demum venisti, Domine, ad oves quæ perierant domus Israel, divini verbi lampadem palam extollens, ad illuminationem orbis terræ, et regnum Dei annuntians cunctis obtemperantibus verbo tuo, sermonem sequentibus signis confirmasti ; et virtutem divinitatis tuæ obstendisti in cunctis male habentibus, omnia omnibus gratis exhibens, quæ saluti ipsorum congruebant, ut omnes lucrifaceres. Sed obscuratum est insipiens cor eorum, Domine, et projecerunt sermones tuos retrorsum ; nec attenderunt ad omnia mirabilia, quæ operatus es in eis, exceptis paucis nobilibus athletis, quos inter infirma et abjecta mundi elegisti, ut per ipsos fortia et alta mirifice expugnares; nec solum ingrati gratuitis tuis beneficiis exstiterunt, sed etiam contumeliis affecerunt te Dominum dominantium, et fecerunt in te quæcumque voluerunt. Te enim faciente opera in eis, quæ nemo alius fecit, quid dixerunt? ***Non est hic homo a Deo;... in principe dæmoniorum ejicit dæmonia;... dæmonium habet;...***

seducit turbas;... vorax est et potator vini,... amicus publicanorum et peccatorum. Quid fles, quid suspiras, o homo Dei, dum sustines verborum injurias? Non audis quanta propter te in Dominum Deum tuum ceciderunt opprobria? *Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* Hæc quidem et his similia blasphemantes, et aliquoties de lapidibus impetentes, Jesu bone, patienter sustinuisti, et factus es coram eis, sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones. Novissime autem et justum sanguinem tuum, bone Jesu, a discipulo tuo filio perditionis, triginta argenteis appretiati sunt, ut præcipitarent animam tuam in mortem sine causa : » hæc *Anselmus.* Vere magna deberet nobis esse confusio, quod patientiam in adversitatibus non habemus. Jesus innocens tot et tanta, ac etiam Passionem et mortem patienter pro nobis sustinuit; et nos peccatis aggravati, et ira Dei digni non possumus parvas injurias et gravamina modica sustinere, et multoties nec verba levia pro ejus nomine tolerare! Unde *Chrysostomus* : « Christus exprobratus contumelias fert; tu vero ubique honorari vis, et non fers opprobrium Christi : » hæc *Chrysostomus.*

7 Minora peccata repellenda sunt. — Considera etiam hic, quam periculosum sit peccatis locum dare, ac principia et introitus eorum non repellere; quia frequenter a minoribus diabolus incipit, ut ad majora mala inducat. Si enim Judas cupiditate et avaritia, ac Judæi vanæ gloriæ et invidiæ, restitissent, numquam ille ad proditionem, nec isti ad ejus occisionem pervenissent, sed quia minora contempserunt, ideo consequenter ad majora deciderunt, ut enim Ecclesiasticus ait : *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

ORATIO

O Jesu clementissime, qui labores in prædicando, fatigationes in discurrendo, convitia et opprobria, injurias et angustias pro nostra salute pertulisti, ac tandem ab uno discipulorum tuorum vendi, et a Judæis appretiari triginta argenteis, sic quoque vili pretio vendi voluisti, da mihi tantæ patientiæ et humilitatis exemplum imitari, atque opprobria, injurias et omnia quæ mihi illata fuerint patienter tua gratia tuoque consilio superare, et pro nulla re transitoria te nequiter commutare, vilipensiones quoque meas et angustias pro tui nominis gloria æquanimiter tolerare. Amen.

CAPUT LIII

MEDITATIO IN PRIMIS VESPERIS DE CŒNA DOMINI.

Matthæi cap. XXVI, Marci cap. XIV
et Lucæ cap. XXII.

1 Quinque principaliter in ultima cœna meditanda, totidem capitibus absolventur. — Adveniente jam et imminente tempore miserationum et misericordiarum Domini, quo disposuerat plebem suam salvam facere, et eam non corruptibilibus auro et argento, sed pretioso sanguine suo redimere, voluit cœnam facere cum discipulis suis notabilem, antequam ab eis per mortem discederet, in signum et memoriale recordationis, et ut my-

steria, quæ restabant, compleret. Hæc autem cœna præfigurata fuit in panibus, quos Abimelech David porrigebat. Et magnifica valde fuit, et magnifica sunt, quæ Dominus ibi fecit, ad quæ intuenda te præsentem, cum attentione summa exhibe : quia, si hoc digne et vigilanter feceris, non patietur benignus Dominus te jejunum redire. Circa ipsam igitur cœnam principaliter quinque, quæ ibi notabiliter facta sunt, meditanda occurrunt : primo, ipsa corporalis cœnatio ; secundo, pedum discipulorum per Dominum Jesum ablutio ; tertio, caritativa proditoris correptio ; quarto, sacratissimi Sacrmenti institutio : quinto, pulcherrimi sermonis per ipsum compositio.

2 Duo mittuntur Apostoli ad præparandum cœnaculum. — Circa primum attende, quod prima die azymorum, id est eadem die in cujus vespera erat agnus immolandus, et cum azymis edendus, scilicet quartadecima die seu luna mensis, id est quæ erat feria quinta, et Paschæ vigilia, Dominus Jesus requisitus a discipulis suis, ubi vellet sibi, juxta Legem, parari Pascha, id est paschalem agnum, præmisit ad hoc faciendum Petrum et Joannem, ad amicum suum in monte Sion, ubi erat *cœnaculum grande stratum*, jubens ut Pascha pararent ibi, et per omnia manifestans quod usque ad extremum vitæ non est adversatus Legi. Per Petrum signatur actio bona, per Joannem contemplatio devota, quæ præparant Pascha, id est disponunt ad Corpus Christi sanctum debite sumendum. Præparant autem in cœnaculo, id est in homine : per devotionem elevato, grandi longitudine longanimitatis, lato latitudine caritatis, strato varietate virtutis. Mittens autem *Jesus* discipulos, *dixit* eis : *Ite in civitatem ;.. et ecce introeuntibus vobis, in civitatem occurret vobis homo amphoram aquæ portans.* Ad litteram tulit amphoram seu lagenam aquæ, ut in tanto festo haberet apud seipsum aquam expiationis, qua mundaret se ; et significat quod ubi Christus cœnaturus est, lagena aquæ lacrymarum in expiatione debet præcedere : per aquam enim vivifici fontis Baptisma designatur. Unde *Beda* : « Paraturis Pascha homo amphoram aquæ portans occurrit, ut ostendatur mysterium Paschæ Domini celebrandum pro ablutione mundi. Aqua lavacrum gratiæ, lagena autem fragilitatem designat eorum, per quos eadem erat gratia mundo ministranda. » Et subdit : *Sequimini eum in domum in quam intrat, et dicetis patrifamilias domus : Magister tibi dicit : Tempus meum,* scilicet patiendi, *prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Quasi diceret : Volo parari apud te, quæ exiguntur ad comestionem agni paschalis, et ideo provide mihi de loco et cibo ; unde creditur quod ille erat discipulus Christi, sed occultus ; et ideo providit de loco, et de agno, et de aliis necessariis in convivii celebratione paschalis. In quo apparet maxima paupertas Christi, quia ita pauper erat quod nec domicilium, nec susceptaculum habebat, nec unde paschalem cibum emere posset ; et ideo discipuli interrogabant eum ubi Pascha parare deberent. Audiant hæc et erubescant quibus cura est in ædificandis magnis domibus et ambitiosis, et congregandis thesauris ; cognoscant Christum omnium Dominum, quia locum ubi cœnaret vel etiam caput reclinaret, aut cibum quem acciperet, vel pecuniam unde emeret non habebat. Attendant se parum distare ab infidelibus, idola et opera manuum hominum colentibus. Studium enim ponere et delectari in magnis et pulchris ædificiis, vel in thesauris, quid aliud est quam colere ligna, vel lapides, vel argentum et aurum cum Gentibus? *Et abierunt* discipuli, *et* venerunt in civitatem, et *invenerunt sicut dixerat illis, et paraverunt Pascha,* id est refectionem Paschæ in monte Sion, et cœnaculo ipsis ostenso. Ibi Pascha manducaverunt, ibi post resurrectionem Domini discipuli propter metum Judæorum latuerunt, ibi Spiritum Sanctum in die Pentecostes receperunt, ac multa et magna ibidem per Dominum facta sunt. Hic mons Sion, *mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare*

in eo, et multa ac mira operari, quasi favus distillans dulcedine,et flos redolens suavitatis odorem, pias mentes sui recordatione afficit, confortat et reficit, ac sanctitatis suæ præeminentia consolatur et pascit.

3 Cur hora vespertina immolari debebat agnus paschalis? — Appropinquante autem vespera, ipse Dominus cum aliis discipulis civitatem intravit, et ad ipsum locum perveniens ad vesperam illius diei Pascha celebravit, quia illa hora agnus paschalis comedi consuevit. Hora quippe vespertina debebat agnus paschalis immolari, et hoc in figura et signo, quod in vespera mundi et in fine seculorum immolandus esset verus Agnus, scilicet Christus. Solemnitates etiam Judæorum incipiebant a vespera, et terminabantur in vespera, quia ipsi secundum lunam, quæ de sero primo apparet, dies numerabant, et eos de uno sero in aliud computabant. Sic ergo aliquid factum in vigilia festi, potest dici in festo factum, quem quidem modum tres Evangelistæ servantes, dixerunt cœnam esse factam prima die azymorum, quia facta fuit die præcedenti ad vesperam, quæ jam ad primam diem azymorum pertinebat, in qua scilicet vespera, fermento de domibus suis abjecto, Judæi agnum immolare, id est occidere, solebant. Joannes vero accipit diem festum Paschæ, non pro illo cujus festum solum celebre erat,quæ erat dies præcedens ; sed pro illo die qui totus celebris erat,et ideo dicit cœnam factam *ante diem festum Paschæ*. Illa autem vespera, qua comedebatur agnus paschalis cum azymis, confecit Christus corpus suum, ex quo patet quod illud confecit de azymo et non de fermentato, cum tunc non esset fermentatum in domibus Judæorum, quia tunc tenebantur vesci panibus azymis,scilicet a vespera decimi quarti diei primi mensis, usque ad vesperam vigesimi primi diei ejusdem mensis; unde patet quod Joannes non contradicit aliis, sed magis convenit cum ipsis. Quamvis autem typicus agnus figuram veri Agni gestabat, illa tamen nocte, qua immolabatur agnus typicus, non fuit Christus verus Agnus immolatus. Ipse enim legalia voluit observare, ne Legi contrarius videretur; et ideo noluit more Judæorum Pascha celebrare et nocte illa agnum comedere antequam moreretur. Præcessit ergo immolatio agni typici immolationem Agni veri, ut sic Christus, qui est Agnus verus, immolaretur pro nobis immediate post immolationem agni figuralis ; et sic veritas figuræ succederet et responderet. Qui etiam, licet die sequenti crucifixus fuerit, hac tamen nocte, qua agnus immolabatur, mysteria Corporis et Sanguinis sui celebranda discipulis tradidit, et a Judæis tentus et ligatus est ; et sic ipsius immolationis, id est Passionis suæ, exordium sacravit. Quando autem Christus verus Agnus fuit immolatus, scilicet in Parasceve sancta, tunc apud nos est tempus non gaudii, sed mœroris propter Christi Passionem, et ideo Ecclesia illa die non solemnizat festum Pascha ; sed differt usque ad diem resurrectionis, quia, sicut ait Apostolus : *Pascha nostrum immolatus est Christus*.

4 Necessaria ad comedendum agnum paschalem. — Aspice igitur nunc Dominum Jesum in aliqua parte domus manentem, et cum discipulis suis salubria colloquentem. Et interim in cœnaculo parabatur pro eis, per aliquos ex septuaginta duobus discipulis. Legitur enim quod beatus Martialis, Lemovicarum Apostolus, cum aliquibus aliis ex septuaginta duobus, fuit ipso sero ibi, ad ministrandum Domino Jesu, et duodecim recumbentibus; sed, et aquam portavit ipsi Domino Jesu, quando lavit pedes discipulorum. Cum autem omnia essent parata in cœnaculo, intravit cœnaculum Dominus Jesus, et discipuli cum eo. Omnes lavant manus, et defertur eis agnus paschalis assus, benedictioneque facta per Dominum, comedunt eum cum succo lactucarum agrestium. In solemnitate quippe paschali quatuor erant : agnus paschalis, panis azymus, vinum, et jus lactucarum agrestium; non enim nisi cum amaritudine et compunctione cordis digne acceditur ad verum Agnum.

Dixit autem *Comestor* in scholastica historia, quod numquam legitur Dominum comedisse carnes, nisi agni paschalis; quod tamen fecit in typo et figura. Discumbebat ergo Jesus cum duodecim discipulis suis, Dominus cum servis, Magister cum discipulis, pater cum filiis, quasi cum sociis, quasi cum amicis ; unde in Psalmo : *Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.* Hæc refectio significat refectionem æternam in vespere, id est in fine mundi futuram. O quam felices illius recubitus commensales ! Sed, quomodo discumbentes cœnabant, cum Lex præceperit, quod stantes erecti Pascha comedere deberent? Potest dici, secundum *Theophilum*, quod prius manducaverunt Pascha, et fecerunt ut Lex mandabat; deinde, secundum communem usum, discubuerunt quosdam alios cibos manducantes; unde dicitur postea, quod Jesus surrexit a cœna.

5 Desiderium Christi manducandi hoc Pascha, et legalium post Passionem abrogatio. — *Et*, edentibus illis, *ait illis* Dominus Jesus : *Desiderio desideravi*, id est valde desideravi, *hoc Pascha,* scilicet typicum et legale, *manducare vobiscum, antequam patiar*, id est, moriar. Geminatione verbi notat intentionem duplicis desiderii, scilicet ut finiat Vetus Testamentum, et inchoet Novum, quod erat sibi in desiderium. Cogita quam longo tempore hoc desiderium Domini fuerit protelatum, et noli deficere, si quandoque ad tempus, tuum differtur desiderium. Ipse etiam Christus omnibus diebus vitæ suæ, post nos cucurrit in siti ferventissimi desiderii salutis nostræ. Et nos si quandoque non valemus habere desideria bona, saltem habeamus voluntatem habendi desiderium, juxta illud : *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas;* et tunc acceptabit voluntatem pro facto. Dicit autem hoc Dominus, ut se voluntarie pati ostendat, cujus Passionem immolatio agni typici et Pascha Judaicum præfigurabat; et ut demonstret affectum quem habet ut legalia cessent, et veritas Evangelii currat. Secundum *Bedam*, desiderat primo typicum Pascha cum discipulis manducare, et sic Passionis suæ mysteria mundo declarare; quatenus et legalis Paschæ probator existat, et hoc figuram veri Paschæ fuisse docendo, vetet ultra carnaliter exhiberi. In cujus rei figura scriptum est, quod, *deficit manna postquam comederunt filii Israel de frugibus terræ* promissionis, *nec usi sunt ultra cibo illo.* Unde subdit: *Dico enim* vobis, quia *ex hoc*, scilicet tempore, *non manducabo illud*, scilicet vetus et legale Pascha, *donec* sacramentum Dominici Corporis et Sanguinis in hoc veteri Pascha spiritualiter intellectum, *in regno Dei*, id est in Ecclesia militante, *impleatur*, id est instituatur vel institutum celebretur. Quasi diceret : Non comedam vel celebrabo amplius in figura et signo, sed in veritate et signato. Ipse enim postea sumpsit verum Corpus suum sub sacramento, et nihilominus hodie in Ecclesia vetus et figurale Pascha impletum manducat; quia ea quæ Lex rudi populo carnaliter observanda præcepit, ipse in membris suis, hoc est in ipsa Ecclesia, spiritualiter exercet. In hoc igitur regno comedit Corpus suum, id est nos illud in eo comedere facit; sicut postulat pro nobis, id est postulare nos facit. Sacramentum enim Eucharistiæ, quod nos per fidem spiritualiter manducamus, et ipse manducat nobiscum incorporando nos sibi per istud sacramentum, quod alloquens *Augustinus* dicit : « Cibus es grandium; non mutaberis in me, sed tu me mutabis in te. » Unde *donec* non ponitur hic exclusive, sed inclusive. Sequitur : *Et accepto calice*, scilicet vini quoad Pascha Judaicum, *gratias egit et dixit* : *Accipite et dividite inter vos.* Gratias egit : quia instabat completum desiderium, ut post immolationem agni typici sequeretur immolatio Agni veri, scilicet Christi ; et quia vetera transibant et nova fiebant omnia, dum vinum et azyma in Corpus et Sanguinem Domini ejus benedictione transsubstantiabantur. Unde inquit : *Dico enim vobis, quod non bibam* amodo *de generatione vitis*, scilicet materialis, id est de vino quod gene-

ratur in vite, scilicet typicum potum, *donec veniat regnum Dei*, quod intellige, ut supra, de cibo est dictum. Sicut supra, ut ait *Beda*, typicum agni esum, sic etiam potum Paschæ typicum negat se ultra gustaturum, donec ostensa et manifesta Resurrectionis suæ gloria, regni Dei fides mundo adveniat; et per duo maxima Legis edicta, esum videlicet potumque paschalem spiritualitter immutata, disceres omnia Legis sacramenta vel jussa, quæ carnaliter sonare videbantur, ad spiritualem jam observantiam fuisse transferenda. Et sic, secundum *Augustinum*, Lucas hic de duplici calice mentionem facit; primo, de calice vini prædicto, quoad Pascha Judæorum; secundo, de calice Sanguinis sui, de quo infra est dicendum. Calix Domini argenteus duas hinc et inde habens ansulas, sextarii gallici mensuram capit. Legale igitur Pascha cessavit, et impletum fuit in regno Ecclesiæ, quando divina Sapientia paravit mensam novi Sacramenti, ubi posuit panem Corporis, et miscuit vinum Sanguinis sui. Legalia enim edicta habuerunt cursum suum et obligationem, usque ad Christi Passionem, in qua oblatum est Deo unum perfectum sacrificium, evacuativum legalium; et ideo usque tunc Christus legalia servavit, et similiter aliis servanda mandavit. Unde dicit *Augustinus*, quod legalia tantum fuerunt ante Passionem Domini viva, post Passionem mortua; sed postquam claruit veritas Evangelii per mundum, sunt sepulta. Nostra vero sacramenta usque ad finem mundi in suo vigore manebunt.

6 Conditiones requisitæ ad comedendum agnum typicum vero Agno applicantur. — Et nota, quod in Exodo determinantur multa, quæ requirebantur ad esum agni typici; et adhuc requiruntur ad esum Agni veri. Debet enim comedi verus Agnus, scilicet Christus : primo a circumcisis, per veteris conversationis depositionem; secundo, cum lactucis agrestibus, id est per amaram de peccatis omnibus cordis contritionem; tertio, sine fermento peccati, cum panibus azymis, per conscientiæ sinceritatem; quarto, renibus cinctis, per castitatem; quinto, pedibus calceatis, per affectionum a terrenis rebus elongationem, cujus signum potest esse, quod Deus prius lavit pedes discipulorum, quam daret eis hoc Sacramentum; sexto, cum baculis in manibus, per sui ipsius custodiam diligentem. Prædictæ conditiones requiruntur ad declinationem mali, sed quantum ad operationem boni requiritur : primo, quod in domo una comedatur, per ecclesiasticam unitatem; secundo, quod a vicinis, per fraternum amorem et concordiam; tertio, quod non crudus sine amoris igne, nec coctus aqua sine devotionis sapore, sed assus igni, per devotionis fervorem præcedentem; quarto, quod festinanter, per spiritualem aviditatem et delectationem concomitantem; quinto, quod totaliter, per fidei integritatem, vorando caput cum pedibus et intestinis, id est per veram fidem incorporando, et credendo in Christo divinitatem; quæ est caput ejus, et humanitatem, scilicet carnem, quæ tamquam pes ejus est infima in ipsa natura, et animam, quæ est media, sicut ejus intestina; sexto, quod sine ossium comminutione, per simplicem sacramenti venerationem.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui hora vespertina cœnam ultimam cum discipulis in cœnaculo grandi strato fecisti, et eos sacratissimo Corpore et Sanguine tuo cibasti, fac pectus meum cœnaculum grande stratum, amplifica spem et caritatem in corde meo, magnifica longanimitatem, spem et caritatem, patientiam et humilitatem. Da mihi, ut te, quem cœli et terræ non capiunt, pro modulo suo capiat cor meum contritum et humiliatum, ut per inhabitantem gratiam tuam omnia tibi placentia cogitem et perficiam, et omnia contraria

odienda declinem; et sic perseverando usque in finem, consequar tunc dignam sacrosancti Corporis et Sanguinis tui perceptionem.

CAPUT LIV

DE ABLUTIONE PEDUM DISCIPULORUM.

Joannis cap. XIII.

1 Dilectio Christi erga discipulos. — Circa vero secundum hic meditandum, diligenter attende. Præmissis namque ita se habentibus, *sciens Jesus quia venit hora ejus*, non fatalis, sed impletionis sacramentorum a Deo Patre ordinata, *ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*, non per loci mutationem : sed sicut dicitur a Patre venisse assumendo naturam nostram mortalem, ita dicitur ad Patrem rediisse, faciendo ipsam, per immortalitatem, in sua resurrectione paternæ gloriæ consortem. *Cum* semper *dilexisset suos qui erant in mundo*, non suos sola creatione, sed suos etiam electione, scilicet discipulos, *in finem dilexit eos*, id est in fine specialia et majora signa dilectionis, et quanto amore dilexerit eos ostendit, ponendo animam suam pro eis; vel, *in finem*, id est perseveranter et in mortem, non quod morte terminaretur dilectio, sed in tantum dilexit quod usque ad mortem dilectio eum perduxit, in quo exemplum dedit, ut omnes in Dei et proximi caritate usque in finem permaneant; vel, *in finem*, id est in Christum, qui est finis perficiens et consummans, dilexit eos utique, ut et ipsi de hoc mundo ubi erant, ad caput suum, quod hinc transisset ejus dilectione, transirent. Per Jesum qui *salus* interpretatur, bonus prælatus significatur, finis vero ultimus est beatitudo vera, quæ consistit in clara Dei visione et fruitione perfecta; licet autem omnis homo debeat ad hunc finem proximum diligere, prælatus tamen, qui est Christi vicarius, specialiter tenetur erga suos subditos hæc facere.

2 Christus surgit a cœna pedes discipulis lavaturus. — *Et cœna facta*, scilicet agni paschalis, *cum diabolus jam misisset in cor*, id est in voluntatem Judæ, non directe tamquam voluntatem movens, sed indirecte tamquam ei suggerens, *ut traderet eum*, scilicet Jesum, *Judas Simonis Iscariotæ*, consensit iniquitati : die enim præcedenti eum vendiderat suggestione diaboli. Diabolus quippe non est immissor cogitationum malarum, sed incensor; quia tentatio prava ex homine est, quam diabolus non immittit, sed immissam ab homine magis intendit, et accendit, tentatione hominis percepta per aliqua signa exteriora. Aliter enim non potest hominem dejicere, nisi homo seipsum dejiciat, et hosti arma reddat, id est nisi suggestioni consentiat : nam, secundum *Augustinum*, per diabolum suggestiones immittuntur, et humanis cogitationibus miscentur. His ergo ita factis, *sciens*, Jesus ut Deus, *quia omnia dedit ei Pater in manus*, id est in potestatem, etiam ipsum traditorem et persecutores, ex quo patet in Christo plenitudo scientiæ et potestatis; *et quia a Deo exivit* in mundum veniens, nec Patrem deserens, *et ad Deum vadit*, omnia quæ acquisivit Patri reducens, et non nos relinquens; sciens se esse Regem regum, et Dominum dominantium, nec oblitus se esse Dei Filium naturalem, et non ignorans suam sublimitatem; quamvis talis esset, et talem se sciret, tamen in magnæ suæ pietatis indicium, in magnæ nostræ exemplum humilitatis, non Dei Domini sed hominis servi implet officium; humiliat se ut ministret, quia

venit ministrare et non ministrari, ac *surgit a cœna*, volens lavare pedes discipulorum. Ex quo universum conculcat tumorem, dum is qui exit a Deo, et ad Deum vadit, pedes lavare voluit. Locuturus quippe Evangelista, de tanta Domini humilitate, prius ejus celsitudinem voluit commendare ad exaggerandum ipsius Domini humilitatem, et ad monendum nos, ut quanto magni sumus, humiliemur in omnibus, et de donis Dei numquam superbiamus. Ac si per hoc dicatur homini : Si ille, qui Filius Dei erat, et Patri æqualis, suam a Deo inclinavit majestatem, ut humiliaret se ad pedes hominis, quid debet facere miser homo, qui est terra et cinis? Surgunt etiam statim et discipuli, ignorantes quo velit ire. Ipse autem descendit cum eis in alium locum inferius in eadem domo, subtus cœnaculum. Nam in superiori parte domus Palæstini faciebant cœnacula, et inferius cubicula. Sunt autem in monte Sion duæ capellæ, ubi erant canonici regulares cum Abbate, secundum regulam beati Augustini Domino ministrantes : una superior, ubi cœna facta fuit, et Spiritus Sanctus super discipulos descendit; alia inferior, ubi Christus pedes discipulis lavit, et eis, januis clausis, apparuit; cui contiguum cœmeterium, quod dicitur bonorum virorum possessio, ubi sepulti fuerunt: beatus Stephanus, Nicodemus, Gamaliel, et Abiba cum aliis viris sanctis, ubi etiam est sepulchrum David et Salomonis, et aliorum bonorum regum Juda et Jerusalem.

3 Vestibus depositis, linteo se præcingit. — Veniens ergo Dominus inferius cum discipulis, omnes ibi sedere fecit, aquam sibi afferri jubet, *et ponit vestimenta sua*, ut convenientius hoc ministerium exhibeat. Ubi notandæ quatuor depositiones vestium Christi : in cœna deposuit eas, et resumpsit; ad columnam nudatus est, et reindutus; in illusione militum nudatus est, et reindutus, sed ab Herode non legitur nudatus; ad crucem nudatus est, nec reindutus. Prima spectat ad Apostolos, quos in brevi resumpti sunt in die Pentecostes, et paulatim resumuntur; tertia, in reliquias, quæ resumentur in fine; quarta, ad perversam medietatem nostri temporis, quæ numquam resumetur. Depositis igitur vestimentis suis, cum accepisset *linteum, præcinxit se*, disponens se ad lavandum, et nihil omittens de his quæ ad istud requiruntur officium. *Deinde mittit aquam in pelvim* lapideam, propriis manibus, non per aliorum ministerium; *et* tam caritative, tam honeste, tam officiose præparatus *cœpit lavare pedes discipulorum* lutosos, quia discalceati incedebant, *et extergere linteo quo erat præcinctus*; ut per omnia humilitatis officium impleret. Et quid mirum si hoc fecit, qui multo majora facere dignatus est? Unde ait *Augustinus :* « Posuit autem vestimenta sua, *qui cum in forma Dei esset semetipsum exinanivit;* præcinxit se linteo, qui *formam servi accipiens, habitu inventus est ut homo;* misit aquam in pelvim, ut lavaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum ; linteo quo erat præcinctus, pedes quos lavit tersit, qui carne qua erat indutus Evangelistarum vestigia confirmavit. Et linteo quidem ut se præcingeret, posuit vestimenta quæ habebat; ut autem formam servi acciperet, quando semetipsum exinanivit, non quod habebat deposuit, sed quod non habebat accepit : » hæc *Augustinus.*

4 Petrus primum lotionem refugit, sed ei comminante Domino, mutat consilium in melius. — Et, ut omnia ratione et ordine faceret, et faciendo nos instrueret, *venit* ministerium inchoando, primo *ad Simonem Petrum;* ipse enim inter alios major erat, et ideo ab ipso inchoandum fuit. *Et* tunc *Petrus*, ex consideratione divinitatis et majestatis Christi territus, quod etiam quilibet eorum expavisset, expavit, et totus stupefactus recusat, et rem sic suo judicio indecentem declinat; *dixit* ergo *ei :* Non decet, non convenit : tu Dominus, ego servus; tu Deus, ego homo; tu Creator, ego creatura; et *tu*, Domine, *mihi* misero, pauperrimo, humillimo piscatori *lavas pedes*, sor-

didos, et infimum in corpore membrum manibus his quibus cæcis oculos aperuisti, leprosos mundasti, et mortuos suscitasti; id est vis lavare pedes mihi peccatori, tu qui es Filius Dei? Quasi diceret : Hoc indecens est, et nullo modo sustinendum. Simile verbum dixit in principio conversionis suæ : *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.* Sicut est Dominus humilis ad serviendum, ita servus non suscipiendo servitium. Quasi diceret, secundum *Bedam*, Tu Deus deorum, tu Rex Angelorum, tu Filius Altissimi, et speculum sine macula majestatis Dei, tu quem adorant angelicæ Potestates, tu Deus æterne, mihi vermiculo lavas pedes? Tu, ante me curvaris, ante quem curvantur qui portant orbem? Tu, ante me flecteris, ante quem flectitur omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum? Et in hoc Petrus significat discipulum ignorantem, et indiscrete loquentem de facto Superioris sui, cujus ignorat rationem. Frequenter enim contingit, quod aliquid judicatur irrationabilissimum ab ignorante causam, quod tamen rationabilissimum est secundum veritatem. Propter quod *respondit Jesus et dixit ei : Quod ego facio, tu nescis modo*; hoc meum factum, exemplum est et mysterium : exemplum quidem humilitatis exhibendæ, mysterium autem interioris mundationis. Dupliciter ergo potest hoc verbum intelligi : uno modo, *quod ego facio*, id est quomodo ego facio exemplum, *tu nescis modo*, id est non intelligis; *scies autem postea*, tunc scilicet quando exposuit, eis dicens : *Scitis quid fecerim vobis*, etc., aliter enim non potuit superbiæ nostræ tumor curari, nisi per maximam humilitatem Redemptoris nostri, et tamen post totum istud adhuc cum Lucifero superbiunt multi vicarii, et successores Christi; alio modo potest intelligi, *quod ego facio*, *tu nescis modo*, id est hoc mysterium est et secretum, et significat interiorem mundationem, quæ non potest fieri nisi per me, quod non intelligis modo, *scies autem postea*, tunc scilicet cum Spiritum Sanctum accipies. Res enim est sacramentalis ad instructionem Ecclesiæ, et fiet tibi manifesta opportuno tempore. Et in hoc docemur bene judicare, et loqui de factis superioris boni, nisi Deo permittente, erraret manifeste. *Petrus* autem de tanta Filii Dei inclinatione perterritus, et usque ad suos pedes humilem Christum videre nolens, in eadem adhuc voluntate persistit, non ex obstinatione, sed ex humillima, quam ad Christum habuit, reverentia; ideo *dicit ei : Non lavabis mihi pedes in æternum*, id est numquam lavabis, numquam hoc patiar. Hoc enim in æternum non fit, quod numquam fit. Ac si diceret : Absit a me quod sustineam hoc a Magistro, a Domino et a Deo meo. Licet autem Petrus bono zelo hoc faceret, tamen indiscrete faciebat; quia cum Christus non posset errare, non debebat voluntati ejus aliquo modo resistere. Et ideo comminatur ei Dominus *Jesus* et *respondit ei*, dicens : *Si non lavero te*, id est pedes tuos, *non habebis partem mecum*, in beatitudine. Sive hoc intelligatur de lotione mystica et interioris maculæ ipsius affectus, quæ quia necessaria est, ideo præcipitur; sive de lotione materiali et corporali pedum ipsius Petri, quæ e converso ideo est necessaria, quia præcipitur; non potuit in Petrum amplius intonare quam ut minaretur repulsam. Et ideo *Simon Petrus*, audita comminatione Christi, ad tantæ comminationis terrificum verbum expavescens, sapienter mutat consilium in melius; *dicit* ergo *ei : Domine, non tantum pedes meos*, id est affectus; *sed et manus*, id est opera; et *caput*, id est cogitationes mentis. Quasi diceret : Non ex protervia recusavi, sed quia consideravi opera tua et expavi. Pedes sunt pars corporis inferior, manus media, caput superior; et ideo per expressionem istarum partium, intelligitur totum corpus. Territus Petrus de periculo salutis ex Domini responsione, ac perturbatus amore et timore, plus expavit Christum sibi negari, quam usque ad suos pedes humiliari; et se totum offert abluendum. Si tibi, inquit, placet, si aliter fieri non potest, servus tuus sum, totum me tuæ vo-

luntati subjicio; et non pedes tantum, sed et manus, et caput ad lavandum tibi offero; et prius sustinerem a te per totum corpus lavari, quam a te separari. Non mihi neges capiendam tecum partem, cum nullam tibi negem abluendam mei corporis partem. Quamvis enim durum esset Petro sustinere servitium Magistri, gravius tamen erat ei ab ipsò separari.

5 Per Baptismum totus homo abluitur. — Totus homo, secundum *Augustinum*, abluitur in Baptismo, et erravit Petrus, ne nos erraremus, cum se totum Domino obtulit abluendum, quem Deus correxit, ostendens semel baptizatum non esse rebaptizandum, unde *dicit ei Jesus : Qui lotus est*, scilicet per Baptismum, *non indiget, nisi ut pedes lavet*, id est affectus, et motus sensualitatis inordinatos; *sed est mundus totus*, scilicet præter pedes, quibus terram tangit, quos lavare opus habet. Ex quibus verbis intelligimus Apostolos baptizatos, etsi non legimus quis baptizavit eos. Erant autem omnes baptizati Baptismo Christi, qui licet ipse non baptizaverit turbas, baptizavit tamen discipulos suos, sibi familiares et domesticos, ut haberet baptizatos servos, per quos baptizaret ceteros. Sed cum Baptismus abstergat etiam sordes pedum, videtur quod qui lotus est, id est baptizatus, non indiget ut pedes lavet. Ad hoc dicendum, quod si quis statim post Baptismum de hoc mundo transiret, non utique hac ablutione indigeret, quia cum sit mundus totus, statim evolaret; sed qui post Baptismum vivit in hac vita mortali, non potest ad tantum culmen perfectionis ascendere, quin etiam inordinati motus sensualitatis de affectibus terrenis insurgant; et ideo oportet quod pedes lavet, vel per martyrium, quod est baptismus sanguinis, vel per pœnitentiam, quod est baptismus flaminis, ut evolare possit. Ubi nota quod interioris hominis caput, est ratio superior, qua anima est conjuncta Deo, sive pars contemplativa, quæ intendit superioribus et æternis; manus sunt ratio inferior, quæ vacat operibus activæ vitæ; pedes vero, sensualitas, et sensus corporis, ac mentis et animæ affectiones inferiores. Ipsi enim nos faciunt extra nos, et ipsi frequenter sicut pedes maculantur nobis post Baptismum, in quo totus homo abluitur, quia ex conditione mortalis vitæ sæpe maculas contrahunt ex terrenis et temporalibus ; et ideo lavandi sunt sæpius, unde necesse est, ut crebra ablutione confessionis et lacrymarum emundentur pedes affectuum de terrena cogitatione terrenorum, in cogitatu et amore eorum. Qui enim non lavatur post Baptismum per pœnitentiam, non habet cum Jesu partem. Unde dicit *Augustinus*, quod humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur, quasi pedes sunt, ubi humanis rebus afficimur, ut *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.*

6 Cur solummodo pedes discipulorum laverit Dominus? — Sciebat ergo Dominus Apostolos mundos quantum ad caput, quia Deo conjuncti erant per fidem et caritatem; et quantum ad manus, quia eorum opera erant sancta; sed tamen quantum ad pedes, affectus aliquos terrenorum ex sensualitate habebant, et sordidi erant, et ideo quantum ad illos lotione indigebant. Unde *Bernardus* : « Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet; lotus enim est, qui gravia peccata non habet, cujus caput, id est intentio, et manus, id est operatio et conversatio, munda est ; sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aliquando curiositati plus quam oporteret cedat animus, vel ad horam : *In multis enim offendimus omnes.* Verumtamen hæc nemo contemnat aut parvipendat. Impossibile est enim cum eis salvari, et impossibile est ea dilui, nisi per Christum, et a Christo, quia si non laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo. Nemo tamen pro eis desperet, quoniam si viderit nos Dominus humiliter pro eis esse sollicitos, ignoscet facile, imo et libenter. De minoribus enim istis peccatis pia dispensatione nobiscum agitur : ut non pe-

nitus auferantur, sed in illis nos erudiat Deus; ut cum minora cavere non possumus, certi simus quod non nostris viribus majora superemus, semperque timorati et omnino solliciti simus, quomodo ejus gratiam non amittamus, quam nobismetipsis tantopere, et tam multifarie necessariam esse sentimus : » hæc *Bernardus*. Deinde Dominus subjungit : *Et vos*, discipuli mei scilicet, *mundi estis;* quia a me mundati . Secundum *Augustinum* , erant mundi, quantum ad manus et ad caput; non quantum ad pedes. Et sequitur : *Sed non omnes.* Duo enim sunt præcipua, quibus homo a peccatis mundatur, scilicet eleemosyna, et caritas; atqui contra primum, Judas Iscariotes fur erat; contra secundum, Christi proditor; et ideo non mundus erat. Sic ergo per pedum ablutionem designavit Dominus Jesus munditiam spiritualium pedum, quæ maxime requiritur, in Eucharistiæ perceptione. Et ideo voluit lavare pedes discipulorum suorum, antequam daret eis sui Corporis sacramentum, ad designandum quod spiritualis munditia requiritur ad ipsum percipiendum. Unde ait *Anselmus :* « Corpus et Sanguinem suum discipulis suis, in cœna mystica tradens, eorum pedes humiliter lavit, docens sacrosancta mysteria mundis operibus, et pia mentis humilitate celebranda. » Mystice etiam significatur ejus sanguinis effusio, per hoc quod misit aquam in pelvim; et peccatorum nostrorum ablutio, per hoc quod cœpit lavare pedes discipulorum; ac pœnarum nostrarum in seipso susceptio, per hoc quod tersit pedes linteo, scilicet corporis sui, quia *peccata nostra pertulit in corpore suo, super lignum.*

7 Lavatur et ipse Judas proditor. — Alii autem discipuli; audita reprehensione Petri, de hoc quod recusaverat hujuscemodi lotionem, non fuerunt ausi ultra aliqualiter recusare eam. Considera nunc bene singulos actus, in hac benignissima lotione pedum, omni dilectione et humilitate plena, et cum admiratione conspice quæ geruntur, quia sunt devota. Inclinat se summa majestas, et humilitatis Magister, usque ad piscatorum pedes. Stat incurvatus et genibus flexis coram ipsis sedentibus, lavat propriis manibus et abstergit, ac deosculatur pedes omnium. Sic ergo usque ad pedes discipulorum Dominus omnium semetipsum humiliat, et supplex humilitatis ministerium exhibet, propter humilitatis formam, non solum verbo, sed exemplo commendandam et docendam. Sed et illud superexaltat humilitatem, et ad maximum cumulum humilitatis accedit, quod et ipsi proditori suo eadem obsequia præbet, et illi non dedignatus est pedes lavare, cujus manus jam prævidebat polluendas in scelere; in quo Dominus infirmitatem nostram consolatur, ut si quando contingat nos ab amicis prodi, vel a famulis aut aliquibus vilioribus malum aliquod pati, ideo non scandalizemur, respicientes Judæ exemplum, qui infinitis potitus bonis, in contrarium remuneravit benefactorem, ac Dominum et Magistrum. Sed, o cor nequam, et ipsa duritia durius, si sic ad tantam humilitatem non molliris, si sic Dominum majestatis non vereris, si sic usque ad ipsius semper tibi benefici, semperque innocentis interitum sævis! Sed væ tibi, miser! Tu quidem obduratus, quod concepisti parturies; non tamen ipse, sed tu peribis. Admiranda est igitur tanta humilitatis et benignitatis profunditas Domini Jesu. Unde *Anselmus*: « Et te quidem perditissimi proditoris tui perfidia non latebat, quando in hac cœna ablutionis, etiam coram ipso genu flexo procumbens, maledictos pedes ejus veloces ad effundendum sanguinem tuum, sanctissimis manibus tuis attrectare, lavare, et extergere dignatus es. Et tu adhuc extento collo ambulas! O terra et cinis, adhuc superbia te elevat, adhuc impatientia te exagitat! Intuere humilitatis et mansuetudinis speculum, universæ facturæ Creatorem, et tremebundum Judicem vivorum et mortuorum, ante pedes hominis, etiam traditoris sui, genua curvantem, disce ab eo, quia mitis est, et humilis corde. Confundere in superbia tua, erubesce in impatientia tua. » Et iterum : « Cum

autem surgens a cœna linteo se præcinxerit, miseritque aquam in pelvim, cogita quæ majestas, et quæ potestas hominum pedes lavit et extersit, quæ benignitas proditoris vestigia sacris manibus tangit. Specta et exspecta, et ultimo omnium tuos ei præbe pedes abluendos, quoniam quem non laverit, non habebit partem cum eo: » hæc *Anselmus*.

8 Quid mystice signat vestium reassumptio? — Hoc autem expleto ministerio, quod ad humilitatem pertinebat obsequii, et ad purificationem cœnæ Corporis sui, reaccepit vestimenta sua et rediit ad locum cœnæ. *Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua :* quia mutat officium, mutat et habitum ; ad serviendum vestimenta deposuit, ad docendum resumit et sedet; ut enim dicitur in Ecclesiastico : *Amictus hominis, enuntiat de illo.* Per hoc autem ostendit, quod superior post actum humilitatis debet resumere debitum officium auctoritatis. Mystice autem, secundum *Alcuinum*, impleta redemptionis nostræ purgatione, per sanguinis sui effusionem, accepit vestimenta sua, tertia die de sepulchro resurgens, et eodem corpore jam immortali vestitus ascendit in cœlum, et in dextera paternæ divinitatis recumbit, inde venturus ad judicandum.

9 Cum facta plus quam verba moveant, Christus per hoc discipulis exemplum dare voluit. — Et, *cum recubuisset iterum* ad cœnam Corporis sui faciendam, docuit eos quare hoc fecerit, in exemplum scilicet mutuo sibi serviendi. Unde *dixit eis* : *Scitis quid fecerim vobis?* id est quantam humilitatem exhibuerim vobis. Interrogat, ut eos attentos reddat. Deinde eos ad imitandum suum exemplum confortat, sic dicens : *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis,* quia verum est quod dicitis, *sum etenim,* Magister et Dominus, quia Dei virtus, simul Dei et sapientia : Magister, inquam, propter sapientiam, quam doceo vosipsos, et Dominus, propter potentiam, quam ostendo miraculis. Quia vero dicit magna de se, non est arrogantia, sed veritas, quæ prodest auditoribus, sicut facit et Paulus. Unde *Augustinus :* « Vituperabile est quod quisque se commendet, propter periculum superbiendi. Nam periculosum est sibi placere, cui cavendum est superbire. Ubi ergo non imminet periculum superbiendi, non est vituperium propria commendatio. In Christo autem hoc periculum non timebatur : ille enim qui super omnia est, quantumcumque se laudet, non se extollit excelsus. Item, quia aliquando laudabile est quod homo se commendet, quando scilicet cedit ad utilitatem fidelium, et sic Apostolus commendavit se. Sed valde est nobis utile et necessarium ut cognoscamus Deum, unde expedit nobis quod magnitudinem suam nobis revelet, et ideo oportet quod ipse se nobis laudet. Non est igitur veritas quandoque tacenda pro vitanda jactantia. » Unde et *Gregorius :* « Incauti sunt humiles, qui se mendacio illaqueant, dum arrogantiam vitant ; quoniam contra veritatem se erigunt, quam relinquunt. Qui enim, necessitate cogente, vera de se bona loquitur, tanto magis humilitati jungitur, quanto veritati sociatur. » Tunc arguit Christus a minori: *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et Magister,* de quo minus videtur, et quod minus erat debitum ; *et vos*, scilicet mei discipuli multo fortius *debetis* hoc scilicet exemplo provocati *alter alterius lavare pedes*, et ad omne obsequium humiliari : quia Magister sum, meam doctrinam recipite ; et quia Dominus, meum mandatum custodite. Hic per unum obsequium accipiuntur synecdochice omnia alia obsequia fraterna. Quasi diceret : Debetis vobis mutua obsequia humilitatis et caritatis exhibere, scilicet invicem ministrare, invicem injurias dimittere, pro invicem orare. Unde *Chrysostomus* : « Non in lavando pedes hanc legem scribit solummodo, sed et in aliis omnibus, quæ circa nos monstravit. » *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis,* humiliando me sub vobis; *ita et vos* inferiores *faciatis* vobis invicem, et maxime in casu necessitatis. Quasi diceret : Non solum hoc feci

propter pedum corporalium emundationem, sed propter humilitatis eruditionem, et ad hoc feci ut ostenderem vos ad hoc teneri. Secundum *Chrysostomum*, Christiana religio potius attendit modum, quam opus : quia Dominus non attendit quantum, sed ex quanto, id est potius hoc quam illud. Et bene docuit humilitatem exemplo; nam in moralibus et in actibus hominum, plus movent exempla quam verba. Illud enim hoc agit, et elegit, quod sibi videtur bonum, unde magis ostendit quis illud esse bonum, quod ipsemet eligit, quam quod docet. Et inde est quod quando quis docet aliquid, et aliud facit, magis suadet aliis quod facit, quam id quod docet; et ideo maxime necessarium est ex ipso facto dare exemplum. Sequitur ergo : ***Amen, amen dico vobis*** : *Non est servus major Domino suo, neque Apostolus*, id est missus seu nuntius, *major eo qui misit illum*, et ideo sicut ego Dominus, et Magister et mittens me humilio vobis; ita et vos humiliare debetis, et facere æqualibus vestris, quod me vobis minoribus facere vidistis. Quasi diceret, secundum *Chrysostomum* : Si a me hæc facta sunt, multo magis a vobis oportet hæc fieri; debitores enim nos constituit Deus ipse incipiens. Qui sedet super Cherubim pedes lavit proditoris ; tu vero homo, terra et cinis existens, et pulvis et lutum, extollis teipsum, et magna sapis ! Ecce quantum exemplo et verbo eos ad humilitatem invitavit, et doctrinæ suæ de humilitate factum et exemplum humilitatis præmisit, et in hoc convenientem modum docendi ostendit, secundum illud : *Cœpit Jesus facere et docere*. Hic etiam aperuit hoc quod Petro dixit : *Scies autem postea*. Unde ait *Augustinus* : « Hoc est, beate Petre, quod nesciebas, cum tibi lavare pedes non sinebas, hoc tibi postea sciendum promisit, quando ut sineres terruit te Magister tuus, et Dominus tuus lavans pedes tuos. Didicimus, fratres, humilitatem ab Excelso; faciamus invicem humiles, quod humiliter fecit Excelsus : » hæc *Augustinus*.

10 Modus implendi præceptum Domini de lotione pedum. — Ad litteram et ad mysticum sensum, hoc mandatum debet impleri. Ad litteram quidem, ut per caritatem serviamus invicem, non solum in lavando pedes fratrum, sed et in omnibus necessitatibus adjuvando, et opera misericordiæ exercendo. Quod si non fiat ad litteram, scilicet manu, saltem faciamus corde, ut in illorum numero simus quibus dicitur in Psalmo : *Benedicite, sancti et humiles corde, Domino*. Unde *Augustinus*: « Multo melius est et sine controversia verius, ut etiam manibus fiat, ne dedignetur quod fecit Christus facere Christianus. Cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel excitatur, vel si jam inerat confirmatur ipsius humilitatis affectus : » hæc *Augustinus*. — Sed excepto isto morali intellectu, nihilominus hoc etiam ad mysticum intellectum, et spiritualiter facere debemus. In lotione enim pedum, datur intelligi ablutio macularum. Tunc ergo spiritualiter lavas pedes fratris tui, cum Christum imitando, abluis quantum in te est maculas ejus. Hoc autem fit tripliciter : remittendo scilicet ei offensam, sicut ille nobis pœnitentibus peccata dimittit ; itemque orando pro peccatis ejus, sicut ille lavit nos a peccatis, interpellando Patrem pro nobis, et iste duplex lavandi modus communis est omnibus fidelibus; tertius modus pertinet ad prælatos, qui lavare debent remittendo peccata auctoritate clavium. Nostrum est ergo, donante Domino, ministerium caritatis, et humilitatis adhibere ; illius est exaudire, ac nos ab omni contaminatione peccatorum mundare. Deinde, quod dixit sequenti præmio confirmat, dicens : *Si hæc scitis*, quæ feci et doceo, *beati eritis*, hic in spe, et in futuro in re, *si feceritis ea*, quia : *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* ; et : *Intellectus bonus facientibus ea*. Scire enim bonum, et non facere, non pertinet ad beatitudinem, sed ad condemnationem, secundum illud : *Scienti bonum et non facienti, peccatum est illi*. Unde ait *Chrysostomus* : « Beatitudo non copulatur cum scientia, sed cum opere et lumine scientiæ : » hæc *Chrysostomus*

ORATIO

lesu, mitis et veræ humilitatis exemplum, qui lavisti pedes discipulo-uorum, peto et obsecro, Domine, purga meos affectus, ut utroque pede, ıa videlicet caritate purgatus et accensus, ad te purificatorem meum am securus. Purifica me in finem dierum, et emunda ab omnibus ma-peccatorum, ut, dimissis negligentiis et peccatis meis, inimici die mor-nfusi abscedant, qui meum calcaneum observabunt. Dirige, Domine, pe-ıeos in viam pacis, ut de manibus omnium inimicorum liberatus, bene-ı te cum electis tuis omnibus, in secula seculorum. Amen.

CAPUT LV

DE CARITATIVA CORRECTIONE PRODITORIS ET EGRESSU EJUS.

Matthæi cap. XXVI, Marci cap. XIV, Lucæ cap. XXII
et Joannis cap. XIII.

'URBATIO CHRISTI PRODITIONEM JU-SCIPULIS NUNTIANTIS. — Circa ter-autem dolens, et mœstus auscul-*um* enim *hæc dixisset Jesus, tur-*:, id est contristatus *est*, non car-er, sed *spiritu*, id est spirituali-t ex imperio rationis, quia ipse tu suo, et potestate fecit in se ı proportionis turbationem ; et turbatio in parte sensitiva exi-, non erat contraria rationi, sed s conveniens ei. Virtuosum enim ontra vitia turbari : spiritualis ıtio ad pietatem, et misericordi-ıpectat ; sed carnalis furorem et excitat. Spiritu igitur turbatur, et misericorditer : sive compa-o discipulo, qui eum tradit, et ndo perit ; sive ut nos doceat agere debamus, quando in ma-ı facinus aliquem hominem ru-idemus : sic et Sancti misericor-, et ex caritate turbantur, cum t eos jam zizania a tritico ante es separare. Moraliter ergo in-t prælatos non debere, quantum-que etiam flagitiosos, nisi cum ıa compassione et dolore, a limi-s sanctæ matris Ecclesiæ separa-nde *Augustinus* : « Turbetur pla-hristianus non miseria, sed misericordia ; timeat ne pereant homines, conturbetur, cum perit aliquis Christo. Concupiscat homines acquiri Christo, lætetur, dum acquiritur aliquis Christo ; timeat et sibi, ne pereat Christo, contristetur se peregrinari a Christo. Concupiscat regnare cum Christo, lætetur, cum sperat se regnaturum esse cum Christo. » *Et edentibus illis, dixit : Amen dico vobis, quia unus vestrum* duodecim, qui ubique mecum estis, quorum pedes lavi, quibus tanta promisi, *me* Dominum, me Magistrum, me Salvatorem *traditurus est ; unus ex vobis*, numero non merito, corpore non animo, specie non virtute. Maxima ingratitudo Judæ fuit tradere suum commensalem, imo Dominum et nutritorem, unde et alius Evangelista sic dicit : *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa.* Hoc idem posset Dominus hodie dicere de sacerdotibus multis, qui mensam Domini indigne attingere præsumunt, qui rursum quantum in se est merito peccatorum Filium Dei crucifigendum tradunt. Per hoc enim quod in mensa denuntiavit suum proditorem, designavit quod multi proditorie veniunt ad suam mensam. Majus autem pec-

catum est tradere Christum regnantem in cœlis peccatoribus membris, quam ambulantem in terris peccatoribus Judæis. Unde *Beda :* « Sed et hodie quoque, et in sempiternum, væ homini illi, qui ad mensam Domini malignus accedit, qui insidiis mente conditis, qui præcordiis aliquo scelere pollutus mysteriorum Christi secretis participare non metuit! Et ille enim in exemplum Judæ, Filium hominis tradit, non quidem Judæis peccatoribus, sed tamen peccatoribus membris, videlicet suis, quibus illud inæstimabile atque inviolabile Domini Corpus violare præsumit. Væ, inquam, illi homini de quo Jesus, qui altaribus sacrosanctis inter immolandum, utpote proposita consecraturus, adesse non dubitatur, adstantibus sibi ministris cœlestibus conqueri cogitur : Ecce, inquit, manus tradentis me mecum est in mensa! » hæc *Beda.* Et, ut dicit *Origenes,* tales sunt omnes in Ecclesia, qui insidiantur fratribus suis, cum quibus ad eamdem mensam Corporis Christi frequenter fuerunt.

2 Prædicendæ proditionis causæ. — Prædixit autem Dominus de proditore, et sic eum quodammodo revelavit triplici de causa : primo, ut sic ostenderet se Deum, qui futura contingentia prævidebat ; secundo, ut ostenderet se spontanee pati, quia præcavere poterat mortem, quam præsciebat ; tertio, ut ipse proditor pœniteret, qui se non latere audiebat. Unde *Hieronymus* : « Qui de Passione prædixerat, et de proditore prædicit, dans locum pœnitentiæ, ut cum intellexisset sciri cogitationes suas, et occulta cordis consilia, pœniteret eum facti sui ; et tamen non designat eum specialiter, ne manifeste coargutus imprudentior fiat, sed mittit crimen in numero, ut conscius pœnitentiam agat : » hæc *Hieronymus.* Et notandum, quod a mali perpetratione solet aliquis quatuor modis retrahi, quibus ex magnitudine misericordiæ suæ tentavit Dominus proditorem discipulum a tanto scelere perpetrando ad pœnitentiam revocare, scilicet : pudore, cum dicit : *Unus ex vobis tradet me,* et : *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa;* timore, per comminationem supplicii, cum dicit: *Væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur!* ut qui pudore non vincitur, timore corrigatur ; beneficii exhibitione, cum illum ad mensam suam recipit, et ei pedes lavat ; affectus ostensione, in blanda allocutione, cum dicit : *Amice, ad quid venisti?* Sic exemplo Christi bonus prælatus subditis etiam malis debet exhibere beneficia, ut quantum in se est eos a sua revocet vita mala. Sed Judas nullo horum frangitur, ne hominem tradat, quem Dei Filium noverat. Passionem ergo Jesu Christi pie considerare volenti, occurrit primum perfidia proditoris, qui tantæ fuit fraudis veneno repletus, ut Magistrum et Dominum proderet ; tantæ cupiditatis flamma succensus, ut Deum argento venumdaret, et pretiosum Christi sanguinem vilis mercedis pretio compensaret ; tantæ denique ingratitudinis, ut eum qui omnia sibi commiserat et ad culmen apostolici honoris provexerat, venumdaret ad mortem ; tantæ duritiæ, ut nec familiaritate convivii, nec humilitate obsequii, nec suavitate colloquii, nec mulcebritate osculi, a concepta malitia potuit revocari. O mira benignitas Christi in discipulum durum, Domini in servum nequissimum! Verum licet inexplicabilis fuerit proditoris impietas, in immensum tamen eam exsuperat Agni Dei dulcissima mansuetudo in exemplum data mortalibus, ut jam non dicat ab amico exsuperata humana infirmitas : *Si* enim *inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique,* quia ecce homo unanimis, qui dux videbatur et notus, qui panes Christi edebat, et in sacra illa cœna dulces capiebat cibos, magnificabat super eum supplantationem, et levavit calcaneum suum contra eum, quia conabatur suppeditare ipsum. Sic hodie multi prælati, clerici et religiosi, qui laute vivunt de patrimonio Crucifixi, levant calcaneum contra Christum in membris suis, supplantantes ea, et affligentes calumniis, et exactionibus injustis.

3 Discipulorum mœstitia, Christi

PATIENTIA, ET PRODITORIS AUDACIA. — Cum autem Jesus dixit eis : *Unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum*, hæc vox in corda ipsorum ut gladius acutus intravit, luctusque intolerabilis chorum illum sanctum tunc assumpsit; et tristati comedere cessaverunt, et inspiciebant semetipsos invicem, quasi novo stupore percussi, hæsitantes de quo diceret. Non solum propter mortem Magistri sui futuram sunt contristati; sed quia quilibet timebat de se, ne esset ille qui debebat eum tradere. Erant ergo admirati, quia quilibet eorum præter Judam sentiebat se totaliter firmatum in contrarium dicti ipsius Christi, et similiter de suis sociis, sicut de se cogitabat; verumtamen propter firmitatem verborum Christi magis ejus dicto, quam suis conscientiis credebant, et non hæsitabant de eventu rei, sed de illo per quem hoc eveniret. *Contristati* ergo *valde cœperunt singuli dicere*, unusquisque pro se : *Numquid ego sum, Domine*, scilicet, qui tradet te? Et certe noverant undecim Apostoli, quod nihil tale contra Dominum cogitaverant; sed plus Magistro quam sibi credebant, et timentes fragilitatem suam, tristes quærunt de peccato cujus non habent conscientiam, ut dicitur in Psalmo : *Delicta quis intelligit?* Quilibet etiam debet sibi timere de futuro, quantumcumque sit sanctus. *Et ipse respondens, ait : Qui intingit mecum manum in paropside*, seu *catino*, *hic me tradet*. Ecce humilitas Christi et patientia, qua proditorem ad mensam et scutellam admittit. Et, secundum *Hieronymum*, in hoc mira apparet Domini patientia : quia primum dixerat : Unus ex vobis me tradet, perseveratque proditor in malo, manifestius arguit, et tamen nomine proprio non designat. Unde, per hoc verbum Christi, non potuerant determinate perpendere quis esset, quia omnes duodecim de eodem vase in circuitu cum Domino edebant ; minores autem discipuli seorsum in alia mensa comedebant. Quasi diceret : Unus ex duodecim me tradet. Et ex hoc satis apparet quod alii discipuli præsentes erant. Quod autem Matthæus *paropsidem*, Marcus *catinum* dicit : unus quadraturam vasis, alter quod esset fictile opus designat. Est enim paropsis vas quadratum, habens pares apsides, id est latera et extremitates; catinus vero vas fictile, seu luteum, ad immittendum liquorem et ad plura alia aptum. Aspice nunc bene discipulos, et compatere tam Domino quam eis, quia in magno dolore sunt positi. Ille autem proditor ne verba hæc ad eum pertinere viderentur, comedere non cessavit. Ceteris enim contristatis ac retrahentibus manus, et interdicentibus cibos ori suo, Judas temeritate et impudentia, qua proditurus erat Magistrum, manum cum eo mittit in paropsidem, ut audacia bonam conscientiam mentiretur. Et debes scire quod ipsa mensa erat in terra, et more antiquo in terra sederunt ad cœnam in cœnaculo strato, quasi jacendo recumbentes. Erat autem, ut creditur, quadrata, de pluribus tamen tabulis facta ; et prout narravit ille qui eam Romæ in ecclesia Lateranensi mensuravit : in uno quadro est duorum brachiorum et trium digitorum, et in alio duorum brachiorum et palmi ; ita quod licet stricte et arcte tamen, ut creditur, tres discipuli in uno quadro sedebant et Dominus humiliter in angulo, et Joannes juxta eum erat, ita quod omnes de uno vase comedere poterant. Ubi adverte convivium humilitatis, et caritatis, quia cum pauperibus illis discipulis, et Juda proditore in eadem mensa, eodem cibo et potu, eodem catino et calice Magister et Dominus participat. Non sic hodie multi religiosi faciunt, qui dissimiliter a fratribus relici non erubescunt.

4 SCELERA ET FUTURUM JUDÆ SUPPLICIUM. — Et addit Jesus, prædicendo pœnam damnationis traditoris : *Filius quidem hominis vadit*, ad Passionem voluntarie, *sicut scriptum est de illo : Oblatus est, quia ipse voluit* et quando voluit; *Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur!* *Væ*, id est æternaliter peribit; quia væ in Scriptura sacra æternam damnationem notat. Licet enim Judas

post factum pœnituerit; hoc tamen inutiliter fuit, quia per desperationem *laqueo se suspendit*. Unde ait *Hieronymus*: « Judas autem nec primo, nec secundo correptus, a proditione retrahit pedem; sed patientia Domini nutrit impudentiam suam, et ideo pœna prædicitur, ut quem pudor non vicerat, corrigant denuntiata supplicia. » Et ne mitissimam pœnam ejus intelligeremus, adjungit: *Bonum erat ei, si natus*, scilicet in utero, *non fuisset homo ille*, tot et tantis criminibus fœdatus; qui patrem occidit, matrem stupravit, Christum prodidit, seipsum suspendio interemit. Quia, secundum *Hieronymum*, melius erat ei non esse, quam ad tormenta esse; multo enim melius est non subsistere, quam male subsistere: bonum enim in hoc loco accipitur pro minus malo. Minus autem malum est, non esse simpliciter, quam esse damnatum; quia, etsi non sit minus malum ratione pœnæ adjunctæ, quæ non privat totum esse creatum, verumtamen minus malum est ratione culpæ mortalis, quæ inseparabiliter adhæret damnatis; et ipsa non solum privat quoddam esse creatum sicut pœna, sed etiam privat bonum infinitum, scilicet divinum: propter quod esse miserum, miseria culpæ mortalis æternaliter, hoc est pejus quam sit non esse simpliciter.

5 Interrogatio Judæ, et Christi responsio. — Et, quia ceteri discipuli eum tristes interrogaverant, interrogat eum et ipse quem conscientia remordebat, ne tacendo se crimen suum prodere videretur; si enim ipse aliis de hoc quærentibus tacuisset, suspectum se eis reddidisset, unde *respondens Judas, qui tradidit eum, dixit*: *Numquid ego sum, Rabbi?* Non vocat eum Dominum, sicut alii, quia jam a se excusserat jugum Domini, aliis sub ejus jugo remanentibus; et, secundum *Hieronymum*, non Dominum, sed Magistrum vocat, quasi excusationem habeat, si, Domino denegato, saltem Magistrum prodiderit. Et *ait illi: Tu dixisti*. Quasi diceret, secundum *Rabanum*: Tu prodidisti te, non ego. Eadem ratione confutatus est proditor, qua Pilatus iniquus judicator. Nondum coram eis eum exprimit, nec delictum suum in hoc aliis publicavit, sed conscientiæ Judæ se ejus delictum scire significavit. Poterat enim per hoc verbum mentem Judæ sic movere, quod alios latebat, unde potest intelligi: Ego non dico, sed tu dicis; vel, potest exponi de assertione cordis, quasi diceret: Ore interrogas, quasi nescius, sed corde dicis, et ratum habes te esse proditorem. Ecce, miser homo, vides Dominum omnia scire, nec tuam conscientiam eum latere! Cessa igitur, et confitere. Hic admonemur, ut peccantem, primo cum mansuetudine arguamus; post, si peccaverit, gravius; ad ultimum, gravissime. Hanc enim formam nobis Dominus reliquit, qui primo dixit: *Unus ex vobis me traditurus est;* secundo: *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet*; tertio: *Tu dixisti*.

6 Christus proditorem Joanni tacite, sed aperto signo, exprimit. — *Erat* autem *unus ex discipulis*, Joannes scilicet, *quem diligebat Jesus, recumbens*, id est reclinatus, sermonibus istis territus, et semetipsum sustinere non valens, eo quod terrore erat resolutus, *in sinu*, sive supra pectus *Jesu*, quoniam inclinate, ac quasi ante pectus, et prope os ejus, appodiavit se super Dominum, sicut innixus super dilectum suum; et sic erat idonee positus ad interrogandum aliquid secrete ab eo, et audiendum. Cum ergo ista quæstio a singulis fieret, *innuit huic Petrus, et dixit*: *Quis est de quo dicit?* Id est non verbis et sonando, sed tantummodo nutu corporis, et innuendo, dixit ei ut secreto quæreret a Domino, quis esset de quo dixerat; vel, primo *innuit*, et deinde non contentus nutu, *dixit*. Nota Petri reverentiam, propter quam licet major, et princeps Apostolorum, non interrogat Dominum per se, sed per minorem. *Itaque, cum* et ipse Joannes stupefactus ac cordialiter gladiatus versus Dominum magis se inclinans, *recubuisset supra pectus Jesus dicit ei*, sub missa voce: *Domine, qui, est? Respondit* Dominus Jesus familia-

riter ei, tamquam singulariter dilecto, sed submissa voce, ne alii audirent: *Ille est, cui ego intinctum panem porrexero.* Sic igitur Joanni, ut secretario suo, proditorem suum expessit, aperto signo, non tamen nomine, nec omnibus; in hoc nos instruens non debere crimina proximorum propalare aliis. Ideo enim, secundum *Chrysostomum*, noluit Christus Judam proditorem publicare, ut nos doceret quod peccata occulta aliorum publicare non debemus; quia sicut est mortale peccatum innocenti falsum crimen apponere, sic verum crimen occultum, aliis revelare. *Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ*, id est statim buccellam tantum intinctam, non consecratam, proditori porrexit, quæ corpus suum non erat; quia qui verum panem de cœlo tradere insidiose studebat, non illo, sed alio intincto revelari merebatur. Et ideo statutum est, quod Eucharistia intincta non detur fidelibus, et etiam pro hæresi tollenda, quæ dogmatizavit totum Christum sub utraque esse, et neutra tantum forma. Dominus per buccellam intinctam suum exprimit traditorem, fortassis per panis intinctionem, illius significans fictionem; quia sicut panis intinctus habet colorem, et saporem in superficie alium quam interius, ita Judas simulabat se exterius Christi discipulum, et diligere Magistrum, cum tamen interius proditor ejus esset, et proditionem tractaret. Petro autem Dominus non dixit, nec ipse Joannes, quamvis ad nutum ejus quæsivisset; quia erat ita fervidus, quod statim in perditorem insurrexisset, et eum interfecisset. Sed hoc noluit Dominus, ne dispensatio consilii divini impediretur. — Quod autem Petrus Joanni interrogationem committit, habemus etiam rationem mysticam. Etenim per Petrum designatur vita activa; per Joannem, contemplativa. Petrus ergo per Joannem a Christo instruitur, quia activa vita, de divinis, per contemplativam informatur. Unde habetur hic argumentum et figura, quod contemplativus non intromittit se de actibus extrinsecis, vindictam etiam non expetit de ipsis Dei offensis; sed inde interius gemit, et per orationem ad Deum se convertit, ac fortius per contemplationem approximans, eique adhærens omnia suæ dispositioni committit. Et hoc de tempore vacationis intelligendum, cum copiam Sponsi habet apud se; nam aliquando ipse contemplativus ex zelo Dei et animarum, vel ratione officii imminentis, exterius exit; et similiter quando, Sponso, ut revocetur avidius et teneatur fortius, ad tempus recedente, non sentit solitas consolationes, in activam se reducit, ut vel sic Sponso fructificet. Non enim decet contemplatorem esse desidiosum. Hinc etiam potest colligere quod contemplativus secretum Domini non debet revelare, nisi forte fraternæ salutis urgeret zelus, vel supernæ revelationis dictaret instinctus.

7 Joannis in Christum amor, et privilegium ei concessum. — Nunc ergo conspice Domini benignitatem, quomodo dilectum suum discipulum in sinu supra pectus suum retinet; in quo et magna humilitas ejus claret. O quam tenerrime se invicem diligebant! Et ideo de pectore et sinu, id est secreto sapientiæ Domini sacramentum divinitatis, atque specialiter Evangelium quod scripsit, hauriebat, et bibens inebriatus est. Unde *Anselmus*: « Quisnam ille est, rogo te, qui supra pectus ejus recubuit, et in sinu ejus caput reclinat? Felix quicumque es! O certe ecce jam video: Joannes est nomen ejus. O Joannes, quid tibi dulcedinis, quid gratiæ et suavitatis, quid luminis et devotionis hauriebas ab illo fonte? Ibi certe omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi sunt; ibi fons misericordiæ; ibi dominicilium pietatis; ibi favus æternæ suavitatis. Unde tibi, o Joannes, omnia ista? Numquid, tu sublimior Petro, Andrea sanctior, aut certe omnibus Apostolis gratiosior? Speciale hoc privilegium virginitatis, quia virgo es electus a Domino, atque inter ceteros magis dilectus. Jam nunc exsulta, virgo, accede propius, et aliquam hujus dulcedinis portionem vindicare non differas. Si potiora non

potes, dimitte Joanni pectus, ubi se cum vino lætitiæ in divinitatis cognitione inebriat; tu currens ad humanitatis ubera, lac exprime quo nutriaris : » hæc *Anselmus*. Conspice etiam alios discipulos multum mœstos, ad prædictam vocem Domini non comedentes seseque invicem aspicientes, et super his consilium capere nescientes.

8 ACCEPTA BUCCELLA, SATANAS INTRAT IN JUDAM. — Cum ergo Jesus panem intinctum Judæ dedisset, *post buccellam*, per quam se vidit designatum, *intravit in eum Satanas*, non tunc primo et de novo, cum jam Christum prius vendidisset, sed ad amplius, quasi proprium ac sibi jam traditum plenius possidendum, et suæ servituti subjugandum, et ad quæcumque vellet noxia agenda trahendum, in quem ante introiverat, quasi alienum, ad tentandum et decipiendum. Intravit in eum, ut totum eum occuparet, et quem malignis cogitationibus obligaret, jam ipso impietatis opere possideret. Ingratus enim beneficiorum Christi, factus est in potestate dæmonis magis quam ante; sicut Apostoli, qui jam post resurrectionem acceperant Spiritum Sanctum, insufflante Domino, postea iterum ipsum plenius acceperunt in die Pentecostes. Ubi sciendum quod Satanam intrare hominem, potest dupliciter intelligi : quia vel intrare in corpus hominis, sicut patet in dæmoniacis et sic potest essentialiter intrare in hominem; vel, intrare in mentem, ita quod menti essentialiter illabatur, et sic nullus potest intrare in hominem nisi solus Deus. Anima enim rationalis non habet dimensiones quantitatis ut aliquid in ea esse dicatur, quasi infra dimensiones ejus contentum, et sic nihil potest in ea esse, nisi quod ei dat esse, quod est ibi per virtutem suam; ubi autem est virtus Dei, ibi est et essentia Dei, in Deo enim idem est virtus et essentia, et ideo Deus essentialiter est in anima, cujus solius est implere naturam, sive substantiam ab eo creatam. Dicitur tamen Satan illabi menti humanæ, per affectum et effectum malitiæ, scilicet in quantum homo ab eo seductus sequitur eum ad perpetrandum malum quod suggerit; et sic per fraudulentam deceptionem, et malitiam habitare dicitur in eo quem implet. Et hoc modo intravit in Judam, ut plenius possideret, et ad perpetrandum malum induceret, in cujus cor prius miserat ut deciperet, et ad præbendum assensum malo induceret. A simili, quando ostium est ita forte, quod latro nec violenter, nec latenter potest intrare, tunc quandoque latrunculum per fenestram submittit, qui postea ostium latroni aperit, et sic latro intrat. Latro est diabolus; domus fortis est voluntas; latrunculus vero, mala cogitatio vel delectatio. Quando ergo diabolus potest intrare per aliquam complacentiam, hic aperit ostium consensus; et sic diabolus intrat, et spoliat animam bonis suis. Unde *Origenes* : « Cavendum nobis est, ne diabolus intrudat in cor nostrum aliquid ignitorum telorum suorum, nam si introduxerit, insidiatur deinde, ut et ipse introeat. » In hoc autem quod buccella sumpta, amplius introivit Satanas in Judam, perpende quantum est malum commensalem alicujus post esse ingratum, et beneficii immemorem.

9 PERMISSIO PRODITORI DATA IPSIUSQUE EGRESSUS. — Deinde ponitur proditoris permissio, non enim poterat aliquid facere, nisi Christo permittente. *Et* ideo *dixit ei Jesus : Quod facis*, scilicet voluntate, *fac*, id est facies, *citius*. Et bene dicit : *Quod facis*, quia voluntatis crimen pro facto reputatur. Festinat Dominus in bonum salutis, fidelium quod Judas operatur, sed non sibi. Multi quippe bonum ut Judas faciunt; sed omnino nihil eis proficit, quia bonum facere non intendunt. Non tamen Dominus impellit Judam ad proditionis culpam; sed ostendit se sitire salutem nostram. Unde non dicit hoc, præcipiendo facinus, vel consulendo, quia præceptum divinum, vel consilium, non potest esse de faciendo malum; sed tantum prædicendo et permittendo, dans ei in se potestatem, quia vidit ejus animum præ nimio desiderio implendi quod cœperat acceleratum, non

posse quiescere; sed implere non poterat, nisi ipse Dominus permitteret. Dicit etiam hoc Dominus, crimen proditionis exprobrando, ut ostenderet quod, dum ipse beneficia conferret, ille mortem intentaret. Dicit insuper hoc, ad opus nostræ redemptionis anhelando; non tam in perniciem perfidi sæviendo, quam ad salutem fidelium festinando. *Cum ergo accepisset ille*, scilicet Judas *buccellam* de manu Domini, *exivit continuo*, scilicet ad quærendum cohortem quæ Christum caperet. In quo significatur, quod sacerdos sumens Corpus Christi indigne, magis elongatur a Deo, quia enim bono male usus est, hæc præsumptio peccatum auxit, ut ingratus beneficiis Domini, apertius ab eo recederet. *Erat autem nox ;* quod expressit Evangelista, ut ostenderet opportunitatem temporis ad peragendum proditionem, nec non ut denotaret in Juda mentis tenebrositatem. Unde congruit hoc bene sacramento: erat enim qui exiit filius noctis, faciens opera tenebrarum; ibatque in noctem seu tenebras et mortem. Quia ergo Judas ex bonorum societate non profecit, ob hoc majori pœna dignus fuit. Unde *Chrysostomus :* « Sicut boni et perfecti duplici sunt digni honore, quoniam et benigni sunt facti, et nihil a malis nocumenti senserunt; sic et mali duplici sunt digni pœna, et quia mali facti sunt, cum possent effici boni, quod ostendunt qui facti sunt boni, et quia nihil a bonis lucrati sunt : » hæc *Chrysostomus.*

10 Quid signat separatio Judæ ab aliis discipulis ? — *Cum ergo exiisset* Judas, ad procurandum Christi mortem, remanentibus aliis discipulis *dixit Jesus : Nunc clarificatus est Filius hominis,* id est, ejecto tenebroso, remanserunt soli mundi, cum suo mundatore. Nunc, inquit, quia caligo noctis et tenebrarum recessit a discipulis meis, nunc *Filius hominis clarificatus est* in eis; nunc nihil caliginis et tenebrarum sentit in ipsis. Unde *Anselmus* : « Hoc quoque erat mansuetudinis tuæ, Domine Jesu, quod perfidum illum in cœtu fratrum palam detegere, et confundere noluisti; sed leviter admonitum, accelerare jussisti quod parabat. In omnibus his non est aversus furor ejus malignus a te, sed egressus foras satagebat circa frequens maleficium. Tunc clarificata est familia tua, Christe, in modum societatis angelicæ : » hæc *Anselmus.* Possunt etiam hic res significantes tamquam illæ quæ significantur accipi. *Nunc*, inquit, *clarificatus est Filius hominis*, in se, in causa, non in effectu; quia modo inchoata est traditio Passionis, cujus merito ex congruo datur ei claritas Resurrectionis et Ascensionis; similiter in corpore mystico est clarificatus, quia Judæ exitus malorum a bonis signat segregationem. *Et Deus clarificatus est in eo*, quia scilicet non quæsivit nisi gloriam Patris. Hoc ergo facto separationis Judæ a societate Christi et Apostolorum, præfigurata fuit reproborum separatio tempore judicii, a consortio Christi et electorum; quia tunc apparebit gloria magna Christi, membraque adhærebunt capiti, et paleæ amovebuntur concremandæ igni inexstinguibili. Unde ait *Augustinus :* « Exeunte immundo, omnes mundi, cum suo mundatore, manserunt. Tale aliquid erit cum zizaniis a tritico separatis, *justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Hoc futurum prævidens Dominus, discedente Juda, tamquam zizaniis separatis, remanentibus tamquam tritico Apostolis sanctis : *Nunc*, inquit, *clarificatus est Filius hominis.* Tamquam diceret: Ecce in illa mea clarificatione quid erit, ubi malorum nullus erit, ubi bonorum nullus peribit : » hæc *Augustinus.*

ORATIO

Domine Jesu Christe, pastor bone, qui discipulum tuum a suis erroribus ad pœnitentiam multis modis revocare voluisti, revoca me ab inviis et erroribus meis universis. Da mihi, Salvator meus, potestatem et fortitudinem vincendi diabolum continue vigilantem, et contra me dimicantem, ne me fraude

sua nequissime trahat ad tenebrarum foveam; sed tuo adjutorio suffultus perveniam ad claritatis gloriam, ubi *justi*, in modum societatis angelicæ clarificati *fulgebunt sicut sol, in regno Patris eorum*. Amen.

CAPUT LVI

DE INSTITUTIONE SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

Matthæi cap. XXVI, Marci cap. XIV et Lucæ cap. XXII.

1 EUCHARISTIAM INSTITUENDO CHRISTUS LEGALIBUS SACRIFICIIS FINEM IMPONIT. — Circa quartum vero meditando, obstupesce illam clarissimam dignationem, et dignatissimam caritatem, qua nobis tradidit et reliquit semetipsum, scilicet sacratissimum Corpus et Sanguinem suum vere in cibum et potum; ut quod erat futurum in proximo sacrificium Deo placens, et redemptionis nostræ impretiabile pretium, esset viaticum nostrum et sustentamentum, quia hoc sacramentum quod per excellentiam dicitur Eucharistia, id est bona gratia, quotidie reficit et renovat ferventia corda et devota. Volens ergo Dominus Jesus finem dare legalibus sacrificiis, et Novum incipere Testamentum, semetipsum nostrum facit sacrificium, et post cœnam legalem, mox spiritualem cœnam Christianorum præparat : ut de Lege ad Evangelium, de Veteri et transitorio Testamento ad Novum et æternum Testamentum, de figura ad veritatem, et de carnalibus ad spiritualia transeat. Ubi ait *Beda* : « Finitis veteris Paschæ solemniis, quæ in commemorationem antiquæ de Ægypto liberationis agebantur, transit ad novum, quod in suæ redemptionis memoriam Ecclesiam frequentare desiderat, pro carne et sanguine agni, suæ carnis et sanguinis Sacramentum in panis et vini figura substituens, *Sacerdos in æternum* factus, *secundum ordinem Melchisedech* : » hæc *Beda*.

2 VERBA CONSECRATIONIS. — *Cœnantibus autem eis*, id est cœnam agni typici perficientibus et consummantibus, vel post esum agni typici adhuc in cœna residentibus, antequam surgerent de cœna, *accepit Jesus panem* azymum, non fermentatum, et oculis ad Patrem elevatis, *gratias egit*, pro veteribus terminatis et pro novis inchoandis, *et benedixit*, dicendo illud quod sequitur, scilicet : *Hoc est corpus meum; ac fregit*, scilicet post verba consecratoria, *deditque discipulis suis, et ait*, scilicet priusquam frangeret, vel simul quando frangebat : *Accipite*, scilicet *ex hoc, omnes, et comedite : Hoc est corpus meum,..., quod pro vobis datur*. Ecclesia addidit, *enim*, et ideo semper est dicendum. *Et similiter, accipiens calicem*, non veterem ut prius, sed novum, ac item *gratias agens, benedixit, et dedit illis, dicens :* Accipite et *bibite ex hoc omnes* : *Hic est enim sanguis meus, Novi Testamenti, qui pro multis effundetur, in remissionem peccatorum*. Quibus verbis hoc sacramentum instituit, et tacite præmissum destituit. Unde creditur, cum Dominus dixit : *Hoc est corpus meum* ; et : *Hic est sanguis meus*, mutasse panem et vinum in carnem et sanguinem, et tunc eamdem vim contulisse illis in posterum; et ideo, cum proferuntur in Canone, ex virtute eorum fit transsubstantiatio, quia verba consecrationis efficiunt quod figurant. Si enim verbum Christi tantæ est virtutis, quod fecit de nihilo omnem creaturam, non est mirum si unam creaturam convertat in aliam. Unde *Chrysostomus* : « Sicut illa vox quæ dixit :

Crescite et multiplicamini, et replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem, operante natura; ita et vox ista semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ, usque in hodiernum diem, et usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem : » hæc *Chrysostomus*. Est autem ibi altare, ubi Dominus ordinavit sacramentum Eucharistiæ. Ob cujus institutionem est, quod in hac die, cum omnes Horæ sint flebiles, sola Missa est solemnis, tamquam in suo natali, scilicet in die suæ institutionis. Eadem quoque die Chrisma conficitur, quo frontes liniuntur, quia eadem die postes agni sanguine liniebantur. Aspice nunc bene quomodo diligenter ac fideliter, et devote Dominus prædicta fecerit, et propriis manibus illam dilectam et benedictam familiam suam communicaverit. Non enim est intelligendum, quod discipuli sumptum Corpus de manu Domini sibi ministrarent; sed qui consecravit, ipse et ministravit. In cujus signum omnes religiosi deberent in die Cœnæ recipere Corpus Christi, de manu prælati sui. Sumpsit etiam ipse sacramentum Corporis et Sanguinis sui, non propter sui indigentiam, et ut aliquem a sacramento consequeretur effectum; sed gratia exempli, scilicet ut aliis daret manducandi exemplum. Sumpsit autem modo illud sacramentali tantum, non spirituali. Per hoc autem quod Christus morti propinquus, non solum agnum typicum, sed etiam Corpus suum verum sacramentaliter, cum Apostolis suis manducavit, ostenditur quod quilibet Christianus, periculo mortis imminente, debet, si potest, sacramentaliter communicare, et si non potest, communicet saltem fide, secundum illud verbum *Augustini :* « Crede, et manducasti. »

3 Gratiarum actio panisque fractio. — Attende etiam sacramenti dignitatem, et reverentiam, et ordinem circa ipsum, quoniam primo *gratias egit :* pro tanto mysterio, circa quod divina virtus operatur secretius; et pro tanto beneficio, ut Corpus et Sanguinem suum det nobis : et per hoc ostendit, quod in sumptione, et ante sumptionem hujus sacramenti, præexigitur devotio et oratio, ac mentis in Deum elevatio. In hoc etiam tribuit nobis exemplum glorificandi Deum in omni bona inchoatione. Unde ait *Beda :* « Et sicut de veteribus terminandis egerat, sic et de novis incipiendis gratias agit, nobis pariter exemplum tribuens, in omni boni operis inchoatione, vel perfectione, Patrem qui in cœlis est, esse glorificandum. » Deinde, *benedixit*, dicendo verba quæ sequuntur: *Hoc est corpus meum;* hoc, scilicet quod sub specie panis videtis, quod nunc do, et quod nunc sumitis, quod pro vobis, et vestra redemptione tradetur, ad flagellandum et crucifigendum. Ex quo videtur quod *hoc* non demonstrat speciem panis simpliciter, nec Corpus Christi simpliciter, sed Corpus Christi sub specie panis apparens. Unde etiam videtur quod nulla alia intelligitur benedictio, quam sacrorum verborum prolatio. Transmutatio autem fit in ultimo instanti prolatæ orationis. Unde *hoc* demonstrat Corpus Christi, non pro tempore pro quo profertur, sed completa oratione, ut cum dicitur : *hoc* est bonum verbum, Deum time. *Et* tunc *fregit*, ut, secundum *Bedam*, ostenderet Corporis sui fractionem, id est Passionem, non sine sua sponte et opere futuram. Frangimus et nos, in signum quia fregerit, sed nihilominus integer post manet. Pane enim in Corpus Christi transsubstantio, frangi dicitur : non quod Corpus Christi, quod integrum sub qualibet parte manet, frangatur; sed accidentia, sub quibus Corpus manet, franguntur. Debet autem fractio fieri in tres partes, in signum quod fractus est tripliciter Christus, scilicet : flagellis ante Passionem, clavis in Passione, lancea post Passionem; item, propter tres partes Ecclesiæ : nam prima pars notat Sanctos in cœlis; secunda, salvandos, qui sunt in pœnis; tertia tincta, vivos quos adhuc hæc vita sustentat in terris. Deinde, *dedit discipulis suis*, ad usum, ut ad

se species panis converterent, et ipsi in Christum converterentur. Unde *Augustinus* : « Dictum est a Domino : Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. » *Et ait : Accipite et comedite*, ubi utramque hujus sacramenti innuit comestionem, sacramentalem scilicet, et spiritualem, ut accipiant mente et corpore, et comedant fide et ore, ac gustent et videant devotione, quoniam suavis est Dominus, est enim manna in sapore habens omne delectamentum, et omnis saporis suavitatem ; ac sibi incorporent recogitatione, servantes in corde pretium redemptionis suæ. Non est ergo sic intelligendum, quod prius frangeret et daret suis discipulis, ac postea diceret verba consecrationis, sed magis e converso, quia Christus dedit Corpus suum consecratum Apostolis, et ideo prius dixit verba consecrationis. Per Jesum, qui *salus* interpretatur, bonus Prælatus Christi vicarius, et de sua subditorumque salute sollicitus, intelligitur. Hic accipit panem, cum diligenter studet Sacræ Scripturæ; gratias vero agit et benedicit, quando Deo attribuit ejus diligentiam ; frangit autem et dat, devote prædicando eam. E contra de ignorante et negligente, dicitur in Threnis : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.*

4 Laudandus etiam in tribulatione Dominus participandumque ipsius calici. — *Et accipiens calicem*, cum vino aqua mixto, Passionem suam præsignantem, *gratias egit*, pro redemptione humano generi collata per illam ; nec non in adversis, et pro adversis, quod non pro se, sed pro nobis hæc tulit, monstrans in hoc ut Dominum laudemus, quando flagella videmus, et gratias agamus in omni tribulatione, quæ significatur in nomine calicis. Unde *Chrysostomus* : « Gratias egit, docens nos qualiter oportet hoc mysterium perficere, et erudiens nos quodcumque patimur cum gratiarum actione ferre. » Unde et *Beda* : « Qui nihil dignum percussione exhibuit, humiliter in percussione benedicit : ut hinc videlicet ostendat quid unusquisque in flagello culpæ propriæ facere debeat, si ipse æquanimiter flagella culpæ alienæ portat ; ut hinc etiam ostendat quid in correptione faciat subditus, si in flagello positus Patri gratias agit æqualis. » Deinde *benedixit, dicens : Hic est sanguis meus*, qui, scilicet sub specie vini apparet, *Novi Testamenti*, scilicet ad Novi Testamenti confirmationem ; quoniam, sicut Vetus Testamentum confirmatum est in sanguine animalium immolatorum, ita et Novum Testamentum sanguine Christi confirmatum est, in quo apparet excellentia Novi Testamenti, respectu Veteris. Et addit : *Quod pro vobis et pro multis*, redimendis, et in cœlestem hereditatem introducendis, *effundetur in remissionem peccatorum.* Dicit autem, *pro multis*, efficienter, sed pro omnibus, sufficienter : quia sanguis Christi pro omnibus effusus fuit, quantum ad sufficientiam, sed non fuit effusus pro omnibus, quantum ad efficientiam, quia non omnes emundat, quamvis omnes emundare sufficeret, si fide et dilectione, ac sacramentorum perceptione virtutes ejus attingerent. Deinde *dedit illis, dicens* : *Bibite ex hoc omnes*, ut sitis Passionis meæ repræsentatores, id est imitamini meam Passionem, quia nisi compatiamini, non conregnabitis. Bibit autem ipse primo Sanguinem suum, inducens eos etiam ad bibendum. Et notandum, quod sicut tunc, ita et in primitiva Ecclesia homines qui missæ intererant, sumebant sacramentum unitatis ; nunc autem quia non possunt omnes digne sumere, sumunt aliud saltem signum unitatis, id est osculum pacis ; quod tradens sacerdos et dicens : Accipite vinculum pacis, idem est ac si diceret : Sumite ex hoc omnes; vel, accipite, et dividite inter vos. Per calicem persecutio signatur in Sacris Scripturis : hic calix sumitur, patienter tolerando ; et datur aliis, ad simile exhortando.

5 Cur sub duplici specie institutum fuerit Eucharistiæ sacramentum. — Advertendum autem quod istud sacramentum sub duplici specie, scili-

cet panis et vini, est institutum, quia ordinatur ad corporis et animæ salutem; vel, ad significandum perfectam animæ refectionem, sicut ex cibo et potu fit perfecta corporis refectio. Separatim tamen fit Corporis et Sanguinis consecratio, quia in Passione fuit sanguis separatus a corpore. Hoc autem sacramentum institutum est, quasi quoddam memoriale illus Passionis, et ideo consecratio Corporis et Sanguinis fit sub speciebus distinctis. Considerandum tamen est, quod sub utraque specie est totus Christus indivisus, scilicet : Corpus et Sanguis, ac anima et deitas; ac per hoc utrobique est unum et simplicissimum sacramentum : aliter tamen et aliter. Sub specie namque panis est tantum Corpus, ex vi conversionis vel sacramenti; cetera autem sunt ibi ex concomitantia reali, seu naturali et inseparabili, quia Sanguis est ibi, per connexionem, et anima, per conjunctionem, et deitas, per unionem : ista enim quatuor non possunt dividi, nec ab invicem separari. Similiter sub specie vini, est tantum Sanguis, ex vi conversionis et sacramenti; cetera autem ex concomitantia sunt ibi. Et licet in primitiva Ecclesia populus sub utraque specie communicaret, postea tamen provide ordinatum est, ut non communicaret sub specie vini, propter periculum effusionis, et quia sub specie panis quodammodo Sanguis accipitur, in quantum ibi continetur. Eucharistia itaque formaliter et perfectissime est unum sacramentum, materialiter vero plura; quia ibi concurrunt duo, scilicet cibus et potus, et propter hoc quandoque exprimitur pluraliter, sicut in collecta : *Purificent nos, quæsumus, Domine, sacramenta quæ sumpsimus;* et subditur post singulariter : *Et præsta, ut hoc tui Corporis sacramentum*, etc. Panis quippe sacramentum est Corporis, et vinum Sanguinis; aqua vero, quæ apponitur, notat similitudinem : vel illius aquæ quæ fluxit de Christi latere, vel fidei Ecclesiæ, ut neque Christus sine Ecclesia, neque Ecclesia sine Christo sit, sed ejus carni et animæ uniatur et conformetur. Et ideo vinum aquæ mixtum in Missa offertur, ut ostendatur quia caput et membra, id est Christus et Ecclesia, unum corpus sunt.

6 Tria in hoc sacramento. — Sunt autem tria in sacramento isto consideranda : unum, quod tantum est sacramentum, scilicet species visibilis panis et vini; secundum, quod est sacramentum et res, scilicet caro Christi propria ejusque sanguis; tertium, quod est res et non sacramentum, scilicet mystica Christi caro, id est. Ecclesiæ unitas. Res ergo significata et contenta in hoc sacramento est verum Corpus Christi, quod traxit de Virgine; res non contenta, sed tantum significata, est corpus Christi mysticum, quod conjungitur capiti per caritatem. De hoc corpore Christi mystico, scilicet unitate Ecclesiæ, dictum est supra de verbis Domini, pro quibus quidam retro abierunt. Est etiam corpus Dominicum sacramentum incarnatæ divinitatis. Unde *Augustinus :* « Illud corpus visibile et palpabile, sacramentum est invisibilis formæ, id est panis cœlestis, quo vivunt Angeli. Cum enim nihil gessit in corpore anima Christi, nisi quantum Verbum cui unita est inspirabat, quis non judicet Corpus esse sacramentum inhabitantis divinitatis ? » Et iterum : « Christi visibilis forma, nobis modo invisibilis, res est visibilis sacramenti altaris ; et invisibilis forma cœlestis panis, quo vivunt Angeli, res est visibilis et palpabilis formæ Christi. Est ita Christus et sacramentum, et res sacramenti : » hæc *Augustinus.*

7 Novem mirabilia in Eucharistia. — Multa mirabilia sunt in hoc sacramento. Primum, quod ibi est corpus Christi in tanta quantitate, sicut fuit in cruce, et sicut jam est in cœlo; nec tamen excedit illius parvæ formæ terminos, vel quantitatem, unde mirum est quomodo sub tam modica specie tantus homo lateat. — Secundum est, quod ibi sunt accidentia sine subjecto, quia enim in Deum non cadit accidens, ideo accidentia quæ prius erant in subjecto, scilicet in pane, postea sunt sine subjecto. — Tertium est, quod panis ita convertitur

in Corpus Christi, quod tamen non est materia Corporis, nec etiam animæ. — Quartum est, quod Corpus non augetur ex multarum hostiarum consecratione, et e converso non minuitur ex earum sumptione. — Quintum est, quod idem Corpus simul in pluribus locis, id est sub omnibus hostiis consecratis est. Deo enim convenit esse ubique simpliciter et proprie; creaturæ vero in loco uno tantum esse; Corpus vero Christi medio modo habet se: cum enim sit creatura, non debet coæquari Creatori in hoc, quod sit ubique; cum vero sit unitum divinitati, debet in hoc alia corpora excellere, ut simul et semel possit in pluribus locis esse, sub isto videlicet sacramento. — Sextum est, quod cum dividitur hostia, non dividitur Christi Corpus, sed sub qualibet parte totus est Christus, unde hæc fractura in forma est panis, non in Christi corpore, quia totus Christus indivisus sumitur, sub qualibet parte; sicut integro speculo tota et unica forma relucet in tota, et in fracto speculo fit unius et ejusdem formæ numero, et totius integræ formæ ad quamlibet speculi fracturam reflexio. — Septimum est, quod quando tenetur hostia in manibus, et videtur oculis, Corpus Christi, nec tangitur manibus, nec videtur oculis; sed hoc totum tantummodo circa species agitur, sicut et quando dividitur. — Octavum est, quod cum non sit ibi panis vel vinum, tamen accidentia eumdem habent effectum, quem prius, ut satiare, inebriare, et hujuscemodi. — Nonum est, quod statim cum desinunt illæ species, tunc etiam ibi desinunt esse Corpus Christi et Sanguis. Ubi ait *Hugo :* « Quamdiu sensus corporalis afficitur, corporalis præsentia non aufertur; sed deinceps Christus transit de ore ad cor, et manet virtus ac præsentia spiritualis tantum. » Et licet post sumptionem desinat ibi esse Corpus et Sanguis Christi, cavere tamen debet communicans ne post communionem spuat, maxime ante comestionem, in loco immundo, vel ubi possit sputum pedibus conculcari, et hoc propter periculum, et ob reverentiam tanti Sacramenti.

8 EUCHARISTIA EST MONUMENTUM SEU MEMORIALE DOMINI. — Tandem quoque Dominus in amoris recordationem subjunxit: *Hoc*, scilicet sacramentum, *facite*, id est conficite vel celebrate, accipite et date, *in meam*, id est in Passionis meæ, *commemorationem*, quia Eucharistiæ consecratio est quædam Dominicæ Passionis rememoratio; quod exponit Apostolus, dicens: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*, scilicet ipse Dominus ad judicium. Pascha enim legale fuit in præfiguratione Paschæ futuri, sed Evangelicum fit in commemoratione præteriti, scilicet Passionis Christi. In memoriam ergo illius beneficii inexpressibilis Christus instituit sacramentum altaris. Dicens itaque : *Hoc facite in meam commemorationem*, ordinavit Apostolos in sacerdotes, et dedit eis potestatem conficiendi sacramentum Corporis et Sanguinis sui. Hoc igitur colit Ecclesia, passumque Christum retractat, cum illud Corpus Domini consecrat; et sacerdos, cum levat Corpus Domini, repræsentat quod Christus in cruce sit levatus. Illud enim corpus est quod et ipse sacravit, quod crucifixum est et mori sustinuit. Hoc est illud memoriale, quod animam gratam, cum ipsum suscipit manducando et bibendo, vel etiam fideliter meditando, debet totam ignire et inebriare, et in ipsum Dominum præ amoris et devotionis vehementia totaliter transformare. Nihil enim majus, carius, dulcius, vel utilius nobis relinquere potuit quam seipsum. Ipse namque quem in sacramento altaris, hodie per eum instituto sumimus: ille idem est qui de Virgine incarnatus et natus ubera ejus suxit, qui pro te crucifixus mortem sustinuit, et qui resurgens et ascendens sedet a dextris Dei; ipse est qui creavit cœlum et terram, et qui gubernat et moderat universa; ipse est a quo dependet salus tua, in cujus voluntate et potestate est tibi dare paradisi gloriam; ipse in tali hostia modica sic oblatus,

tibique exhibitus, ipse Dominus Jesus, de quo loquimur, Filius est Dei vivi. Unde excellenter Eucharistia, id est *bona gratia* dicitur, quia in hoc sacramento non tantum modo augmentum est virtutis et gratiæ, sed ipse totus sumitur, qui est fons et origo totius gratiæ. Unde *Hieronymus :* « Hanc ultimam memoriam nobis reliquit, quemadmodum si quis peregre proficiscens aliquod pignus ei quem diligit relinquit, ut quotiescumque illud viderit, possit et ejus beneficia et amicitias memorari. Quem si ille perfecte dilexerit, sine ingenti illud desiderio, vel fletu non potest videre. Ideo hoc Salvator tradidit sacramentum, ut per hoc semper commemoremur, quia pro nobis mortuus est. Nam et ideo cum accipimus, a sacerdotibus commonemur, quia Corpus et Sanguis est Christi, ut non simus ingrati tanti ejus beneficii : » hæc *Hieronymus.* Institutum est igitur hoc sacramentum altaris : primo, in recordationem Dominicæ Passionis et liberationis ; secundo, in signum præcipuæ dilectionis et imitationis ; tertio, in robur confirmationis, contra lapsus humanæ infirmitatis ; quarto, in purgationem spiritus hominis et nutrimentum vitæ spiritualis ; quinto, in viaticum præsentis peregrinationis ; sexto, in pignus et arrham habendæ hereditatis; septimo, in remedium satisfactionis pro peccatis. Unde Sanguine Christi corpus et animam linimus, quia sanguis agni super utrumque postem domus, liberavit Hebræos ab Angelo exterminatore.

9 Præparatio ad sanctam communionem. — In hoc autem sacramento duo requiruntur ex parte recipientis, scilicet : desiderium conjunctionis ad Christum, quod amor facit ; et reverentia sacramenti, quæ ad donum timoris pertinet. Primum, ad quotidianam hujus sacramenti frequentationem invitat, sed secundum retrahit. Unde, si aliquis experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare ; si autem sentiret per quotidianam frequentationem reverentiam minui, et fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum majori reverentia et devotione postmodum accederet. Unde, quantum ad hoc, unusquisque est suo judicio relinquendus. Modus autem illud sumendi tripliciter dividitur : comestio enim alia fit ore, et est sacramentalis ; alia fit corde, et est realis ; alia fit ore et corde : in altero sacramentum, in altero res sacramenti. Sola comestio sacramentalis tantum malorum est, qui, etsi sub visibili specie elementorum Corpus Christi accipiant, tamen quia nec vere credunt, nec diligunt, pani cœlesti couniri non possunt. Sola comestio realis, tantum bonorum est, qui, etsi sub visibili sacramento carnem Christi non sumant, tamen fide et dilectione panem cœlestem manducant, et ei couniuntur. Unde *Augustinus :* « Quid paras dentes et ventrem ? Crede, et manducasti. » Realis vero et sacramentalis comestio junguntur, cum accipientes in pane quod pependit in ligno, accipientes in calice quod manavit de latere, pertingunt mente usque ad esum panis vitæ. Oris, inquam, perceptio et incorporatio, sacramentum est comestionis cordis, qua manducamus cum Domino Corpus suum, et bibimus cum eo Sanguinem suum, hoc est per efficaciam Corporis sui et Sanguinis sui manemus in eo, et ipse in nobis. Itaque alii accipiunt Corpus Domini ad mortem, quia non attingunt panem vitæ ; alii accipiunt ad vitam, quia aduniuntur cum Verbo. Unde *Chrysostomus :* « Credimus itaque quoniam et nunc illa cœna est, in qua et ipse recubuit, nihil enim illa ab hac differt. Neque enim hanc quidem homo operatur, illam autem ipse; sed hanc et illam ipse. Cum ergo sacerdotem dantem tibi videris, non sacerdotem æstima esse qui hoc facit ; sed manum Christi esse quæ extenditur. Sicut igitur cum baptizaris, non ipse sacerdos baptizat, sed Deus est qui detinet tuum caput invisibili virtute ; ita et nunc. Nullus itaque Judas adsit, nullus avarus, nullus inhumanus accedat, nullus crudelis et immisericors, nullus

universaliter immundus ; si quis non est discipulus, discedat. Non recipit eos, qui non sunt tales hæc mensa: *Cum discipulis* enim *meis*, ait, *facio Pascha*. Hæc est illa mensa, et nihil minus illa habet ; hoc illud est cœnaculum ubi tunc fuerunt, hinc ad montem Olivarum exierunt. Exeamus et nos in manus pauperum, hæc enim regio mons est Olivarum : olivæ enim sunt plantatæ in domo Domini, id est pauperum multitudo stillat oleum, quod hic est utile nobis. Ita enim et Deum propitium habebimus, et multam assumemus mercedem : » hæc *Chrysostomus*. Si quem, secundum *Bedam*, movet, cum cœnatus Salvator Apostolis suum Corpus, ac Sanguinem tradidit, quare nos jejuni eadem sacramenta percipiamus : audiat, quia tunc necesse erat typicum Pascha prius consummari, et sic ad verum Pascha transire, ac veri Paschæ sacramenta substitui ; nunc autem in honorem et pro reverentia tanti sacramenti placuisse magistris Ecclesiæ primo nos Dominicæ Passionis participatione muniri, et spiritualibus epulis satiari, deinde terrenis dapibus corpus refici. Sunt autem tria sacrificii genera : unum, Dominici corporis ; alterum, contriti cordis ; tertium, mortificatæ carnis. Oportet ergo sacrificium humilitatis, præcedere in mente, afflictionis in carne, ut devotio habeatur in Dominici corporis consecratione et receptione. Appropinqua nunc, et tu, ad hanc cœnam mendicans, ut eleemosynam inde accipias. Ad quod te hortatur *Anselmus*, dicens : « Jam nunc ascende cum eo in cœnaculum stratum, grande ; et salutaris cœnæ interesse deliciis gratulare. Vincat iracundiam amor, timorem excludat affectus, ut saltem de micis mensæ illius eleemosynam præbeat mendicanti ; vel, a longe sta, et quasi pauper attendens in divitem, ut aliquid accipias, extende manum tuam, famemque lacrymis prode : » hæc *Anselmus*.

10 ULTIMA CŒNA PRÆFIGURATA IN MANNA DESERTI, IN MANDUCATIONE AGNI PASCALIS, ET IN OBLATIONE MELCHISEDECH. — Cœna Domini olim in manna præfigurata fuit, quod Deus filiis Israel in deserto dedit. Dedit Judæis figuram veri panis, scilicet panem materialem et temporalem ; nobis autem veritatem, scilicet panem supersubstantialem et æternalem. Manna creatum fuit a Deo in cœlo aereo, sed panis nobis datus, scilicet Christus, descendit de cœlo vero. — Cœna Domini etiam præfigurata fuit in agno paschali, quem Deus primo præcepit filiis Israel manducare, quando decrevit eos de captivitate Ægyptiaca liberare : ita Christus sacramentum Eucharistiæ tunc primum instituit, quando nos a diabolica potestate eripere voluit. Quando filii Israel agnum Paschalem manducabant, succincti erant, baculos in manibus tenebant, et stabant ; ita communicantes debent esse succincti per mentis et corporis castitatem, et tenere baculos, per rectæ fidei firmitatem, debent etiam erecti stare in bona vita, quem inchoaverunt, et non se iterum reponere in lutum, de quo jam surrexerunt. Agnus comedebatur cum lactucis agrestibus, quæ sunt amaræ ; et nos debemus Corpus Domini manducare cum amara contritione. Qui comedebant agnum, tenebantur pedes suos calceare ; sic communicantes debent pedes suos, id est affectus et desideria, custodire, cavendo ne aliqua maculentur sorde. Agnus Paschalis non fuit coctus aqua, sed assatus igne ; et manducans debet esse ignitus caritate. — Christus Rex et Sacerdos verus Eucharistiam sub specie panis et vini dedit, et hoc sacramentum instituit, quod olim Melchisedech rex et sacerdos Dei altissimi figuravit ; quapropter Christus, *Sacerdos, secundum ordinem Melchisedech* appellatur in Psalmo, quia hoc sacramentum in oblatione Melchisedech præfigurabatur.

11 FACTA CONTENTIONE INTER DISCIPULOS, DOMINUS EIS HUMILITATEM COMMENDAT. — *Facta est autem et contentio*, id est disquisitio, *inter eos* scilicet discipulos, *quis eorum videretur esse major*. Ubi sciendum, quod cum Apostoli audierunt Christum prædicantem traditionem sui ad mortem, cœperunt quærere inter se, quis eorum

esset major, id est aptior et convenientior ad præcedendum alios loco Christi, et ad tenendum ejus locum. Et ideo Christus de hoc eos docuit, videlicet quod ille esset ad hoc aptior, qui esset vere humilior, revocando eos ab affectu superbæ dominationis et primatus, exemplo regum Gentium, et per contrarium, dominorum terrenorum. *Dixit autem eis* : *Reges Gentium dominatur eorum*, gentiles enim et terreni domini appetunt primatum ; *et qui potestatem habent super eos*, *benefici vocantur* : quia blandi sermones a subditis eis offeruntur. Unde, hos Dominus nolens discipulos suos imitari, subjungit : *Vos autem non sic* facere debetis ; *sed qui major est in vobis*, scilicet per virtutum excellentiam, *fiat sicut minor*, per humilitatem; *et qui præcessor est*, scilicet dignitate, vel etiam sanctitate, *fiat sicut ministrator*, humili sui reputatione, vel humili officii executione, et exhibitione pro loco et tempore. Sed heu! hodie multi habentes nomen Christianorum, Gentiles imitantur, appetentes primatum habere, et subjectis dominari ; seque ab eis supervacuis laudibus extolli, et benefici vocari. Specialiter autem in Ecclesia fit frequenter contentio pro dignitatibus obtinendis, et non solum inter seculares, sed etiam inter religiosos, sicut canes contendunt ad obtinendum os carnibus plenum et medullis : propter quod viliores canibus videntur quidam religiosi, qui contendunt pro officiis præsidendi, cum tamen nihil habeant annexum, nisi miseriam et laborem. Et, quia monuit discipulos ad humilitatem , superbiam secularium dissuadendo, consequenter facit hoc, eos ad sui exemplum invitando. Nam, secundum judicium humanum, major est qui recumbit quam qui ministrat, licet secundum judicium Dei sæpe sit aliter; ipse autem qui contrarius est mundo, in medio eorum est, sicut qui ministrat, quamvis major sit eis, ut etiam jam in lotione pedum ipsorum ostenderat, et ideo est imitandus. Et ex hoc intendit concludere, quod ille est aptus ad succedendum sibi in regimine Ecclesiæ, qui est fundatus in vera humilitate. Ut enim humilitate superbiam curaret, ipse Deus ad nos descendere et humilis fieri voluit, ostendens exemplo quod merito eum imitando humiliari debeat et homo. Unde ait *Augustinus* : « Quid superbis, homo ? Deus propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitari humilem Deum : » hæc *Augustinus*. Humilieris ergo ministrando, et abjectiora ministeria, et quæ alii dedignantur, lætanter, cum opus est, suscipiendo.

12 Prædicit Christus negationes Petri et fugam aliorum discipulorum. — *Tunc* subjungens, et quæ mox fieri debebant quasi prophetizans, *dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte*. Prædicit quod passuri sunt, ut cum passi fuerint ne desperent salutem, sed agentes pœnitentiam liberentur. Scandalum enim dubitationis passi sunt, dum quasi impotentem teneri, ligari, et duci viderent. Et signanter dicit, *in nocte*, quia, qui scandalum patiuntur, in nocte et in tenebris sustinent ; et ipsi Apostoli in adversitate Dominum reliquerunt. *Petrus autem*, quia ceteris ferventior erat, quod Jesus prædixit prævidendo, ipse denegat amando, et ideo *respondens, ait illi : Etsi omnes* alii *scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor*. Infirmus voluntate jactat suam voluntatem ; sed non vires cognoscit. Unde *Glossa* : « Conscius Petrus præsentis affectus, sed nescius futuri casus, non credit se ab eo posse deficere. » In tantum Petrus affectu et caritate Christi efferebatur, ut et imbecillitatem carnis suæ, et fidem verborum Christi non contueretur. Sed non mentitur, quia credit verum esse quod promittit, et sic in mente habet ; mentitur autem qui falsum voce signat, cum voluntate et intentione fallendi. Dixit tamen falsum, quia accidit contrarium ; communiter enim accidit quod illi qui aliis in virtute se prætulerunt, turpius aliis cadunt. Respondens autem *ait* illi *Jesus : Amen dico tibi, quia tu hodie, in nocte hac,*

priusquam gallus vocem bis dederit, ter es me negaturus. Ubi *Hieronymus* : « Petrus de ardore fidei promittebat, et Salvator, quasi Deus, futura noverat. » Nemo ergo in se, nemo in viribus suis confidere potest; quia omnis constantia, omnis virtus et fortitudo, non hominis, sed Dei est. Unde *Beda* : « Qui solus novit quid sit in homine, ne quis fidelium suo vel de statu incaute confidat, vel de casu incautius diffidat, quasi Deus modum, tempus, ac numerum negationis ejus prædicit. » Unde et *Remigius* : « Moraliter instruimur, ut quantum confidimus de ardore fidei, tantum timeamus de carnis fragilitate. » Istud verbum Domini, de negatione Petri, Marcus ut præmissum est plenius ceteris expressit. Post primam enim negationem Petri statim gallus cantavit, et ante secundum galli cantum bis iterum negavit; et ita trina negatio Petri ante primum galli cantum est inchoata, et ante secundum completa. Alii vero Evangelistæ, dicentes : *antequam gallus cantet, ter me negabis,* de inceptione trinæ negationis agunt, id est trinam negationem inchoabis; sed Marcus de completione ejus scripsit. Et *ait illi Petrus* : *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Intellexit enim quod timore mortis prædiceret eum esse negaturum; et ob hoc dicebat quod licet periculum mortis immineret, nullo tamen modo ab ejus fide divelli posset. *Similiter*, id est, eodem amore et fervore, *et omnes discipuli dixerunt,* ac fervorem intrepidum ostenderunt, et per ardorem mentis damnum mortis non timuerunt; sed non perseveraverunt, quia vana fuit præsumptio humana sine protectione divina. Unde *Chrysostomus* : « Hinc ergo magnum discimus dogma, quod non sufficit desiderium hominis, nisi divino aliquis potiatur auxilio. » Et nota, quod multiplex est ratio quod Deus permisit Petrum cadere : prima, ut nullus de se præsumat; secunda, ut plus Christo, quam sibi quisque credat; tertia, ut comprimeret ejus audaciam; quarta, ut alii exemplo ejus instruerentur, humanam fragilitatem excogitantes et Dei veritatem; quinta, ut Petrus aliique prælati discerent, qualiter subditis compati deberent; sexta, ut error hæreticorum confunderetur, dicentium quod caritas semel habita non amittitur, nec amissa iterum haberi potest, cujus contrarium omnino in Petro patuit.

ORATIO

O pie Jesu, qui transiens de hoc mundo ad Patrem, postquam cœnasti, Corpus tuum et Sanguinem discipulis ob tui memoriam dedisti, et nobis sumendum reliquisti; placuitque tibi, ut tuo refecti Corpore, et potati Sanguine, essemus os de ossibus tuis, et caro de carne tua; peto ego, Domine, et obsecro per virtutem hujus ineffabilis sacramenti, ut me dignum facias gratia tua, et tanta redemptione non frauder; et fac me tanti mysterii tua miseratione participem, ut per participationem veniam merear peccatorum optatam, et gratiam proficiendi in fide, spe, et caritate percipiam, et ad gaudia sempiterna pertingam. Amen.

CAPUT LVII

DE SERMONE ET ORATIONE DOMINI IN CŒNA.

Joannis cap. XIII, XIV, XV, XVI et XVII.

POST JUDÆ DISCESSUM SERMO
' — Circa quintum vero ad
cumulum supereffluentem,
alia dilectionis insignia. Post
n enim Judæ, cum scilicet
cum mundatore remansis-
)ost alia supradicta, Dominus
scipulos consolando, fecit eis
m pulcherrimum, ignitis ple-
bonibus dulcedinis et amoris,
verbis dulcissimis de cœli
ellitis, et de Dei lumine lu-
quem scripsit Joannes spe-
a Deo dilectus et his potatus.
Anselmus : « Tunc demum di-
i eloquii uberrima inunda-
aventus ille sacer ex ore tuo,
potatus est. Siquidem cor-
lle uter foras missus fuerat,
ijus limpidissimi liquoris in-
sciebas indignum. »

:MUR NON TURBARI DE MORTE
— Ex hujus autem sermonis
c veneranda et utili magni-
quinque meditanda principa-
ime. Primum qualiter præ-
discipulis discessum suum,
t eosdem. Dicebat namque :
dhuc modicum vobiscum sum,
odico tempore, scilicet usque
onem vel mortem, quia tunc
subtractus; vel, secundum
, usque ad ascensionem, quia
nc apparuit eis corporaliter.
utem, *Filioli*, ostendit teneri-
amicitiæ, et dilectionis ad
ninutiva etenim, secundum
um, aliquando pro familiari-
amore dicuntur. Sic ergo
s vocat præ amoris teneritu-
ia cum amici ab invicem re-
affectu amoris maxime inar-
Et iterum : *Adhuc modi-*
licet tempus erit, *et mundus* *me jam non videt,* id est amatores mundi; *vos autem videbitis me,* et boni quidem ceteri, quia solis bonis post resurrectionem apparuit in carne. Et iterum : *Non turbetur cor vestrum,* scilicet de meo recessu per mortem, cum sit ad meam glorificationem, et Spiritus Sancti missionem. Et in hoc docemur non turbari de nostris amicis in confessione fidei decedentibus, nam est via ad eorum glorificationem et nostram subventionem, quia amici nostri existentes cum Deo, multo plus nos juvare possunt, quam viventes in mundo. *Non turbetur,* inquam, *cor vestrum,* quia dixi me moriturum, sed stabiliatur fide, credentes me resurrecturum ; *neque formidet,* propter tribulationum instantiam, ne dimittatis fidei constantiam, sed perseverate fortes usque in finem. Dominus intendebat animos discipulorum confortare contra duo, scilicet : contra unum, quod imminebat in præsenti, quod erat ejus Passio ; et contra aliud quod timebatur futurum, scilicet superventura ejus tribulatio. Unde dicit eis : *Non turbetur,* et tristetur *cor vestrum,* scilicet de malo præsenti, quantum ad primum; *neque formidet,* et timeat, scilicet de futuro, quantum ad secundum. *Creditis in Deum, et in me,* per consequens *credite,* qui sum Deus; et quem etiam confessi estis Deum. Unum supponit, scilicet fidem eorum in Deum, hac enim jam instituti erant per eum; et aliud præcipit, scilicet ut credant in ipsum, quia est Deus, et non homo tantum. Secundum *Augustinum,* ne mortem Christi tamquam hominis timerent, et ideo turbarentur, consolatur eos, etiam se Deum esse contestans, qui possit hominem suscitare.

3 Confortantur discipuli pace quam eis relinquit Dominus, et promissione cœli Spiritusque Sancti. — *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, id est diversæ participationes beatitudinis, quia, secundum differentias meritorum, sunt etiam distinctiones præmiorum. Quasi eis diceret : Jam certi estis de Passione mea, et tamen a me exspectate vitam æternam. Secundum eumdem *Augustinum*, merito turbabantur, quando quidem fidentiori dictum erat, quod negaret Dominum; sed, cum audiunt de mansionibus cœli, a perturbatione recreantur, certi post pericula se apud Dominum fore mansuros, quod significant multæ mansiones. Et iterum : *Vado parare vobis locum*, tam pulchrum, tam delectabilem moriendo, resurgendo, in cœlos ascendendo. Et : *Iterum venio*, in judicio apparendo, *et accipiam vos ad meipsum*, ad beatitudinem corporis et animæ; *ut ubi sum ego, et vos sitis*, scilicet in æterna beatitudine. Jam, ut dixerat, paratæ erant mansiones, scilicet in prædestinatione, sed tamen adhuc parandæ erant ab eo redemptionis opere, et ab ipsis meritoria operatione. O Domine, para quod paras, nos scilicet tibi, et te nobis, ut sit multitudo mansionum pro diversitate meritorum : alius plus, alius minus participes tui erimus. Et iterum : *Non relinquam vos orphanos*, in quo indicat se esse patrem illis, *vado et venio ad vos*, Spiritum Sanctum scilicet mittendo ; hoc autem dicit, ne putaretur Spiritum mittere sine se. Et iterum : *Pacem*, scilicet pectoris, *relinquo vobis*, quæ triplex est in homine, scilicet : ad seipsum, ad Deum, et ad proximum ; *pacem meam*, scilicet æternitatis, *do vobis*, si in pace prima perseveraveritis. Secundum *Augustinum*, pacem nobis relinquit in hoc seculo, qua hostem vincamus, et qua nos invicem diligamus. Pacem suam dabit nobis in futuro, quando sine hoste, et sine dissensione regnabimus. Et bene dicit, *pacem meam*, ad distinguendum pacem Sanctorum a pace mundi, quæ est magis apparens et ficta, quam vera. Unde subjungit : *Non quomodo mundus dat, ego do vobis* : quia mundus dat carnaliter, ego spiritualiter; mundus temporaliter, ego æternaliter ; mundus exterius, ego interius. Et iterum : *Si diligeritis me, gauderetis utique*, de recessu meo, quia vado ad exaltationem meam, scilicet *quia vado ad Patrem, quia Pater major me est*. Secundum eumdem *Augustinum*, naturæ humanæ gratulandum est, eo quod sic assumpta est a Verbo unigenito, ut immortalis constitueretur in cœlo; atque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis pulvis sederet ad dexteram Patris. Quis non hic gaudeat, qui sic diligit Christum, et suam naturam jam immortalem gratuletur in Christo, atque ipsum speret futurum esse per Christum ? Et iterum : *Expedit*, id est utile est *vobis, ut ego vadam*, scilicet ad Patrem ascendendo, ut spiritualiter me cognoscatis, et carnaliter jam me nosse desistatis, ne Verbo carnem facto, quasi lacte contenti sitis. Et vere expedit : *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos* ; *si autem abiero mittam eum ad vos*. Si hanc carnalem dilectionem a vobis abire non fecero, non eritis digni, ut Paracletus veniat ad vos, quamdiu enim de me carnaliter sentietis, non eritis idonei ut Spiritum Sanctum recipiatis : non quod positus in terra non posset dare, sed quia illi non sunt idonei accipere, nisi eum secundum carnem nosse desistant, quo magis spirituales effecti, magis ad cœlestia amplectenda ejus deitate anhelant. In tantum enim mundus est Spiritus, quod in nullo quiescit, nisi in eo, qui omnino est spiritualis, nullo carnali solatio impeditus. Ubi *Bernardus* : « Delicata est divina consolatio, et non datur admittentibus alienam. » Ubi et *Hugo* : « Idcirco nimirum Dominus Jesus discipulis se subtraxit corporaliter, ut eum discerent amare spiritualiter. Ascendit siquidem in cœlum, ut corda post se traheret, ut dilectio pergeret post dilectum. Sed et usque hodie Christus amicos suos, quasi quadam corporali præsentia consolatur in Scriptura Sacra, et Ecclesiæ sacramentis, atque aliis visibilibus exercitiis virtutum, quo rualim-

quando dispensatorie subtrahit usum, ut spiritualis amoris dulcedinem, tanto purius percipiant, quo nihil foris habent etiam in opere virtutis ad quod mentem suam per intentionem effundant : » hæc *Hugo*. Pensandum ergo est, quia, si præsentia carnis Filii Dei impedit Spiritus receptionem, quanto magis carnalis affectus in nobis impediat eamdem? Hæc et his similia eis dicebat Dominus, quæ corda ipsorum totaliter penetrabant. Non enim de suo discessu aliquid pacifice tolerare poterant.

4 Præceptum caritatis quo Christiani cognoscendi sunt. — Secundo circa sermonem mediteris, qualiter cordialiter et instanter Dominus Jesus instruxit discipulos pluribus vicibus de caritate servanda, dicens : *Mandatum novum do vobis*, quo scilicet dispositi ad meam sequelam eritis, videlicet, *ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos*, hac enim via sequendus est Dominus. Non dicitur novum, quantum ad substantiam, quia fuit datum in Veteri Lege, quæ etiam præcipit proximos diligere, non tamen pro eis mori; sed dicitur *novum*, quantum ad mandati formam, sicut ipse dilexit nos, qui etiam mori dignatus est pro nobis. Unus modus renovandi vinum vetus, est quando amisit colorem et saporem, ponendi ipsum cum vino novo et forti, quia ibi recipit colorem et saporem ex fervore vini, et sic dicitur renovari. Mandatum de dilectione fuit valde antiquum, etjam quasi nulli sapiebat, ideo Passio Christi, in qua fuit maximus fervor dilectionis, quasi vinum fortissimum illud mandatum renovavit. Dicitur etiam *mandatum novum* ab effectu, quia animam renovat et hominem novum facit; dilectio enim talis confert novitatem, et aufert vetustatem. Et iterum : *In hoc*, scilicet signo, quasi in meo proprio charactere *cognoscent, omnes* aperte, *quia mei estis discipuli*, scilicet disciplinis meis imbuti, et de schola mea instructi : non si dæmonia ejiciatis, vel alia signa faciatis; sed *si dilectionem habueritis ad invicem*, hoc est enim quod maxime desiderat Dominus. Quicumque connumeratur militiæ alicujus regis, debet portare insignia ejus; insignia autem Christi sunt insignia caritatis; quicumque ergo vult annumerari militiæ Christi, debet caritatis charactere insigniri. Tamquam diceret, secundum *Augustinum* : « Alia munera mea habent vobiscum etiam non mei : non solum naturam, vitam, sensum, rationem et eam salutem quæ hominibus pecoribusque communis est; verum etiam sacramenta, prophetiam, scientiam, fidem, distributionem rerum suarum pauperibus, et traditionem corporis sui ut ardeant, sed quoniam caritatem non habent ut cymbala concrepant, nihil sunt, nihil eis prodest. Hic est fons cui non communicat alienus; dilectio sola discernit inter filios Dei et filios diaboli. Signent se omnes signo crucis Christi, respondeant omnes, *amen*, cantent omnes *alleluia*, baptizentur omnes, intrent ecclesias, faciant parietes basilicarum : non discernuntur filii Dei a filiis diaboli nisi caritate. Quidquid vis habe, hoc solum si non habeas, nihil tibi prodest; alia si non habeas, hoc habe, et implevisti Legem : » hæc *Augustinus*. Et iterum : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*, id est ut diligatis opere, ut quod tibi vis fieri facias alteri, et quod tibi non vis fieri, nec tu alteri facias.

5 Dilexit nos Christus tripliciter. — Ubi notandum, quod tripliciter dilexit nos Christus. — Primo gratuite, quia in dilectione nos prævenit, ipse enim incepit, non exspectavit, quod nos inciperemus diligere; sic ergo et nos debemus prius diligere proximos, non exspectantes præveniri, seu beneficiari. Et multo magis debemus Deum rediligere, quia, secundum *Augustinum*, nulla est major ad amorem invitatio, quam prævenire amando, et nimis durus est animus qui dilectionem, etsi nolebat impendere, nolit et rependere. Dilectio ergo Dei causa est dilectionis nostræ, sed non e converso : non enim quia nos diligimus Deum, diligit nos; sed quia diligit nos, diligimus eum, et quia eum, et proximum. Et quia per cari-

tatem Christus ad nos redimendos venit, sectemur caritatem, ut per hanc, qua ad nos Christus descendit dilectionis viam, etiam nos ad ipsum possimus ascendere. — Secundo efficaciter, quod patet per opus, dando seipsum, et ponendo animam pro nobis, quia probatio dilectionis exhibitio est operis. Nos ergo hoc exemplo efficaciter et fructuose invicem diligamus, secundum illud Joannis : *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.* Et multo magis Deum diligamus, ut sermonem et mandata ejus servemus. — Tertio recte, quia hanc dilectionem ad nostram beatitudinem ordinavit, et ut ad Deum nos traheret; non sicut homines sese invicem carnaliter, et pro commodo terreno diligentes. Sic ergo et nos in proximis, non quod beneficii est, seu dilectionis, sed quod Dei est debemus diligere, et invicem ad hoc, ut Deum habeamus. Sunt enim : amici naturæ, et sunt amici fortunæ, et sunt amici gratiæ, et hi ultimi soli approbantur a Deo. Licet enim in dilectione proximi, includatur dilectio Dei tamquam principalior, quia proximus non est diligendus nisi propter Deum; Salvator tamen hic magis facit mentionem expressam de dilectione proximi, quam Dei, cum dicit, *invicem*, quia intendebat Apostolos inducere ad ædificationem, et consolationem fidelium, et ad perferendas tribulationes persecutorum, ad quod necessaria est caritas proximi, quæ tamen, ut dictum est, includit caritatem Dei.

6 Signa dilectionis. — Et iterum : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Dilectionem vocat hic signum, et probationem dilectionis, id est exhibitionem operis, transferens de causa ad effectum. Et quidem nullum majus dilectionis argumentum est, quam ponere animam pro amicis, hoc enim est ultimum signum amoris, ultra quod non est aliud inveniri. Amor namque per quatuor signa potest manifestari : primo, per verba, quando enim cor abundat in amore, tunc os abundat in sermone, quia, *ex abundantia cordis os loquitur*; secundo, per collata beneficia, et istud est majus signum quam primum, quia multi servirent de verbis suis, qui non servirent de suis rebus; tertio, per obsequia personalia, et istud est adhuc majus signum quam primum vel secundum, multi enim servirent de sua substantia, qui non servirent de sua persona; quarto per adversa, quando scilicet quis pro amore amici se exponit morti, multi enim darent personam ad serviendum, qui non darent animam suam ad moriendum. In hoc ergo quod Christus pro nobis crucifigi et mori voluit, infinitam nobis caritatem ostendit. Ubi *Gregorius:* « Mori etiam pro inimicis Dominus venerat, et tamen positurum se animam pro amicis dicebat, ut nobis ostenderet, quoniam cum diligendo lucrum facere de inimicis possumus, etiam ipsi amici sunt qui persequuntur. Consequens ergo est, ut quemadmodum Christus animam pro nobis posuit, sic et animas pro fratribus ponamus. » Quatuor enim sunt diligenda per ordinem ex caritate, scilicet : Deus, anima, proximus, et corpus. Et ideo cum caritas sit ordinata: pro ipso Deo, qui est primum et maximum diligibile, ex caritate debent alia tria exponi, sicut minus pro majori; pro anima vero propria debet proximus et corpus proprium contemni; et pro salute proximi debet vita corporalis exponi.

7 Caritatis excellentia. — Et iterum : *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem,* quia aliter nullum solatium habebitis, nisi in vobis invicem habeatis, sed absque dilectione, solatium, et consolationem in vobis invicem habere non potestis. Præceptum dilectionis semper inculcat, et tamquam sola dilectio præcipienda sit, eam semper commendat. Et revera ille qui ait, habe caritatem et fac quæcumque vis, quasi solam caritatem visus est præcepisse ; et merito, quia ipsa valet sine usibus multarum virtutum, sed cetera omnia non valent sine ea. Unde, secundum *Gregorium,* de dilectione quasi de singulari mandato Dominus loquitur, quia omne mandatum de sola dilectione

nnia unum præceptum sunt. enim præcipitur, in sola solidatur. Multa sunt per di- n operis, unum in radice s. Et plura alia hujusmodi em incitantia Dominus dice- Joannes hic conscripsit. De e fraterna nullus Apostolo- um loquitur quantum Joan- ic et in epistolis suis. Legi- i de eo quod jam senex effe- abatur ad ecclesiam a disci- s, ut fideles instrueret, qui- antummodo dicebat : *Filioli, invicem*, et in hoc est perfectio e Christianæ. Unde dicitur er a Deo dilectus, non solum privilegium virginitatis, sed opter specialitatem caritatis.

DATORUM OBSERVATIO. — Ter- , sermonem mediteris, quo- nuit discipulos ad observan- datorum suorum, dicens : *Si ne.mandata mea servate*, im- a facto, et opere. Quasi di- on ostendatis amorem quem d me fletu solum, sed per o- m mandatorum. In hoc enim ujus potestates suos amicos s probant et cognoscunt, si iunt, et eorum mandata cu- quia, secundum *Gregorium*, dilectionis exhibitio est ope- terum : *Qui habet mandata ervat ea, ille est qui diligit* et opere et veritate, et non lingua et sermone, hoc est : t veram dilectionem ad me. *stinus* : « Qui habet in me- t servat in vita; qui habet in ous, et servat in moribus; t audiendo, et servat, perse- : *ille est*, inquit, *qui diligit* e est demonstranda dilectio, fructuosa nominis appella- de et illud Joannis : *Qui di- liligit Deum, et mandata ejus dit, mendax est*. Et iterum : *liligit me*, id est dilectionem ndit, *sermonem meum serva-* : mandata mea ad faciendum obedientia procedit ex amo- st in corde. Sermonem ergo Dei tunc servamus, quando quæ præcepit, et diligimus quæ promisit. Qui autem verba tenet per memoriam, et non cohæret illis per obedientiam, non sunt ei in beneficium, sed in damnationis testimonium. Unde ait *Gregorius* : « Vere diligimus, si a nostris nos voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria defluit, Deum profecto non amat; quia ei in sua voluntate contradicit. Ille ergo vere amat, cujus videlicet mentem delectatio prava, ex consensu non superat. Nam, tanto quisque a superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur : » hæc *Gregorius*. Et iterum : *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*, id est ex hoc scietis vos dilectos a me, et quod in dilectione mea qua vos diligo, et in gratia mea manetis, si præcepta mea servaveritis. Servatio enim mandatorum est effectus et signum divinæ dilectionis; non solum ejus qua nos diligimus, sed et ejus qua ipse diligit nos; ex hoc enim quod ipse nos diligit, monet nos, et adjuvat ad implendum ejus mandata, quæ impleri non possunt nisi per gratiam. Ostendit ergo, secundum *Augustinum*, non unde dilectio generetur, sed unde monstraretur, ut nemo se fallat, dicendo quod Deum diligat, si ejus præcepta non servat. Nam in tantum Deum diligimus, in quantum ejus præcepta servamus; in quantum autem minus servamus, minus diligimus. Nemo præcepta servat, qui non diligit; et nemo diligit, nisi qui servat. Nec prius servamus præcepta, ut nos diligat Christus; sed nisi nos diligat, ea servare non possumus.

9 AMOR DEI NON DEBET NEC POTEST ESSE OTIOSUS. — Et iterum : *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*, id est, si opera ostenderitis amicitiæ et dilectionis : quoniam impletio præceptorum est signum dilectionis, et præceptum est signum suæ voluntatis; ideo, si ea quæ præcepit non facerent, voluntates non consonarent, et sic amici non essent. Secundum *Gregorium*, amicus, quasi animi custos dicitur. Unde, non immerito, qui voluntatem Dei in præceptis ejus custodire dicitur, illius

amicus vocatur. Et, secundum eumdem *Gregorium*, magna est misericordia Redemptoris, et dignitas hominum esse amicos Dei. Sed audisti gloriam dignitatis, cum dicitur : *Vos amici mei estis* ; audi et laborem certaminis, cum subditur : *Si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Unde ait *Augustinus* : « Cum servus bonus esse non possit, nisi præcepta Domini sui fecerit, hinc amicos suos voluit intelligi, unde boni servi possunt probari. O magna bonitas Dei ! Cum ei pro conditione reddere debeamus obsequia, utpote servi Domino, famuli Deo, subjecti potenti, mancipia Redemptori, amicitiarum nobis præmia promittit, ut a nobis obsequia debita servitutis extorqueat ; ut quos nolle servire conspicit, sponte suorum beneficiorum possit promissionibus invitare : » hæc *Augustinus*. Nullus ergo sine operis attestatione credat se Deum diligere ; sed, ut ait *Gregorius*, de dilectione Conditoris lingua, mens et vita requiratur. Numquam est Dei amor otiosus, operatur etenim magna si est ; si vero operari renuit, amor non est. Nemo itaque debet credere quod Deum diligat, qui eum sæpe corde non cogitat, qui eum sæpe ore non laudat, qui ejus mandata opere non servat. Unde idem *Gregorius* : « Si ab aliquo quæretur, utrum Deum amat, libere, respondet : Ita ; sed constat, ut ipse dicit, quod probatio dilectionis, exhibitio est operis. » Ergo, si vere Deum diligis, quærendum est a corde, ab ore, et ab opere. — Primo requiras a corde tuo, quia quod amat, de eo sæpe cogitat ; unde luxuriosi sæpe cogitant de deliciis carnis, avari de divitiis, et superbi de eminentiis, sed viri vere spirituales de divinis. Si ergo non sæpe de Deo cogitas, non credas te vere amare eum. Item omnis homo maxime de eo cogitat, quod præ ceteris amat ; ergo, si de mundo magis quam de Deo cogitas, mundum magis quam Deum amas. — Secundo, si Deum diligis, a lingua tua requiras ; quia dixit : *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Nam idem est verbum cordis et oris, sed in corde est nudum, in ore vestitum, lingua ergo libenter illum nominat, quem cor amat ; et ideo, si plus de mundo, quam de Deo fatur, magis mundum, quam Deum diligere convincitur. — Tertio, si Deum diligas, ab opere tuo requiras, non enim potest ignis esse, et non ardere. Si ergo ignis divinus est in corde tuo, non poteris vacare otio ; sed si otio vacas, ignem non habes, quia, ut scriptum est : Caritas non est otiosa, operatur enim, si est ; si operari renuit, caritas non est. Ad hoc ergo quod aliquis Christum veraciter diligat, necesse est, ut Deo amando nihil præponat, et proximum suum sicut se diligat, ac dilectionem corde, ore, et opere ostendat. Hoc etiam quod dictum est : *Vos amici mei estis*, dupliciter potest intelligi, secundum quod amicus dupliciter dicitur, scilicet et qui amat, et qui amatur ; et secundum utrumque verum est quod subdit : *Si feceritis quæ ego præcipio vobis*, quia et qui Deum amant, mandata ejus servant, et quos Deus amat, mandata illius servant, in quantum conferendo eis gratiam suam adjuvat ad ea servandum. Sed, ut visum est supra, mandatorum observatio non est divinæ amicitiæ causa, ast signum, scilicet quod Deus diligat nos, et quod nos diligamus eum. Et plura alia hujuscemodi Dominus tunc dicebat.

10 PATIENTIÆ COMMENDATIO, EO QUOD CHRISTUS ET IPSE ODIO FUIT OBNOXIUS ET TRISTITIA VERTETUR IN GAUDIUM. — Quarto, circa sermonem mediteris, qualiter dando eis confidentiam circa pressuras, quas eis prædixit esse venturas, præmunit et hortatur ipsos ad patientiam, ne deficiant in tribulationibus, dicens : *Si mundus vos odit*, id est mundani et amatores mundi, qui deliciis et honoribus sunt dediti, *scitote*, scilicet ad consolationem vestram, *quia me priorem vobis odio habuit*. Unde scriptum est in Psalmo : *Odio habuerunt me gratis.* Quasi diceret, secundum *Chrysostomum* : Scio hoc esse durum et difficile, sed propter me patiemini ; et ideo non dolere, sed et lætari oportet, et sufficit vobis in consolationem propter me hæc pati. Grandis consolatio

membris ex capite, quia non debent conditionem capitis refutare. Unde *Augustinus :* « Cur se membrum supra verticem extollit? Recusas esse in corpore, si non vis odium mundi sustinere cum capite. » Deinde ostendit, cur odit eos mundus, scilicet quia non sunt demundo, id est ex parte ejus : nihil enim commune cum terra est eis, sed cœlestium facti cives; et propter hoc mundi odium patienter est sustinendum. Unde dicit *Chrysostomus :* « Hoc est virtutis argumentum, a mundo odio haberi; et inde dolere oportet, si a mundo diligeremini, hoc enim esset malitiæ vestræ ostensivum. » Unde et *Gregorius :* « Nam perversorum derogatio vitæ nostræ approbatio est; quia jam ostenditur nos aliquid justitiæ habere, si illis displicere incipimus, qui non placent Deo. » Et, quia exemplo sui, quo aliud majus et melius non est, monuit ad ferenda odia mundi, subdit quare eum debeant imitari, quia ille Dominus, ipsi servi. *Mementote,* inquit, *sermonis mei, quem dixi vobis : Non est servus major Domino suo. Si,* pro quia, *me persecuti sunt,* quia sum Dominus, *et vos persequentur,* qui servi estis; *persequentur vos* in quibus ego sum, et per consequens me in vobis. Non potest placere servus, quibus displicet Dominus. Unde *Chrysostomus :* « Quasi diceret : Non vos turbari oportet, si communicabitis meis passionibus, quia vos non estis me potiores » Et iterum : *Mundus quidem,* id est mundani, in deliciis, divitiis, atque ambitione viventes, *gaudebit,* tamquam de me triumphaverit; quia in triduo mortis Christi Judæi mundo dediti gavisi sunt, credentes exstinxisse totam sectam Christi, *vos autem constristabimini,* de mea morte et absentia; *sed tristitia vestra vertetur in gaudium,* in Resurrectione, et apparitione seu præsentia, et Ascensione, et maxime in Spiritus Sancti missione. Et revera contristati sunt de morte Domini, sed mox de Resurrectione lætati. Nam post lacrymationem et fletum. infudit Deus exsultationem et gaudium. Ubi notandum, quod si cui promitteretur, ab eo qui esset verax et potens facere promissum, quod omnes illius lapides verteret in aurum, utique ille congregaret hinc inde lapides, quam posset plures et majores; nunc igitur promittitur nobis, ab ipso qui veritas est, et potens super omne quod est, quod tristitia nostra vertetur in gaudium, ideo multum libenter debemus sustinere tristitias, et pressuras hujus mundi, in augmentum nostri gaudii. Unde non dixit : Post tristitiam vestram vobis erit gaudium; sed ait : *Tristitia vestra vertetur in gaudium,* ita quod hoc ipsum, quod est tristitiam habere. in cumulum gaudii postea convertetur.

11 Similitudo mulieris parturientis. — Ad ostendendum autem et mœroris et gaudii immensitatem, inducit similitudinem, declarando quod dixerat per exemplum mulieris, in dolore partus tristitiam habentis; sed in nativitate pueri gaudium superveniens absorbet in ea omnem tristitiam præcedentem. Deinde hoc paradigma, quod de muliere proposuit Dominus exponit, et similitudinem adaptat, dicens : *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis,* scilicet in tempore meæ Passionis, et mortis, quasi jam parturientes, *iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum,* scilicet post meam Resurrectionem; *et gaudium vestrum nemo tollet a vobis,* quia vita Christi quæ fuit materia hujus gaudii, erat deinceps immortalis, non amplius auferenda per mortem. Tristitiam enim habuerunt, passo Domino; sed post Resurrectionem *gavisi sunt,* nempe, *viso Domino,* et gaudium eorum non tollebatur ab eis, quia etsi postmodum persecutiones et tormenta pro Christo passi sunt, spe tamen resurrectionis et visionis illius accensi, libenter adversa quæque ferebant, imo gaudium existimabant, cum in tentationes varias inciderent. Possunt autem et hæc ita intelligi, ut in discipulis universæ loquatur Dominus Ecclesiæ, velut etiam quando ait : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Mundi enim amatores gaudent, quia in præsentibus de-

lectantur, nulla alterius vitæ gaudia sperantes; sed boni in ærumnis hujus vitæ tristantur, et plorant pro peccatis propriis, et alienis, pro hujusce mundi incolatu, et dilatione regni cœlestis; et per hujus vitæ tribulationes et angustias, ad æterna contendunt gaudia cœli, quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Dicens ergo Dominus : *Iterum autem videbo vos,* secundum promittit adventum, quoad universam videlicet Ecclesiam, ad remunerandum ex integro. Ac si diceret : Iterum videndus apparebo vobis æterna visione, eripiam vos ab adversariis, assumam vos ad meipsum, coronabo vos victores, probabo me semper vidisse vos decertantes. Unde *Alcuinus :* « Mulier autem sancta Ecclesia est, propter fœcunditatem bonorum operum, et quia spirituales Deo filios generat; hæc *mulier, dum parit,* id est dum in mundo virtutum profectibus insistit, dum undique tentatur et affligitur, *tristitiam habet* de hoc, *quia venit hora* ut patiatur, quia *nemo carnem suam odio habuit..... Sed cum peperit,* id est cum, devicto laboris certamine, ad palmam pervenerit, *jam non meminit pressuræ* præcedentis, *propter* perceptæ *gaudium* retributionis, *quia natus est homo in mundum.* Sicut enim mulier, nato in hoc mundo homine, lætatur; ita Ecclesia, nato in vitam æternam fidelium populo, exsultatione repletur. » Unde et *Beda* : « Nec novum debet videri, si natus dicatur, qui ex hac vita migraverit. Sic enim consuete nasci dicitur, cum quis de utero matris procedens in hanc lucem progreditur; ita potest natus appellari, qui solutus a vinculis carnis ad lucem æternam sublimatur. Unde Sanctorum solemnia non funebria, sed natalitia vocantur : » hæc *Beda.*

12 PACIS ET FIDUCIÆ IN CHRISTUM COMMENDATIO — Deinde concludit Dominus conclusionem principaliter intentam; ad hoc enim dixit prædicta omnia, ut firmarentur discipuli contra tribulationes eis imminentes, et adversa, unde ait : *Hæc omnia,* quæ dixi in sermone isto, *locutus sum vobis,* scilicet ad hunc finem, et ideo, *ut in me pacem habeatis,* advenientibus tribulationibus futuris, quia sicut grave quietatur in loco proprio, ita cor humanum in Deo. Et inde est, quod homines mundani, qui Deo per amorem non sunt conjuncti, habent tribulationes absque pace; sed Sancti, qui Deum per amorem habent in corde, etsi in mundo habent tribulationes, in Christo tamen habent pacem. Hic finit sermonem suum, ut pius Pater utiliora ponens in fine, scilicet de pace, ad quam omnes conatur invitare. Unde *Glossa :* « Non solum quæ in cœna, sed etiam quæ ab initio prædicationis suæ, et maxime quæ in cœna, hac de causa dicit, ut in illo pacem habeant : pacem pectoris in præsenti, pacem æternitatis in futuro. Hæc pax est pro qua Christiani facti sumus, pro qua sacramentis imbuimur, pro qua flagellis et aliis modis erudimur, pro qua Spiritus pignus accepimus, pro qua in eum credimus et speramus, et amore ejus accendimur. Hæc est in pressuris consolatio et liberatio, ut hac in fine feliciter regnemus cum Christo. In hoc ergo sermonem concludit, quia ipse est consummatio viæ, et beatitudo patriæ. » Unde et *Augustinus :* « Hæc pax finem temporis non habebit, sed omnis piæ nostræ intentionis actionisque finis ipsa erit. » Et subjungit : *In mundo pressuram habebitis* , scilicet ab hominibus vos utique persequentibus, in me autem pacem habebitis. Quasi diceret, secundum *Gregorium :* Sit vobis de me interius quod consolando reficiat, quia erit de mundo exterius, quod sæviendo graviter premat. Sancti enim viri non habent tribulationes puras, quia habent consolationem Dei admixtam; sed mali habent tribulationes puras, non habentes consolationem istam. *Sed confidite,* id est fiduciam in me habete, quia *ego* pro vobis *vici mundum,* et non prævalebit. Quasi diceret : Recurratis ad me, et habebitis pacem in me. Christus vicit mundum, diripiendo et auferendo arma ejus quibus impugnat, hæc autem sunt ejus concupiscibilia : *Nam omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis,*

quam destruxit per afflictionem et laborem; *aut concupiscentia oculorum*, quam destruxit per paupertatem suam; *aut superbia vitæ*, quam destruxit per humilitatem. In hac victoria Christi debent confidere Sancti, quia consideratione ejus armati, et virtutibus muniti, faciliter superant tentationes mundi. Propter quod dicit Petrus : *Christo in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini.* Qui ergo sicut Christus ista concupiscibilia vincit, vincit mundum Et hoc, secundum Joannem, facit fides nostra, quia cum sit substantia sperandorum, quæ sunt bona spiritualia et æterna, facit nos contemnere bona corporalia et transitoria. Et alia plura his similia tunc dicebat Dominus.

13 Orationis Domini post ultimam cœnam rationes. — Quinto, circa sermonem mediteris, qualiter ipse Dominus Jesus, eo, qui erat ad discipulos sermone finito, (de quo, secundum Bedam, in cœna locutus est usque ad hæc verba : *Surgite, eamus hinc*) deinde stando usque ad hymni finem, cujus hoc initium est, *et sublevatis oculis*, aspiciens *in cœlum* se ad Patrem suum convertit, et ad ipsum verba dirigens orare cœpit. Christus non tantum oravit ad aliquid impetrandum, sed etiam ad dandum nobis orandi exemplum ; et ideo oratio sua hic describitur optimis circumstantiis disposita. — Primo, respectu præcedentium : quia post sermonem, et discipulorum instructionem, convertit se ad orationem : ad ostendendum quod complementum boni operis est a Deo requirendum; et, ut quos instruimus verbo, juvemus orationum suffragio, quia sermo divinus maxime habet effectum in cordibus audientium, cum fulcitur oratione, per quam divinum imploratur auxilium ; et ideo finis sermonis nostri debet ad orationem terminari. — Secundo, respectu præsentium : quia orando principaliter oculos levavit ad cœlum, ad denotandum, quod in omni oratione mens debet elevari in Deum; quoniam, secundum *Damascenum*, oratio est ascensus mentis ad Deum. Inter alias autem partes corporis, dispositio interior mentis maxime relucet in oculis; ubi enim amor, ibi oculus. Unde *Chrysostomus :* « Propter hoc in cœlum oculos levavit, ut stantes sursum aspiciamus; non oculis carnis solum, sed et mentis. Sancti ergo quandoque erecti et elevantes oculos ad cœlum orant, non ut superbi, sed ut humiles, ut orationem ad Deum dirigendam, et cœlestia tantum petenda esse ostendant. » Unde Psalmista : *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.* Et non solum oculos, sed et operationes nostras in Deum referre debemus, secundum illud Threnorum : *Levemus corda nostra, cum manibus ad Deum in cœlis :* per manus enim designantur operationes. — Tertio, respectu sequentium : quia articulo Passionis sibi imminente, et pressuris discipulorum prædictis, oravit ad Patrem suum, ad designandum, quod pressuris et tribulationibus imminentibus, debet homo per orationem recurrere ad Deum, sicut Moyses, Susanna, et alii plures, clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et ipse liberavit eos.

14 Primo Christus orat pro semetipso. — Orat autem Christus primo pro se, deinde pro membris. Pro se orat, tum secundum humanam naturam, tum secundum divinam : secundum humanam naturam, pro clarificatione in Passione, pro clarificatione Resurrectionis, pro clarificatione Ascensionis, pro clarificatione judicii, quam habebit in eo post illud; secundum divinam naturam orat pro notitia et manifestatione claritatis Patris et Filii, in quibus intelligitur nexus et amor amborum, scilicet Spiritus Sanctus, quia medium sæpe intelligitur in extremis. Horum trium eadem est claritas, natura, et essentia, eadem potentia, scientia, et bonitas. Postulat ergo ipse Christus claritatem suam, ab æterno Patre habitam, ad humanam cognitionem et notitiam pervenire; ne ipsum purum hominem arbitrantes, de Passionis ignominia verecundiam recipiant, ac de Resurrectionis gloria desperantes a fine deficiant.

15 Christus orat pro Apostolis.

— Pro membris dupliciter orat : primo, pro membris credentibus, et jam capiti adhærentibus; secundo, pro credituris per verbum jam credentium. Orat ergo pro discipulis et membris jam credentibus, et recommendat eos Patri, dicens : *Pater sancte, serva eos*, conservando a malo, et custodiendo in bono, *in nomine tuo*, id est in fide ac confessione, et veritate et virtute nominis tui, *quos dedisti mihi*, pro fundamento Ecclesiæ per eos fundandæ, per spiritualem amicitiam eos mihi conjungendo; *ut sint unum*, et uniti per caritatem, *sicut et nos*, unum sumus per naturam, ita quod, *sicut*, non importat æqualitatem, sed quamdam similitudinem et imitationem longinquam. Sum ego Filius tuus per naturam; sicut et illi filii tui et fratres mei per gratiam. Vel, secundum *Augustinum*, ut quemadmodum Pater et Filius non tantum æqualitate substantiæ, sed etiam voluntate unum sunt; ita et hi non tantum per hoc quod ejusdem naturæ sunt, sed etiam per eamdem dilectionis societatem unum sint. Cujuscumque perfectio nihil aliud est quam participatio divinæ similitudinis : in tantum enim boni sumus, in quantum Deo assimilamur. *Ego pro eis rogo*, quoad efficaciam, *quia tui sunt*, per æternam prædestinationem; *non pro mundo rogo*, id est mundi dilectoribus, et perditis secundum tuam præscientiam. Hoc dicit, quia efficacia suæ orationis tantummodo ad electos se extendit. Quamvis enim in se sit efficax pro omnibus, tamen mali ponunt sibi impedimentum, ne sint participes ipsius. Et licet jam non essent de mundo, adhuc tamen necessarium erat eos esse in mundo, ideo subdit : *Non rogo, ut tollas eos de mundo;* vel, propter aliorum salutem, quia adhuc sunt modo necessarii; vel, propter eorum utilitatem, quia in meritis non sunt consummati. Ubi *Beda :* « Quasi diceret : Jam imminet tempus ut ego tollar de mundo, ideoque necesse est ut isti nunc non tollantur de mundo, ut te et me primum annuntient mundo. » *Sed ut serves eos a malo* et defectu in pressuris, eripiendo de periculis, et dando eis permanentiam in fide, et constantiam in tribulationibus imminentibus. Hinc habes, quia Sancti non debent rogare, ut transeant de mundo, si adhuc eis conveniens non est, sicut nec istis conveniens erat. *Sanctifica eos*, id est confirma *in veritate* fidei catholicæ, ac vitæ et doctrinæ; sanctum enim uno modo significat idem quod firmum. Ista autem confirmatio Apostolorum facta est a Deo Patre, quando in die Pentecostes misit eis Spiritum Sanctum.

16 ORAT PRO FUTURIS FIDELIBUS, UT SINT CONSUMMATI IN UNUM. — Deinde orat pro fideli populo, dicens : *Non pro eis* autem *rogo tantum; sed et pro eis qui*, per totum orbem, *credituri sunt in me, per verbum eorum*, scilicet per verbum fidei et Evangelii, quod prædicaverunt, per quod omnes in Christum crediderunt, qui fidem illam habuerunt, quam Apostoli prædicaverunt. Quod verbum, dicitur eorum, non quod per eos tantum sit prædicatum, imo et per Paulum et alios quoslibet prædicatores; sed eis primo et principaliter commissum est ad prædicandum, et ab ipsis est primitus ac præcipue prædicatum. Hoc est verbum fidei prædicatum, verbum Dei inspiratum, per quod credidit Latro, credidit Paulus, et quicumque umquam credidit in Christum. Unde, secundum *Augustinum :* « Omnes suos ibi intelligi voluit; non solum qui tunc erant in carne, sed etiam qui futuri erant. Quotquot enim postea crediderunt in eum, per verbum Apostolorum sine dubio crediderunt, et donec veniat, credituri sunt. Per hos Evangelium ministratum est, et antequam scriberetur; et utique quisquis in Christum credit, Evangelio credit : » hæc *Augustinus*. Rogat autem : *Ut omnes unum sint*, unitate fidei et caritatis, *sicut et tu, Pater, in me, et ego in te, unum sumus*, in unitate naturæ et substantiæ, *ut et ipsi in nobis unum sint*, fide et caritate; vel, secundum *Augustinum*, potest referri ad unitatem amoris, sic : Sicut tu Pater es in me, et ego in te, per amorem; ita et ipsi sint unum in nobis,

per amorem, quia caritas facit unum esse cum Deo. Quasi diceret : Sicut Pater diligit Filium, et e converso Filius Patrem; ita ipsi diligebant Filium et Patrem. Fructus autem unitatis est, *ut mundus*, totus prædicatione eorum conversus, *credat*, et cognoscat, *quia tu me misisti*, et quod doctrina quam dedi eis sit a te; sic enim omnes unum erunt. Nam per nihil aliud manifestatur veritas Evangelii, sicut per caritatem fidelium. Unde ait *Chrysostomus* : « Nihil enim tam scandalizat omnes, ut ab invicem dividi ; quod autem credentes fiant unum, hoc ædificat ad fidem. » *Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis*; quia potestatem miraculorum, per quam declarata est divinitas Christi, dedit Apostolis. Unde *Chrysostomus* : « Claritatem dicit gloriam, quæ est per signa et dogmata, et ut unanimes sint. » Subdit itaque : *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus*, id est ut sint in vera unitate Ecclesiæ, absque schismate. Unde idem *Chrysostomus* : « Hæc enim gloria, ut sint unum, etiam signis major est. » *Ego in eis*, per gratiam et per caritatis Spiritum, *et tu in me*, per unitatem scilicet naturæ et substantiæ, et per consequens etiam tu in eis per eumdem Spiritum. Vel, secundum *Hilarium*, *ego in eis*, scilicet sum per unitatem naturæ humanæ, quam eamdem habeo cum ipsis, et etiam quia do ipsis Corpus meum in cibum sacramentalem; *et tu in me* per unitatem essentiæ, *ut* sic *sint consummati*, id est perfecti *in unum*, quia per unionem humanitatis Christi ad Deum facta est unio totius creaturæ. *Ut sint*, inquit, *consummati in unum*, in præsenti, in initate caritatis et gratiæ per fidem; et in futuro in unitate gloriæ, et fruitionis divinæ per speciem. Ad hoc enim tota tendit oratio, in qua pluries inculcat orando ut sint unum. Sic omnes orare debent pro unitate gratiæ in via, et pro consummatione gloriæ in patria : ut hic habeant unitatem caritatis et gratiæ per fidem, et ibi unitatem fruitionis et gloriæ per speciem. In unione caritatis consistit perfectio Christianæ religionis, quia per hoc membra Ecclesiæ conjunguntur ad invicem, et capiti homini Christo, et ulterius ipsi Deo : *Qui* enim *adhæret Domino, unus spiritus est*; et sic per consequens primum principium, quod est Deus, conjungitur homini, qui est quodammodo omnis creatura. Finis autem unitatis est, *ut cognoscat*, tunc per speciem, *mundus*, ex inimico amicus effectus, id est credentes, *quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti*. Unde *Augustinus* : « In Filio quippe Pater nos diligit; quia in eo nos elegit. Cum igitur eorum quæ fecit nihil oderit, quis digne possit loqui quantum diligat membra Unigeniti sui, et quanto amplius ipsum Unigenitum. »

17 Petit denique conjunctionem membrorum ad caput. — Deinde petit conjunctionem membrorum ad caput, dicens : *Pater, quos dedisti mihi*, per veram fidem in tua prædestinatione ab æterno, *volo*, id est oro et desidero, *ut ubi sum ego*, cito futurus, *et illi sint mecum*, id est in æterna beatitudine, in qua etiam jam erat Christus actualiter, quantum ad animam, quæ est pars principalior hominis : *ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi*, id est divinitatem meam, vel claritatem corporis mei glorificandi, utramque enim Christi claritatem, et secundum divinitatem, et secundum humanitatem Sancti in gloria videbunt; *quia dilexisti me*, essentiali dilectione, *ante constitutionem mundi*, et ab æterno : hoc patet quantum ad Christi deitatem, similiter quantum ad humanitatem, in quantum Deus Pater æternaliter prædestinavit ipsam ad hanc gloriam et exaltationem. In ipso etiam dilexit nos ante mundi constitutionem prædestinatione, quia membra ejus sumus; et diligimur in illo qui totus diligitur, id est caput et corpus. Est enim in nobis tamquam in templo suo, nos autem in illo secundum quod caput nostrum est. Ubi *Augustinus* : « In magnam spem Dominus Jesus suos erigit, qui major esse non possit; audite et estote in spe gaudentes, ut esse possitis in tribulatione patientes, audite, inquam, et in quo spes nostra levetur, atten-

dite. Christus Jesus dicit; audite, credite, sperate, considerate quod dicit : *Pater*, inquit, *quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum.* Qui sunt isti quos ait a Patre datos sibi? Nonne illi de quibus alio in loco dicit : *Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum?* » Et iterum : « Quapropter omnibus membris suis promittit hoc præmium, ut ubi est ipse et nos cum illo simus. Nec poterit non fieri, quod omnipotenti Patri se velle dixit omnipotens Filius : » hæc *Augustinus.* Unde et *Anselmus* : « Inter hæc, cum discipulos sacratissima illa oratione commendans : *Pater*, dixerit, Pater, *serva eos in nomine tuo*, inclina caput tuum, ut merearis audire : *Volo ut ubi ego sum et illi sint mecum;* bonum est tibi hic esse, sed exeundum est : » hæc *Anselmus.*

18 Hujus orationis Domini dulcedo et efficacia. — O quam dulcissima orationis verba, antidotum et remedium ad omnem adversitatem et peccatum ; cujus dulcissimæ orationis principium et finis in pace et dilectione consistit, ad quam præcipue, ut dictum est, tendit! Et multa alia Dominus Jesus discipulis dicebat, quæ vere corda devota scindebant. Si ergo in sermone quæ dicta sunt attente discusseris, et diligenter meditando ruminaveris, in eorum dulcedine requiescens; merito inardescere poteris ad tantam dignationem, benignitatem, providentiam, diligentiam, et caritatem, et circa alia per Dominum hoc sero gesta. Ex quibus poteris colligere fasciculum contra omnem tentationem et adversitatem, salubre consolationis remedium.

19 Ultimæ cœnæ excellentia. — Inter omnia enim memoralia Christi, præcipua recordatione constat esse dignissimum finale illud sacratissimæ cœnæ convivium, in quo non solum agnus paschalis proponitur ad edendum ; verumetiam Agnus immolatus, qui tollit peccata mundi, sub specie panis præbetur in cibum. In quo quidem convivio mira dulcedo bonitatis Christi refulsit, quando cum pauperculis illis discipulis, et Juda proditore, eadem mensa et scutella cœnavit. Mirum claruit humilitatis exemplum, dum pedes piscatorum et proditoris sui, Rex gloriæ præcinctus linteo studiosissime lavit. Mira patuit munificentiæ ipsius largitas, dum sacerdotibus illis primis, et per consequens toti Ecclesiæ et orbi terrarum Corpus suum sacratissimum, et Sanguinem vere in cibum dedit et potum. Mirus tandem emicuit dilectionis excessus, quando in fine diligens suos tam dulci exhortatione confortavit in bono, Petrum specialiter præmonens ad fidem et robur, et Joanni conferens pectus ad recubitum dulcem et sacrum. O quam mira sunt hæc omnia repleta dulcedine illi dumtaxat animæ, quæ ad tam celebre vocata convivium, tanto mentis currit ardore, ut possit illud propheticum cantare : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*, etc. ! Conspice ergo Dominum dum loquitur, quomodo efficaciter, devote et delectabiliter loquens, imprimit discipulis suis quæ narrat; et pascaris in amœnitate aspectus et verborum ejus. Conspice etiam discipulos, quomodo sunt mœsti, lacrymantes et suspiria dantes. Pleni enim sunt tristitia, ut de hoc ipsa Veritas testimonium fert, dicens : *Sed quia hæc*, scilicet de recessu meo, *locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum*, et doletis me vestris corporalibus subtrahi oculis. Inter alios autem conspice Joannem, eidem familiarius cohærentem, qualiter attente et diligenter hunc dilectum suum aspicit, et tenerius anxiatus omnia verba ejus recolligit. Ipse enim solummodo ea describens tradidit nobis. Benedictus ipse Joannes, qui supra pectus Domini recumbens hæc potavit, et memoriter retinens nobis ea scripsit. Nullus sic fideliter et familiariter Domino adhæsit, ut Joannes. In cœna juxta eum sedit, licet esset junior aliorum; et quando captus fuit, secutus est eum in atrium principis sacerdotum; et nec in crucifixione nec in morte, nec post mortem eum dimisit, quousque sepultus fuit.

20 Gratiis post cœnam redditis, egreditur Dominus. — Et, quia Domi-

nus videbat discipulos formidare et timere : tum ratione temporis, quia nox erat; tum ratione loci, quia in civitate manifeste sistebant, ita ut frequenter circumvolverunt oculos ad ostium domus, quasi imaginantes et exspectantes invadi et capi ab hostibus, et propter hoc minus intendentes his quæ dicebat; ideo ut melius verba quæ dicturus erat intelligerent, et ut ad locum unde tradendus erat veniret, inter alia eis discumbentibus dixit : *Surgite, eamus hinc*, scilicet ad locum alium magis securum et secretum, ubi æstimantes vos securos attentius audiatis verba mea, et melius attendatis ad ea quæ sunt vobis dicenda; ad locum unde tradendus sum ad mortem, ad separationem a vobis corporaliter in hoc mundo, ad angustiam et Passionem meam ; et *quicumque voluerit post me venire, abneget semetipsum* ; *et tollat crucem suam, et sequatur me*. Et, tu, ora eum, ut non sinat te a suo latere separari sed concedat tibi secum ire, et eum sequi, sive ad mortem, sive ad vitam. O quantus pavor in discipulos intravit nescientes quo vel qualiter ire deberent, et de ipsius separatione plurimum formidantes! Merito autem de tanto convivio gratiæ reddendæ erant Deo; et ideo post cœnam, hymnum, id est canticum divinæ laudis dixit, et gratias egit, sicut et ante cœnam fecerat, ut scilicet addiscas, et ante cibum et post cibum gratiarum reddere actiones. Unde *Chrysostomus* : « Audiant quicumque velut porci simpliciter manducantes cum ebrietate surgunt, cum deceret gratias agere, et hymnum concinere, et mensam desinere; audiant quicumque ultimam orationem in sacris mysteriis non exspectant, ultima enim oratio missæ, illius hymni est signum. Gratias ergo egit antequam sacra mysteria discipulis daret. ut et nos gratias agamus ; hymnum dixit postquam dedit, ut et nos hoc ipsum faciamus: » hæc *Chrysostomus*. Unde et *Beda* : « Simul etiam et hoc ostendit. quod amplectibile erat sibi pro nobis mori, quia cum tradendus erat Deum laudare dignatus est; docet et nos cum in angustias incidimus, propter multorum salutem non contristari, sed Deo gratias agere, qui in nostra tribulatione, operatur multorum salutem. » Tandem multis completis mysteriis, *et hymno dicto*, pro Sacramenti institutione, et novæ vitæ denuntiatione, hora completorii, egreditur de loco cœnæ, cum discipulis suis ; *exierunt in montem Oliveti*, ad locum extra civitatem, ad quem sciebat venturum proditorem, ultro se offerens Passioni, ut ostenderet se voluntarie subire mortem, et desiderare nostram redemptionem. Ille enim locus erat aptus ad capiendum Christum, quia erat a civitate remotus; et ipsi quærebant capere eum sine strepitu turbarum. Præcedit ipse, tu eum sequere, et conspice discipulos euntes post eum, et cum eo quomodo quilibet qui magis potest, magis eidem approximat, et congregatim pergentes, sicut moris est pullorum pergere post gallinam, impellunt eum modo unus, modo alius ex desiderio appropinquandi et audiendi verba ipsius. Ipse vero libenter et patienter sustinebat ab eis, et tunc locutus est eis complendo sermonem, eundo per viam et in horto.

21 Vallis Josaphat et hortus Gethsemani, ubi in oratione pernoctare consueverat Dominus. — ***Et hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis*** versus Orientem, ***trans torrentem Cedron***, et vallem Josaphat, quæ est inter Jerusalem et montem Oliveti a Septemtrione in Austrum porrecta, per cujus vallis medium currit idem torrens Cedron. Est autem Cedron genitivus pluralis, qui Latine cedrorum dicitur, de quibus arboribus copia ibi erat in ripis torrentis ejusdem, unde sic appellatur. In hac valle est parva campi planities irrigua et nemorosa, plenaque deliciis. Vallis vero nomen accepit a rege Josaphat ibi sepulto, *ubi* a parte montis Sion in pede montis Oliveti, in ipsam vallem descendendo, est turris sepulchrum ejus continens; cujus ad dexteram de rupe montis Oliviti, excisa et separata domus duo cavata habet sepulchra, scilicet Si-

meonis senis, et Joseph sponsi Mariæ Virginis, ibique *erat hortus in quem nit Jesus ipse et discipuli ejus* Et, *veintroivit cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani*, ad radicem, seu pedem montis Oliveti juxta campum, qui Gethsemani dicebatur; unde et villa sic vocatur, ubi est ecclesia adhærens rupi, sub qua Apostoli erant somno prægravati, et intra erant canonici regulares cum Abbate, secundum regulam beati Augustini, Domino servientes. Et intravit cum ipsis in hortum, qui in fine villæ erat, et ad villam pertinebat, ubi traditorem suum et armatos exspectabat, *sciens omnia quæ ventura erant super eum*, secundum altissimæ dispositionis arcanum. Et qui persecutores suos, et omnia in manu sua accepisse se noverat; quia *omnia dedit ei Pater in manus*, sponte in manus persequentium se ponebat. *Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum*; *quia frequenter Jesus convenerat illuc, cum discipuli suis*, scilicet causa orandi secretius extra tumultum civitatis, et causa secretius loquendi cum discipluis familiariter instruendis. Itaque tradendus a discipulo, consueti secessus locum et Judæ notum adiit, quo facillime reperiri posset, manifestum se dans ad capiendum, ne mortem timere, vel invitus crucifigi putaretur. Unde bene dicitur : *Et hymno dicto, exierunt,.. secundum consuetudinem,..... in montem Oliveti*, id est versus montem Oliveti; quia censuetus erat illuc ire, et morari de nocte, causa orationis. Nam, secundum *Chrysostomum*, consueverat frequenter Dominus extra civitates et vicos, in oratione pernoctare, et sic stratus mollitiem declinare ; quinimo, secundum eumdem *Chrysostomum*, consuetudo Christi erat, maxime in solemnitatibus, post cœnam discipulos seorsum ducere, et purum a tumultibus locum inquirere, ne mens impediretur ab auditione, et aliqua sublimia de festo eos docere, quæ non erat fas alios audire. Completorium potest dici, quia in ipso completur cursus diei. Similiter Dominus noster Jesus Christus, completo cursu prædicationis, et cœna illa singulari tam gloriosissime celebrata et facta cum discipulis suis ; de qua cœna et de sacratissimo dono Corporis et Sanguinis ejus ibi tradito debes frequenter devotissime cogitare, et quod lotis discipulorum pedibus, ac facto sermone, et dicto hymno, id est gratiarum actione, exivit cum discipulis suis versus montem Oliveti, ubi capiendus erat et ab amicis separandus. Et quando complendum erat quod Propheta dixerat : *Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis*; vade, et tu, semper cum eo, et noli eum deserere, ne et ipse deserat te.

22 MYSTICE, DE MUNDANIS EGREDI DEBEMUS ET IRE IN OLIVETUM. — Mystice, egressus est Jesus extra civitatem Jerosolymam, ut nos egressuros de mundanis et mundi habitatione significaret, quando sacrificium Deo offerre volumus, et ut tumultum hominum fugere doceret, quando orare vel familiaria cum nostris tractare intendimus. Egressus autem fuit trans torrentem Cedron, qui interpretatur *tristis mœror*, et significat viam Passionis, quam Christus perambulare voluit : quia sicut torrens torrore caloris solis cum impetu descendit ; sic Christus calore caritatis et luce veritatis succensus fluctus passionum impetum propriæ voluntatis sustinuit. Per hoc ergo quod Christus ivit illuc, imminente sua Passione, significatur quod Christianus ire volens ad martyrium, debet imminens supplicium præcogitare, et per patientiam se armare : quia, secundum *Gregorium*, minus feriunt jacula quæ prævidentur, et tolerabiliora sunt mala quæ præsciuntur. Et venit in villam Gethsemani, quæ interpretatur *vallis pinguedinis*, quæ interpretatio ostendit, quantum humilis, quantum devota fuit Christi oratio quam ibi fecit ; in valle enim humilitas, et in pinguedine devotio notatur. Secundum *Remigium*, Dominus appropinquans Passioni, in valle pinguedinis oravit, ut demonstraretur, quia per vallem humilitatis et pinguedinem caritatis pro nobis mortem suscepit. Humiliavit enim se usque ad mortem, et ex caritate posuit pro amicis animam suam. In

horto etiam oravit et capi voluit, ut ostenderet quod satisfacere venerat pro peccato primorum parentum in horto commisso, id est in terrestri paradiso; vel, quod per suam Passionem nosmetipsos in hortum paradisi coronandos introducit. Dicitur etiam post communionem in montem Oliveti exivisse et oravisse : quod repræsentat processio fratrum, quando post refectionem exit in oratorium, ad gratias agendum ; per quod etiam datur intelligi, quod virtute Dominici sacramenti ascenditur ad culmen gratiæ et gloriæ. Secundum autem *Origenem*, signanter *hymno dicto, exierunt in mentem Oliveti* seu Olivarum, per hoc designans quod, post perceptionem tanti sacramenti, fidelis homo nihil debet agere in convalle, nec circa aliquod terrenum se occupare. Sed, secundum *Hieronymum*, debet ascendere in montem Oliveti, id est in virtutum sublimia, ubi est laboris refectio, et doloris solatium, ac veri luminis notitia apprehenditur. Oravit ergo Dominus in monte Oliveti, sive in horto ad radicem ejusdem montis, quod totum vivum est, et plenum figuris : cum enim in monte orat, sursum nos, et pro cœlestibus habere cor in oratione, et sublimia tantum orando inquiri debere docet; cum in valle et hoc in valle pinguedinis, docet nos in oratione humilitatem et internæ devotionis ad dilectionis pinguedinem servare, et ut non gestemus cor aridum a caritatis pinguedine ; merito autem passurus Dominus ascendit in illum montem, unde erat ascensurus in cœlum, ut per hoc ostenderetur quod per tolerantiam passionis ad quietem cœlestis mansionis ascenditur. Unde *Hieronymus* : « In monte quidem Oliveti Jesus vigilat et orat, tenetur ac ligatur, ac inde ad cœlos ascendit; ut nos sciamus, quia inde ad cœlos ascendimus, unde vigilamus et oramus, ligamur, et non repugnamus in terra. » Hic mons Oliveti omni acceptione est dignus, in quo Dominus frequenter morari et orare, ac multa et mira operari dignatus est. Est autem in hoc monte ecclesia, in qua cum Abbate nigri monachi esse solebant.

23 Quinque virtutum exempla, quæ nos docet Dominus, in ultima cœna. — Potes autem meditari quod Dominus Jesus dedit nobis in isto sero exemplum quinque magnarum virtutum, scilicet : humilitatis, in lavando pedes discipulorum ; caritatis, in instituendo sacramentum Corporis et Sanguinis sui, et in sermone qui est monitis caritatis repletus; orationis, in orando in horto et villa Gethsemani, tribus vicibus ; patientiæ, in sustinendo proditorem suum, et multa opprobria, quando fuit captus et ductus ut latro ; obedientiæ, in eundo ad Passionem et mortem ex Patris præcepto. In his ergo virtutibus et aliis eum pro posse imitari coneris.

ORATIO

Benignissime Jesu, qui pro credentibus et credituris in te, ante tempus Passionis Patrem suppliciter exorasti, rogo, Domine, tuam clementiam et misericordiam pro illis et pro me, et pro omnibus mihi consanguinitate, affinitate, familiaritate, beneficio, oratione, recommendatione, vel quocumque modo conjunctis, seu cordi meo insertis, et universaliter pro omnibus fidelibus tam vivis quam defunctis, ut nobis vivis et gratiam in præsenti, et gloriam in futuro exhibeas; ac defunctis misericordiam et requiem æternam indulgeas, et, tu, qui omnium Redemptor es, etiam eorum Salvatorem te esse ostendas. Amen.





TITULI

CAPITUM ET NUMERORUM

PER ORDINEM



PARS SECUNDA.

CAPUT I. — *De confessione veræ fidei, quam Petrus fecit pro omnibus.*

CAPUT II. — *De exhortatione ad sequendum Christum, et suæ Passionis exemplum.*

CAPUT III. — *De transfiguratione Domini.*

CAPUT IV. — *De sanatione lunatici.*

CAPUT V. — *De tributo pro Domino et Petro soluto, et de quæstione discipulorum super majoritate eorum.*

CAPUT VI. — *De pusillis et parvulis non scandalizandis exterius, et non contemnendis interius.*

CAPUT VII. — *De tribus parabolis, scilicet : ovis, et drachmæ, et filii prodigi.*

CAPUT VIII. — *De modo correptionis fraternæ, et de dimittendo fratri septuagies septies.*

CAPUT IX. — *De rege qui voluit rationem ponere cum servis suis.*

CAPUT X. — *De causa dimittendi uxorem, et de parvulis Domino oblatis.*

CAPUT XI. — *De perfectione paupertatis.*

CAPUT XII. — *De duodecim consiliis Evangelicis.*

CAPUT XIII. — *De difficultate et impossibilitate intrandi divitem in regnum cœlorum, et de præmio relinquentium omnia et sequentium Christum.*

CAPUT XIV. — *De denario diurno.*

CAPUT XV. — *De villico iniquitatis.*

CAPUT XVI. — *De divite epulone et Lazaro mendico ad januam ejus jacente.*

CAPUT XVII. — *De resuscitatione Lazari.*

CAPUT XVIII. — *De conspiratione Pontificum et Pharisæorum contra Jesum.*

CAPUT XIX. — *De decem leprosis a Domino curatis.*

CAPUT XX. — *De Samaritanis hospitium Domino negantibus.*

CAPUT XXI. — *De petitione filiorum Zebedæi.*

CAPUT XXII. — *De uno cæco ante ingressum Jericho illuminato.*

CAPUT XXIII. — *De Zachæo et ejus convivio.*

CAPUT XXIV. — *De duobus cæcis post egressum Jericho illuminatis.*

CAPUT XXV. — *De effusione unguenti super caput Jesu.*

CAPUT XXVI. — *De sessione Domini super pullum et asinam.*

CAPUT XXVII. — *De gloriosa Domini susceptione, ipsa die Palmarum.*

CAPUT XXVIII. — *De fletu Domini super Jerusalem et ingressu in eam.*

CAPUT XXIX. — *De secunda ejectione vendentium et ementium de templo.*

CAPUT XXX. — *De duobus minutis viduæ, et de Pharisæi et Publicani oratione.*

CAPUT XXXI. — *De maledictione ficulneæ, et grano frumenti, et de principe mundi.*

CAPUT XXXII. — *De duobus filiis, quorum unus in vineam ivit, alius ire neglexit.*

CAPUT XXXIII. — *De locatione vineæ et sanguinariis vinitoribus.*

CAPUT XXXIV. — *De invitatis ad nuptias, et de non habente vestem nuptialem.*

CAPUT XXXV. — *De quæstione super tributo solvendo, et de muliere septem viros habente.*

CAPUT XXXVI. — *De primo et magno, ac secundo et simili Ligis mandato.*

CAPUT XXXVII. — *De Scribis et Pharisæis in doctrina audiendis, sed non in vita imitandis.*

CAPUT XXXVIII. — *Quibus debetur væ æternum.*

CAPUT XXXIX. — *De signis adventus Domini et consummationis seculi.*

CAPUT XL. — *De adventu et persecutione Antichristi.*

CAPUT XLI. — *De remediis contra spirituales novissimi temporis tentationes, et de exercitio mentis in Deum.*

CAPUT XLII. — *De orando et exspectando adventum Domini, et de posterioribus signis adventus ejus, et consummationis seculi.*

CAPUT XLIII. — *De adventu Christi Judicis.*

CAPUT XLIV. — *De electorum consolatione ex appropinquante redemptione et de similitudine ficulneæ.*

CAPUT XLV. — *De die Domini juxta exemplum Noe, vel Loth subito venturo, ac de uno assumpto et alio relicto.*

CAPUT XLVI. — *De vigilia patrisfamilias custodientis contra furem domum suam.*

CAPUT XLVII. — *De lumbis præcinctis et lucernis ardentibus.*

CAPUT XLVIII. — *De decem virginibus.*

CAPUT XLIX. — *De talentis et bonis a Domino servis traditis.*

CAPUT L. — *De ventilatione areæ in extremo judicio.*

CAPUT LVI. — *De institutione sacramenti Eucharistiæ.*

CAPUT LVII. — *De sermone et oratione Domini in cœna.*

ABBATISVILLÆ. — TYPIS GUSTAVE RETAUX.







